acheté sur les quais le 25 X^{bre} 42 = 0,60

33138/B

Charles LE POIS

GRP.
1/53

56271

CAROLI PISONIS,

DOCT. PARIS.

=LE POIS

Conſiliarii & cubicularii Medici HENRICI II. *Sereniſſ. Ducis Lotharingiæ &c. Decani facultatis Medic. Academiæ Pontanæ, & Domini de Champel &c.*

SELECTIORUM OBSERVATIONUM ET CONSILIORUM

DE PRAETERVISIS HACTENUS MORBIS AFFECTIBUSQUE PRAETER NATURAM, AB AQUA SEU SEROSA COLLUVIE ET DILUVIE ORTIS,

LIBER SINGULARIS.

OPUS NOVITATE ET VARIETATE DOCTRINAE UTILE JUXTA ATQUE JUCUNDUM.

QUOD

NOVISSIMA HAC EDITIONE

Correctiùs multò, elegantiùs, notis marginalibus neceſſariis, & triplici indice auctiùs prodit.

despaigne med. 1784



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { Vid. & Fil. CORNELII BOUTESTEIN, Et JOH. ARNOLDUM LANGERAK, } 1714.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

AUDITORIBUS SUIS
HERMANNUS BOERHAAVE
S.

Elapſum modô quadriennii ſpatium eſt, ex quo vobis è cathedrâ Academicâ expoſui, quinam inter Eos, qui de rebus egerunt Medicis, Auctores gloriae palmâ decorati veſtram prae coeteris attentionem mereantur. Quo equidem opere certò nobis conſtitit, pauciſſimos omninô haberi, qui in eâ parte Medicinae excellant, quae in exercitatione occupata Artis morborum hiſtorias ex dictamine naturae conſcribit, atque ex iiſdem curatè perpenſis dogmata Medica prudenter elicit. Eſt profectô egregia haec, eſt excellens particula Medicinae, quae meritô antecedit reliquas: etenim antiquitate, fide, uſu, ſed & induſtriâ inprimis requiſiti huc laboris, eas antecellit. Quin etiam eodem tunc tempore, quum recenſerentur illi, qui rari hîc apparent in vaſto Auctorum numero idonei, princeps aſſignatus fuit CAROLO PISONI locus. Ille enim Nicolao Piſone patre natus, acceptam ab eo Doctrinam Medicam feliciſſimè promovit; dum ſummorum in

arte virorum praeceptis deinde imbutus, neque minus inſtructus ab omni emolumento quod à lectione Optimorum Auctorum ſperari poteſt, propriis obſervatis ſingulariter inclaruit. Hunc ideo virum nocturnâ verſandum, & diurnâ manu commendavi vobis, utpote pulcherrima quaeque & firmiſſima ſapientiae Medicae inſtituta animis veſtris inſtillaturum. Laudabam ſcilicet Eum inprimis hoc nomine, quod rerum exemplis abundans, eruditionis conſummatae auxilio ſuffultus, omnium maximê oſtenderet ex inciſis cadaveribus cauſam ſedemque morborum, quorum prius hiſtoriam examuſſim pinxerat. Effecit deinde candida haec virtutum Piſonianarum commendatio, ut liber ipſe ſtatim quaereretur avidê, unde tanta bonorum copia acquirenda ſperabatur. Sed venalia proſtabant nulla exemplaria, licet tertiâ dudum vice eſſent recuſa; quia ſpectata Auctoris dignitas ſubduxerat vulgo & Bibliothecis jam omnia adſcripſerat. Erat haec ratio, quæ duxit Bibliopolas noſtros, ut quartùm jam ſubmitterent praelo haec ſcripta, remque animo conceptum feliciter perduxerunt ad finem. Neque enim ſumtibus pepercere, nec curâ, ut prodiret liber quàm ex-

actiſſimè perpolitus. Praeter pulchritudinem chartae, Typique elegantiam, ſpectabis Textus Hippocraticos veris adſtrictos numeris, proprioque idiomate ſummâ cum curâ nitentes. Atque haec duo, ut maximê ad perfectionem operis requirebantur, ita tamen haud deprehendebantur in prioribus evulgatis: ideoque haud parum laboris exigebant & judicii, ut ſuis digeſta locis haberentur. Unde eô etiam majore beneficio Medicos ſibi obſtrinxerunt Egregii viri, qui liberaliter in ſe ſuſcipere voluere hoc onus taedioſum & abſolvere feliciter. Fuerunt equidem Illi pari in ferendo labore conſtantiâ, quam in exornando hoc libro ſucceſſu, uſi. Digni proin, qui innoteſcerent; ſed prohibuit ſingularis Illorum modeſtia, ne nominibus inclareſcerent. Accipite ergo jam librum hunc vili vendibilem pretio, qui modô auro erat contra carior. Utamini eo & fruamini, placebit & proderit; neque, certus affirmo, vel decies repetitae lectionis vos poenitebit. Valete! Lugd. 17:14.

HENRICO II.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE DUCI CALABRIÆ, LOTHARINGIÆ, MARCHISIO, DUCI BARRI, GUELDRIÆ, MARQUIONI PONTIS AD MONTICULUM, COMITI VADEM. ALBIMONT. ZUTPHEN, &c.

Occaſio prima Scriptionis hujus Libri.

Septimus menſis agitur, Sereniſſime Princeps, & Clementiſſime Domine, ex quo Celſitudo tua, cùm inaudiviſſet me in quodam celebri conſilio à ſuis Archiatris ſuper hyſtericis affectibus nuper habito nova quædam in medium protuliſſe effata, quæ, quanquam à communi Medicorum ſenſu longè eſſent aliena & prorſus paradoxa, veroſimilitudinis tamen plurimum ipſa habere, & ab ingenio ſolertiâque non vulgari eſſe profecta candidiores Collegæ judicarent; tum verò judicio eorum approbato, meipſum humaniter congratulata compellavit, ſive potiùs pro ſummâ ſuâ erga me authoritate imperavit, ut illa publicè evulgarem & cum univerſo Medicorum ordine communicarem. Quâ ſanè benevolâ tuâ exhortatione cùm mihi nulla vox gratior jucundiorque aures ferire, tum neſcio quo acriore gloriolæ gargaliſmo animum titillare potuit, quòd commendatio ei gratulationi conjuncta,

cta, atque à ſapiente judiciique acerrimi Principe profecta non poſſet non & mihi privatim perhonorifica eſſe ac glorioſa, & imprimis publicè utilis. Neque enim tam vanus ſum, aut imprudenter mihi blandior, ut hoc juſſum unâ mei cauſâ à ſingulari tuâ humanitate propenſoque in me animi affectu ſolùm emanâſſe mihi perſuadeam, ſed potiùs quia è fama ac ſplendore Academiæ noſtræ prudenter eſſe credidiſti, ubi ubi gentium innoteſcere, & reſciri non ignavos inerteſque homines ac vulgares, ſed ſtrenuos ac ſolertes graviſſimis in illa juventutem edocendi muneribus præeſſe; & non mediocrem eâ ratione liberalium artium, ingenuarumque omnium diſciplinarum complemento ac perfectioni futuram acceſſionem, ſi quid cultores earum præclarum & utile ingenii vi diuturnâque meditatione adinveniſſent ac excogitaſſent, illud publici fieret juris, & ſeris nepotibus amicè tranſmitteretur.

Sed enimverò ex adverſo (nec enim diſſimulare fas eſt) quanquam tua illa compellatio jucundiſſima meritò fuit, tamen non mediocriter animum ſuſpenſum ſolicitumque tenuit: quippe qui aliàs à naturâ primâque inſtitutione modeſtiæ ſtudioſus & peramans, in eâ præterea ſemper hæreſi fuiſſem (conſcius quippe veriverbii illius, *In edendo hoc Libro ſollicitudo quædam.*

Quam magna ingenia ſæpe in occulto latent!)

prudentis eſſe hominis in obſcuro potiùs vivere, quàm dubiam aucupari velle famam, & ſuum nomen incertis famigerationibus ac parum æquis judiciis, ut hoc ævum malignitatis & maledicentiæ feraciſſimum eſt exponere.

Atqui hæc verſantem animo diuque ancipiti diſtractum cogitatione tandem traxit (æquum certè ita fuit) impulitque eo ſumma tua in me authoritas, ut eam propria nominis mei exiſtimatione contrà longè cariorem habendam eſſe duxerim. Ecce igitur tibi ultro pareo lubenſque, Princeps Opt. Max. & primum ingenii mei fœtum ad aram Majeſtatis tuæ ſiſto conſecroque (nam & tu amabò æquiter feres, ut noſtrum illum Caroli III. optimi tui parentis Macariſmum tibi pientiſſimo filio olim dicatum, quia alterius ſtyli & argumenti quàm ejus, cui mea me addixit profeſſio, quanquam fortè non inglorium & luce

Liber hic primus ingenii fœtus eſt,

in-

indignum hoc tempore diſſimulem: & verò ego ſatis mihi cavi, ne turpiſſimum plagii crimen quiſquam mecum expoſtulet, quod ut Plautina illa mulier,

Alienos labores eam ſuppoſitum mihi.)

Primum, inquam, ingenii mei fœtum affero offeroque conſilium ſcilicet illud, de quo antè, non futilem ac levem hujuſce totius operis ſive occaſionem ſive materiam. Adfero autem non tanquam rude, informe, & indigeſtum Κύημα, ſed tanquam fœtum jam ſuis omnibus membris prorſus abſolutum, informatumque & ſpirantem, atque publicæ lucis avidum ac ſitientem. Nimirum cùm in illo conſilio hyſterica quidem vulgò habita ſymptomata non in uterum, ut fert communis medicorum opinio ab Hippocrate & Galeno ad hæc uſque tempora derivata, ſed in unum caput præter naturam malè affectum ceu parentem; capitis autem conſtitutionem à naturali alienam non in famoſas illas cacochymiæ ſpecies, ſed in aqueam ſive ſeroſam colluviem à medicis prætervíſam hactenus, certè negligenter oſcitanterque conſideratam eſſe refundendam demonſtraverim, operæ precium eſſe duxi ad majorem fidem ac lucem iis novis addendam placitis quædam alia conſilia, ſed multò plures obſervationes morborum ferè omnis generis adjungere, & in unum veluti corpus componere & efformare, qui morbi ejuſdem ſeroſæ illuviei eſſent effectus, aut diluviem illius humoris è capite in univerſa reliqua membra depluentis conſequerentur, & paradoxon illud conſilium mirificè illuſtrarent.

Iſque omnibus membris abſolutus prodit.

Ratio & cauſa ſcriptionis.

Adfero igitur hunc ingenii noſtri fœtum, ita excultum perfectumque meâ ſententiâ, ut ad hoc argumentum vix quicquam deſiderari poſſe ampliùs videatur: ſed cum eâ ſanè Clementiſſime Princeps, de tuâ humanitate fiduciâ, ut quoniam benignâ illâ exhortatione ei veluti materiam atque ſemen, imo vitæ ſenſuſque principium & entelechiam, ſimulque ſalutem, & in partu opem divorum Liberi, Vitumni, Sentini, Dieiovis, & Nixii vice hactenus tribuiſti, eduxiſtique in lucem, eundem porrò grati veluti obſtetricatus officia conferens ſuſcipias, foveas tanquam Opis, & Levana, ad publicam utilitatem alas & inſtituas ceu

bona

bona Educa , educato ſed adhuc balbutienti Vaticanus os aperias, ſiſtentemque ad graviorum Cenſorum ſubſellia ab infantili liberes pavore; conſilia, ſententias, & ſtrenuitatem, quæ à Divis Paventia, Conſo, Sentia, atque Strenua piæ matres ſuis expetunt liberis, inſpires; denique amplam ſpem & conſtantem eutychiam, atque à fortuitis adverſiſque immunem ceu Dea Venilia Fortunaque, & bonus Genius benignè impartias.

Enimverò cùm vehemens intentaque mentis contentio, atque aſſidua meditatio nihil non quamvis abditum, abſtruſum, & altis immerſum tenebris eruat ac in apertum proferat, nihil non quamvis difficile & impervium perrumpat pervadatque, incredibile ſanè dictu eſt & quantam illa benigna tua compellatio facilitatem atque ſubſidium contulerit in renovandâ penè intermortuâ memoriâ eorum, quæ ante tot annos in morbis, quorum Hiſtoria retexenda mihi fuit, obſervâram, & quantam porrò alacritatem ardoremque injecerit in ſuſcipiendâ proſequendâque reconditæ & latentis eorum morborum naturæ cauſarumque indagatione, & exquiſitâ ſymptomatum ad eam inveſtigationem neceſſariâ conſideratione. Cujus certè ardoris ceu vitalis cujuſdam caloris à te tanquam benigno ſydere communicati beneficio quia hic ingenii fœtus integritatem vitamque eſt conſecutus; habet profectò quod te parentem agnoſcat & prædicet tot & tantorum bonorum, quæ naſcentibus commemoratos illos Divos conferre credidit antiquitas.

(Aſſidua meditatio omne abditum in apertum profert.)

Quoniam autem ſalutari tuâ ope enixus communem geſtit videre lucem, ſeveriorum ſe dare in conſpectum frontium, incertamque judiciorum ſubire aleam, tuum ante omnia ſupplex implorat patrocinium, tuam fidem, tuam præhenſat authoritatem, quî inſolentem & inauditam novitatem ab omni monſtri ſuſpicione vindicare, quî gratiam vacuoſque animos veritati à ſe propalatæ mereri, quî denique vitam famamque ſuam ab invidorum calumniis ſartam tectam tueri valeat.

Circumfrement namque mox haud dubito undique hinc moroſi cenſores, qui in magiſtrorum verba jurarunt, vociferabunturque non ferendam hodiernam in ſcribendo ca-

Nulla erga Magiſtrorum in verba jurantes, aliuſque ge-

neris moroſos cenſores æſtimatio.

coëthiam, facinus arrogantiæ plenum eſſe tot tantiſque in dies libris ſapientum obtundere capita, oculos fatigare; multo verò minus permittendam eam novitatem, quæ & antiquitatis oracula ſpernat & inauditorum dogmatum tanquam perniciosſarum hæreſeωm jactet ſpargatque ſemina: illinc ſcioli & ardeliones, quibus nihil niſi ſuum quidquam placere poteſt, qui univerſas artes & ſcientias ſupercilio ſuo, tanquam cœlum humeris Atlantis inniti exiſtimantes, ac omnes alios præ ſeſe blennos, bardos reputantes labores noſtros calumniis opprimerent, noſtraque ſenſa inanitatis damnabunt, & tanquam nugamenta ſeu ægri ſomnia ſuggillabunt. Atqui ſi contrà ad ſapientum ſubſellia, & inprimis ad ſapientiæ tuæ tribunal, æquiſſime & cordatiſſime Princeps, provocemus, dieque dictâ ſiſtamus, haud dubito voces illas hominum deſidiam ſuam, vel invidiam ſpecie recti velantium citiùs, quàm à levi vento proſternuntur folia farfari, ab hiſce ſapientiæ decretis iri difflatum.

Homines ingenui ad imperandum, non ſerviendum nati ſunt.

Scilicet hominibus ingenuis & ad imperandum, non ſerviendum natis hanc eſſe datam à ſupremo Principe ac moderatore univerſi honeſtiſſimam quidem, ſed difficillimam vitæ circa Philoſophiam & naturæ rerumque omnium, quæ cœli terræque ambitu continentur, contemplationem ac ſtudium occupationem, ut ex illâ in notitiam ſui creatoris venire, ad agniti cultum & amorem excitari, amatoque poſſent frui cum beatis illis mentibus, quæ

Immortali ævo ſummâ cum pace fruuntur;

Cujuſcunque facultatis inſtitutio & progreſſus.

& per eam porrò quæcunque ſocietatis humanæ ſpectarent commoda ſibi vi ingenii diuturnâque meditatione & labore obtinerent, ſiquidem facultas omnis à Deo inſtituta, adjuta, confirmataque planè, diſtinctè, definitè ex animi noſtri ſententiâ, ac evidenti cauſarum cognitione ſemper progreditur, quod ille totius ordinis ac univerſæ rationis opifex Maximus, ne aliquid contra ordinem ac terminos à ſe conſtitutos moliri videatur, τελεβῆ ἀλόγῳ, ἀτέχνῳ, καὶ ἀμηχάνῳ favere aut opitulari non ſolet. Idcirco ingens cauſarum deſiderium hominibus à naturâ benè informatis inditum eſſe, quod Catonis ſapientiæ Romanæ Coryphæi conſue-

ſuetudo ſatis declaravit, qui adhuc puer omnium, quæ proponebantur, cauſam rationemque à Pædagogo ſemper exigebat.

Natura in obſcuro poſita, & veritas altis demerſa tenebris laborere eruendæ ſunt.

Cùm autem natura rerum in obſcuro ſit poſita, altiſque veritas demerſa tenebris, inde diſciplinarum omnium atque artium principia eſſe rudia leviaque admodum, ſed magnas fieri progreſſiones per additamenta, quæ ſingulis ferè ſæculis præſtantes ingenio viri à ſe inventa in commune contuliſſent: quo ſanè è Republ. maximè eſt generoſo quemcunque animo eam artem, ad quam eum natura inſtitutioque excitavit, animo ſtrenuo infractoque cum labore excolere, cùm in omni genere artium labore & diligentiâ artis & conſilii,

(Τέχνῃ γὰρ κρατοῦμεν ὧν φύσει νικώμεθα)

moderatione temperatis veluti quodam cœleſti nummo aut fortunato Gygis annulo quidquid volumus ab eo extorqueamus; Nam ſingulos homines artem aliquam ab ineunte ætate ediſcere commune ſocietatis bonum conſervatioque jubent, & Græciæ Italiæque judicio olim prudenter cautum fuit, cùm apud Græcos quidem inertes atque otioſi per totum vitæ ſpatium ἄτιμοι ac ignobiles cenſerentur.

In arte Medicâ ſumma diligentia requiritur.

Quoniam autem ſi quâ in arte diligentia requiritur, in medicinâ certè maximè deſideratur, quòd longitudo cum difficultate in ea eſt conjuncta, atque ut in navi, aut exercitu ſemper in eâ aliquid de novo agendum cognoſcendumque offertur, æquum eſt profectò omnes qui ex tam ſalutaris & nobilis artis exercitatione famam atque commendationem venantur, nunquam à divino Apellis inſtituto diſcedere, aut ullam diem tam occupatam agere, in quâ lineam ducendo aliquam artem ſuam non augeant, exornent, ac locupletent. Quamobrem cùm addiſcentem quidem credere æquum eſſe judicarit Philoſophus, tamen eum, qui in virum jam adoleverit, ut anguſti inertiſque animi eſt ad quamcunque de quâlibet re ſententiam quaſi tempeſtate fueris delatus, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcere, teque primùm antè teneri aſtrictum, quàm quid eſſet optimum judicare potueris: ita ingenuum eſt & dignum homine divinæ auræ particulâ, ac rationis lumine

Inertis eſt animi in arte aliquâ quadantenus progreſſo, nihil ultra moliri.

Ingenuum eſt à Majoribus prolata veritatis bilance examinare.

nobilitato vim judicii jam maturi in probandis, examinandis quæ à præceptoribus ſive majoribus didiceris, & in veritate acri judicii meditatione indagandâ ſeſe gnaviter exercere; & porrò in eâdem probandâ communicandâque liberalem, non invidum ſeſe oſtendere, ſemperque illud in corde reconditum habere, veneratione quidem digna eſſe à majoribus affabrè inventa, ingenioſè exculta, ac ſapienter dicta, ſed nervos ſapientiæ eſſe nihil temerè credere;

Nihil temerè credere, & veritatem omnibus rebus anteponere.

quinetiam amicum quidem Socratem, amicum Platonem, ſed magis amicam veritatem eſſe debere: denique ut eorum deſidiam, qui vel ſpecioſo publicæ utilitatis & ſcientiarum compendii prætextu artium fines regere volunt, contentique majorum doctrinâ nihil dici hodiè, quod non ſplendidiùs antè fuerit dictum autumant, ac ſuperſedendum accuratiori deinceps examine & moroſiore cauſarum inquiſitione jubent, omnino eſſe peſtiferam, atque incremento & perfectioni artium pernicioſam res ipſa ſatis loquitur; ſic contrà nullus non, cui ſalis mica vel perexigua inſit, videt, imo ridet ματαιοτεχνίαν eorum qui ex alienis laboribus gloriam ſibi quærunt, & tritis vulgatiſque claſſicorum authorum effatis, ſententiiſque quanquam ſub alio ordine & fortè non artis experte exſcribendis ætatem omnem cacoëthiâ quâdam ſcribendi conſumunt, atque omnem ingenii vim, quæ ſanè perexigua eſt & tenui gloriâ digna, in rebus ſuperfluis conterunt more Xenocratis, qui ut numerum ſyllabarum, quas elementa & literæ Alphabeti variè inter ſe collocata componerent reſciret, maximam vitæ partem in copulandis literis & ſyllabis ſubducendis impendit operoſo quidem, ſed prorſus vano cum labore: cui enim bono tot ingentia medica volumina, in quibus præter Galenum ad nauſeam recantatum novi nihil aut reconditi legas?

Ex alienis laboribus gloria non quærenda.

Principum & Magnatum cura in artibus excolendis requiritur.

Itaque quo in poſterum obnixiùs Spartam, quam quiſque nactus eſt colat, prudentiæ & æquitatis Principum erit ſtrenuis ac benè agentibus favere, honores, gloriam, præmiaque conſtituere, eoſque ad benè merendum de Repub. novis & ingenioſis additamentis excitare, imprimiſque eos ſecuros ab omni petulantiore malevolorum & invido-

vidorum ſciolorum maledicentiâ reddere, quia ut plantæ omnes terram ingenio ſuo & naturæ congruentem ſemel nactæ, ac vivifico Solis calore tepefactæ & vegetatæ uberiores effundunt melioreſque fructus; ſimili modo navi forteſque homines honeſtâ quâdam gloriæ & ambitionis cupiditate tanquam ſolaribus radiis accenſi, artemque aliquam ingenio ſuo ac moribus conformem veluti aliquem induſtriæ ſuæ campum adepti omnes animi & corporis nervos pro Reipub. utilitate faciliùs altiúſque explicant & contendunt.

Laudes Ducis Lotharingici.

Atqui ſi hæ Principis prudentiæ corculi parænefes, hæcque decreta ſunt expreſſæ Divæ ſapientiæ voces & oracula, quam fortunatum, ô liber te tanto patrono, tanto dicam judice! age rumpe moras & è cunis tam benigno Jovis afflatu ceu Hercules adhuc vagiens eliſis peſtiferis invidiæ colubris & poſito infantium ad arundinis ſtrepitum, aut foliorum ſuſurrum trepidantium metu felicibus auſpiciis ac æquitate Judicis fretus, tuiſque audax virtutibus celebriorum aſcende pulpita ſcholarum, & doctiorum contubernio deinceps aſſueſce. Quis enim tam ſeveræ, aut malignæ frontis qui te tam ſapientis Principis authoramento munitum ſigillatumque non hilari exoſculetur vultu, non benevolo excipiat ſinu, non ſerenis juxtà atque avidis legat perlegatque oculis?

Equidem ut ſtellæ in cœlo lucent hoc tantùm ut luceant, ſic tu natura & inclinatione beneficus ſine aliâ affectatione aut affectu. Sit ita ſane. Verumtamen quod Seneca de Auguſto prudentiſſimo Principe dicere ſolebat, malle ſe ejus judicium quàm beneficium, de te idem veriùs & ex animo dicere poſſum, Sapientiſſime PRINCEPS, judicii ſcilicet ſolidi, judicii conſtantis, judicii exquiſiti egregia laus tota tua eſt, cùm fortuna magnificentiæ magnam partem ſibi jure vindicare poſſit; & cùm hujuſce virtutis commendatione longo intervallo principes cæteros ſuperes, judicii certè & prudentiæ palmam etiam ſapientiæ ſtudium profitentibus præripuiſſe videaris. Sine enim per tuam te modeſtiam oro, ſine me præterire, quantâ in omnis generis litium, quæ quotidiè in ſacratiore tuo conſilio diſcep-

tantur, conteſtatione mentis acie ſtatum cauſæ pervideas; quàm juſtâ rationis trutinâ cujuſque cauſæ expendas meritum, quantâ providentiâ & ſagacitate negotiorum civilium vel graviſſimorum momenta eventaque ſubducas, præſagias? Quanto denique judicio, quantâque ſapientiâ in circumſpiciendis & judicandis rebus omnibus valeas ac præcellas, ut jure ſanè quam æquiſſimo te meritiſſimum conſilii tui principem quanquam fortunæ beneficio natus non eſſes non ſolùm tui ſubditi, ſed & exteri ſive populi, ſive principes in dirimendis ſuis controverſiis judicem ambierint & in dies exoptent atque expetant.

Sed ſilere ego non poſſum nec debeo, & verò non deſinam mirari plurimùm & deprædicare apud omnes quantâ cum animi voluptate juvat te audire vel in privatis velitationibus & umbratilibus pugnis hominum mei ordinis inter ſe de rebus Phyſicis Medicisve aut Mathematicis coram te laudabili de more Artaxerxis ſive provocante, ſive permittente horis ſubciſivis animique à ſeriis curis reficiendi gratiâ contendentium breviter acutéque pro veritate diſputantem colluctantemque & verò repugnantes ac tergiverſantes argumentorum numero & pondere revocantem cogentemque in rationis gyrum! O ſi optioni votiſque daretur locus, quàm lubens vellem tantum ab re tuâ tibi otii eſſet ſumma ut noſtrarum controverſiarum capita audires, audita tuo dirimerentur judicio! quanta enim me ſpes teneret certæ omnium doctiorum maturiori tuo judicio adſtipulantium approbationis! quàm ampla grataque tot lucubrationum & meditationum merces! qui animus ſtimuluſque ad majora audendum urgeret, acueret! quæ denique fiducia ſtudium hocce meum ab omnibus candidis non iri improbatum! qui (abſit verbo invidia) Herculem Xenophontium (qui nullâ voluptatum aut blanditiis à virtutis & optimarum artium profeſſione unquam avocari potuit) imitatus artem hanc meam vehementer hactenus adamavi, in eâque exercendâ unicè me oblectavi, ut eam ſemper ex veterum inſtituto pluris quàm domos, quàm villas, ſigna, tabulas, quàm aleam, cæteraque urbana vel ruſtica oblectamenta, quàm divitias denique, aut alia quæcunque ſtudia

dia fecerim. Fave itaque ut cœpiſti te per tuam benignitatem, Sereniss. Princeps, oro ſupplex obteſtorque, fave cœptis, fave ſtudiorum progreſſibus: ita verò tibi Eutychia, Charites, ſaluſque aſtites perpetuò adſint, ſerventque fortunatum & incolumem Academiæ, univerſoque populo, & mihi, qui æternùm vivo

V. Celsitudini

Addictiſſ. & humillimus

Cliens ſervuſque

Carolus Piso.

C L A-

CLARISSIMIS
ATQUE ORNATISSIMIS
VIRIS JOANNI DURETO, SIMONI PETREO, ET PETRO Seguino Conſil. & Medicis Regiis.

DISSIDIUM mihi ſed amicum ſæpè intervenit, ô Clariſſimi & Sapientiſſimi Viri, cum celeberrimis medicis de continente cauſâ plurium præter naturam affectuum, eorumque cùm frequentium valdè tum graviſſimorum, cujus cenſus ſunt hemicrania, epilepſia, lethargi & apoplexiæ quædam ſpecies, aſthma, dyſpnœa nocturna, palpitatio, cruciatus totius ventris cum alvi ſegnitie conjuncti, hyſterica vulgò habita ſymptomata, dolores arthritici & id genus. Cùm enim eruditiſſimi illi viri ejuſcemodi affectus ex communi medicorum ſenſu uni alicui è tribus famoſis illis & ab omnibus ſcholis receptis cacochymiæ ſpeciebus referrent acceptos, ego contrà potiùs accuſandam ſemper putavi ſeroſam colluviem ſeu diluviem ab iis longè diſcrepantem ſive humoris ingenium, ſive ſynathriſmi ejuſdem cauſæ onteſque, & occaſiones ſpectentur. Quoniam ergo ex diſſidentibus adeo rebus diverſas agendorum indicationes erui debere ratio ſuadet, lis illa noſtra non in titivillitio, ſed in re maximi in medicinâ momenti verſetur neceſſe eſt; quò ſanè rem bonam atque

atque utilem me facturum putavi, ſi quæ hactenus ſuper ejuſmodi argumento conſilia à me ſunt habita, unaque ſingulares quaſdam obſervationes mihi ſedulò annotatas publici juris facerem; ex quibus quippè evidenter unicuique candido & æquo rerum æſtimatori tam clarum eſſet, quàm ſolis radii eſſe olim cum ſudum eſt ſolent, omnia omnino ſigna indiciaque cùm ſalubria idioſyncraſiæ ægrorum, tum inſalubria ſive diagnoſtica cujuſque affectus, ſive epigenomena, ſive prognoſtica reſolvi regerique unam in ſeroſam πλεονεξίαν *à me detectam, & primùm lucenter deprædicatam. Nimirum ut delicati nimiùm, imò arrogantis eſt temerè & pro libidine à communi hominum & præſertim ſapientum ſenſu abhorrere; ita contrà anguſti puſillique animi eſſe judicavi ſemper communibus & vulgaribus dogmatis quanquam ratione revocante ita pertinaciter adhæreſcere, ut nihil novi licet accuratè præmeditati, & ad artis perfectionem inprimis conducibilis hiſcere atque in medium proferre audeas. Nam ſi nihil ſimul inventum ac perfectum eſt, ſed artes omnes perinde ac flumina progreſſu augentur, cur ab induſtriâ quiſquam removebitur, ut ne quid ipſe quærat, quaſi illi omnia parata quæſitaque à majoribus tradantur? qui nos certè præceſſerunt, ait Seneca, non præripuiſſe videntur quæ dici poſſunt, ſed aperuiſſe, & non tam inventa quàm quærenda nobis reliquerunt. Ad quorum autem prætorium judicum, authoritate ac ſententia quorum tanta lis dirimi, meaque cauſa probari certiùs poſſit, lubentius aut ſecurius ſiſtere me debeo quàm ad veſtrum, ô clariſſima medicinæ lumina? ſingularis ſanè ſapientiæ veſtræ multiplici eruditione & facundiâ conditæ conſtans fama, claritudoque non unarum Galliarum, gratiſſimi Muſarum domicilii, finibus circumſcripta, ſed quocumque terrarum loco medicina floret, propagata & longè latéque emicans à veſtrâ exercitationum mearum approbatione mihi magnam in mediam lucem prodeundi fidu-*

ciam, certamque apud omnes ultrò gratiam pollicetur: veſtram autem pariter ſive egregiam præceptorum in diſcipulum fidem, ſive eximiam prolixamque in condiſcipulum benignitatem ſi implorem, qui animus mihi eſſe debet veſtrum ad tribunal confugiendi? Quod ſi perhonorificum longéque meritis ſuperius veſtrum de meâ quantulâcumque induſtria, quoties incidit mentio mei etiam apud ſummos viros (teſtes vos appello inter alios Sanctiſſimi Cardinalis de Giuri manes) teſtimonium atque prædicationem memoriâ recolo, recolo autem ſæpiſſimè etſi non tam coram aliis, modeſtia & pudore ita jubentibus, quàm apud me ſolum idque tantâ cum voluptate, quantâ cum animi erga vos gratitudine & obſervantiâ, hoc eſt, ſummâ, quàm prolixa mihi æquitatis & benevolentiæ ſpes inde affulget, quantaque confidentia magna illa veſtra in me beneficia hoc uno, quod me ingratum mori ſinat, abundè iri cumulatum. Agite ergo ſultis amabò per antiquam veſtram amicitiam & per gratiſſimum contubernium, quæ ex animo recolo, ſubciſivi ne denegate hiſce lucubrationibus meis temporis tantillum, atque judicium porrò rationemque cenſoriam pro veſtrâ dignitate & prudentiâ tenete. Stat apud me, certumque eſt deinceps unam animadverſionem veſtram cenſuramque tanquam regulam & conſtitutionem veri, falſi, cogniti, incognitique habere, ita & vos, & me alma pax, εὐτυχία, atque muſæ æternùm ament. Salvete & valete colendiſſimi atque amantiſſimi præceptores ab eo, qui vos æternùm colit & amat

C. Piso.

C. PI-

C. PISONI D. A CHAMPEL

CLARISSIMO ARCHIATRO ET IN Academiâ Pontanâ Decano & Profeſſori meritiſſimo.

IAMDIU urbe abſui (CLARISSIME PISO) itaque deſui & officio & obſervantiæ in te meæ. En redux gratiis tuis lito, utinam tempori & non invitis gratiis! folia tua quæ luci das immò nobis in lucem contra hanc hydram capitum avidè legi: Nihil adulor, ita lucida ut aciem menti meæ perſtringant, & lubens in ea jurem. Si quis contrà cenſeat quòd extra communem ſenſum, ille ipſe in pravo ſenſu nec extra cenſionem melioris turbæ. nec enim θεωρήματα τεχνικά monimentis veterum, ſed rationum momentis æſtimanda. Perge verò, & quem parturis fœtum auſpicato ede & favente Panacæa. Ego illi mea xenia quantulacunque voveo, mitto, quæ fronte præferat: ſummitto autem priùs limæ tuæ, atque etiam ſpongiæ, adde, dele, emenda obſecro, & ſcito nihil hac mihi ſcriptione aliud quæri (DOCTISSIME PISO) quàm ut intelligas me unicè amare te & admirari, nihilque eſſe prius & antiquius quàm abs te tam charo & claro viro viciſſim ut amer. Vale, & ut quam diis hominibuſque laudantibus & plaudentibus profiteris docendi ſcribendique provinciam tueare, valetudini quam firmiſſimam eſſe opto, diligenter inſervi. Iterum vale, meritiſſime Profeſſor.

Nanceio 5. Maji 1618.

Tuus ex integro Demongeot.

CAROLO PISONI
D. A CHAMPEL CLARISSIMO
LOTHARINGIÆ ARCHIATRO ET
in Academia Pontana Decano Pro-
feſſori meritiſſimo, &c.

GABRIEL DE MONGEOT
Conſil. & Medic. ordin. S.C.

TAm ſero ſeris hæc ſerena nobis
Et tam ſeria de ſero latente,
O tandem ſtygiæ ultor unus Hydræ.
Da partam hanc cerebro tuo Minervam,
Certuſque ede tuos parens labores,
Non cornix aliis ſuperba plumis,
O dilecte Jovi, Diiſque noſtris,
Piſo Pæoniæ decus coronæ,
Piſo Hippocraticæ columna ſectæ,
Piſo cui coma laureis avitis,
Et daphne propria revincta frondet.
Tu myſtes tripode ex Apollinari,
Natura, ingenio, ſagax & uſu,
Rerum dogmata pandis abditarum,
Ac noſtris ſteriles fugare monſtras
Caſtellis Hyadas, magiſtrâ & arte
Sic parvi reparas caduca mundi.
Piſo prome tuos diſerte fœtus,
Et famâ vagus adde nomen aſtris.
Tam terſus neque ſpongias nec annos,
Nec momos labor horret acriores.
At felix Genio, decus perenne

Et

Et cedrum petit, entheaſque lauros.
Hoc nixu efficis, erudite Piſo,
Ut ſecla invideant priora noſtris,
Non ſic Herculeis beata palmis:
At lapſo nihil invidemus ævo,
Palmis Piſo tuis beatiores,
Dum diis (Hercule fortior) ſecundis,
Dum diis (clarior Hercules) ſecundis
Morboſæ rediviva monſtra Lernæ.
Ut ſol illuviem vagoſque fontes
Hydrarum & capitis fluenta ſiccas.

ALIUD.

MUtatis alii promant antiqua lacernis;
  Sunt hæc prompta tuo dogmata Piſo ſinu.
Principis ô noſtri columen, lumenque Lycæi
  Tam feſtum fauſto numine profer opus.
Sint paradoxa licet: ſic hæc tamen auſpice Phœbo
  Aſſeris, ut Phœbus nec paradoxa putet.

Ἄλλο

Λιμναίην Λέρνην λείπουσα τέρας κακὸν Ὕδρα,
  Ὦρσε νόσων στρατὸν εἰς ἀκρόπολιν βροτέων.
Ὄργια δ' ἄρ Φοίβου Πείσων δεδαημένος, ὃν Ζεύς
  Δαφνοκόμου κλεινὸν παῖδ' ἐπέκλωσ' ἰατροῦ,
Τὴν γε τέχνῃ θείᾳ φανεροῖ ἀλέειν καὶ ἀλέξειν,
  Πλεῖστον τ' ἐκ τρίποδος χρησμοδοτεῖ νοσεροῖς.
Τίς δ' Ὕδρας κορυφὴν καταβάλλειν βέλτερος ἀνδρῶν
  Ἐκ κορυφῆς, ἰατρῶν ἢ Κορυφαῖος ἀνήρ;

Sic me mihi explicabam.

HOrrida contemnens Lernæas Hydra paludes
  Morborum inſevit noſtro aciem capiti.
At Piſo, Phœbi cui ſunt ſacra cognita, quemque
  Laurigero illuſtrem fata dedere ſatum,
Hanc docet arte ſacra vitare aut tollere prorſum,
  Vera monens ægros & velut ex tripode.
Quis caput hoc Hydræ melior depellere noſtro
  Vertice, quàm ſectæ qui caput eſt medicæ?

IN CLARISSIMI D. PISONIS CELSITUDINIS LOTHARINGIÆ ET Barri Ducis Medici, & in Academiâ Pontimontiâ Collegii Medici Decani Obſervationes

APOLOGETICUM.

OBſervata diu, medico nec cognita vulgo
  Profert in lucem dogmata Piſo nova,
Quæ firmis adeo momentis comprobat, ut jam
  Nil illis novitas demere jure queat.

Joannes Leurechon Celſitudinis Lotharingiæ
& Barri Ducis Medicus.

ΑΝΑΓΡΑΜΜΑ.

ΚΑΡΟΛΟΣ ΠΙΣΩΝ. ΑΛΚΑΡ ΠΟΝΟΙΣ.

Ἰητὴρ πολλῶν ἀντάξιός ἐστιν Ὁμήρῳ.
Μοὶ δὲ Πίσων πάντων ΑΛΚΑΡ ἅπασι ΠΟΝΟΙΣ.

ὁ αὐτὸς Ἰωα. Λεβρεχόνιος Ἀρχιατρός.

ἐπι-

ἐπιγραμ. τῷ αὐτῷ.

Αχλυόεις μικρόκοσμος ἔην καὶ ἀνήλιος, αὐτὰρ
Νῦν νέος ἀνθρώποις ἥλιός ἐστι Πίσων.
Ὡς νεφέλης καθαρὸν κόσμον μέγαν ἥλιος, οὕτως
Καὶ ὀῤῥοῦ καθαρὸν μικρὸν ἔθηκε Πίσων.

Ἰωάνν. Φάβρος Ἀρχιατρός.

IN tenebris microcoſmus erat ſine ſole: ſed iſtis
Sol novus in tenebris Piſo repentè micat.
Nam ſol è magno detergit nubila mundo,
Nubiláque è parvo Piſo ſeroſa fugat.

IDEM.

LE petit monde eſtoit ſans lumiere brillante.
Mais le Pois eſt venu pour eſtre ſon ſoleil.
Phœbus chaſſe la nuë aux raions de ſon œil,
Luy la ſeroſité vitieuſe & bouillante.

Le meſme.

ANAGRAMMA.

CAROLUS PISO. SALUS CORPORI.

DOctrina felix, & nova CORPORI
SALUS in orbem prodit; adeſt, adeſt
Ignota priſcis, at reperta
Temporibus medicina noſtris.
Reperta, ſed quam nulla dies tamen
Oblitterabit, non fuga temporis
Oblivioſi. Quid vetuſta
Scripta, novis inimice, laudas?
Quæ ſcripta laudas cunque, recentia
Olim fuerunt, quæ nova deſpicis
Antiqua laudabuntur olim.
Nulla dies meliora reddet.

Petrus Barotus D. M. & Profeſſor
Anat. & Chirurg.

IN

IN NOBILISSIMI ET CLARISSIM
VIRI CAROLI PISONIS OPUS.

TETRASTICHON.

QUid nova miraris medicinæ dogmata? non ſunt,
Quamvis hanc nemo triverit antè viam.
Sunt nova quæ nullam poſſunt ſperare ſenectam,
Antiquum eſt quicquid poſtera fama colet.

Renatus Bodinus D. & Profeſſor Med.

ANAGRAMMA.

CAROLUS PISO. IS CARUS POLO.

MOrtales ſervare Deûm eſt, quòd liberet imbre
Clarus Apollo ſolum, carus Apollo polo eſt
Dumque ſeri Piſo microcoſmum liberat imbre,
Alter Apollo, ſolo CARUS IS, atque POLO eſt.

ALIUD EPIGRAMMA.

ILluvie Pythona ſatum quòd Delius arcu
Fixerit, intonſis laurea ſacra comis.
Humoris morbos pellentem monſtra ſeroſi
Num manet emeritis laurea certa comis.

ALIUD.

QUod ſenio Divos, quod liberet imbre Cybellem,
Carus Apollo polo eſt, carus Apollo ſolo eſt.
Dum ſenio, atque ſeri Piſo nos liberat imbre,
Nunquid Apollo ſolo eſt, CARUS IS atque POLO eſt?

C. De Mongeot Doct. Med.

IN

IN ILLUSTRIS VIRI C. PISONIS

OBSERVATIONES.

EXASTICHON.

CUr ſua floreſcunt trinis inſignia piſis,
Stemmaque Piſonis nobile nomen habet?
Scilicet Auſtraſiis Piſo prodiret ut oris,
Necdum piſa novâ piſeret arte mala
Morborum expurgans varias ſorteſque lueſque,
Humida quas paſſim parturit illuvies.

Antonius Kremer S. Dominationis
Amanuenſ.

SUR LE DISCOURS DES MALADIES des eaux d'honnoré Seigneur le Sieur Charles le Pois Seigneur de Champel, Conſeiller & Medecin ordinaire de ſon ALTESSE, & Doyen de la faculté de Medecine en l'Univerſité du Pont-à-Mouſſon.

QU'Hercule ait eſtouffé l'hydre, c'eſt une fable,
L'hydre a juſques icy fourmillé indontable.
Mais voicy que meshuy le Pois eſtouffera
Le monſtre à mille chefs; dont l'humeur hydropique
Par ſa ſeroſité aux drogues fait la nique.
Il eſt enfin mocqué, le Pois s'en bravera.

M. Samuel Phulpin Botanique
& Apotiquaire.

CARMEN EPICUM AUCTORIS AD LIBRUM.

Qualis obit magnum ſubterlabentibus undis
Oceanus mundum, & magno ſe corpore miſcet,
Materies cunctis ut ſint, elementaque prima
Humida cum ſiccis; rerumque perennet eundo
Ortus, & orta diu poſſint ſubſiſtere. Terra
Namque immota manens ſtabilimine mixta tuetur,
Et firmat; ſolidæque ſuo ſtant robore vires
Cunctis: quæ malè juncta forent aliáſque ſoluta
Pollinis in morem, ni lento glutine aquaï
Vincta coërceret penitus ſociabilis humor.
Quin rerum quæcunque opifex circumfluus ignis
Coxerit, & partu ediderit ſub luminis auras,
Illa fluunt ex ſe ſine honore, nec uſibus apta
Humanis, rigido niſi frigore protinus humor
Concreta induret, cogat, teneatque coacta.
Jam quod dextera cumque manus ducta arte magiſtrâ
Navat opus, varios hominumque extundit in uſus,
Elixat tepidis, gelidis aut mergit in undis.
Nonne vides fluit ut rivo ſtagnante metallum,
Vulnificuſque chalybs vaſtâ fornace liqueſcit,
Ductilem & incurvæ falces conflantur in enſem,
Cyclopes demum gelido ſtridentia tingunt
Æra lacu, rigidus latè mox emicat enſis?
Talis per totum qui decurrit microcoſmum
Particulis humor minimis non invius ullis
Labitur: utilitas haudquaquam diſpar & uſus.
Diſcretas atomos connectit ſcilicet humor
Continuans: illæque viciſſim pondere firmant
Ingenito, vireſque humori, robur & adflant.
Cerea quin oſſa, & molles ab origine primâ
Indurat partes, laxataque frigore ſtringit
Humor aquæ, ſolidata ſuis & idonea membra

Mu-

Muneribus reddit, cœloque vel erigit, alta
Ut ſapiant homines, verſentque in corde futuras
Sortes. Quid rebus jam nutrimenta creatis
Fercula quid memorem flammis torrenda latentis
In nobis ignis, ni ſeſe jungeret humor,
Atque modum elixans aſſanti poneret igni,
Temperiem & ſuccis, molemque adjungeret æquam?
Nimirum hos variis ſuccos alimenta futura
Partibus alma parens rerum natura paravit.
Qualis & incurvum latè complectitur orbem,
Brachiaque & longis exporrigit Amphitrites
Marginibus terrarum, alio ſub ſole calentes
Ut ditet populos vectis, referatque viciſſim
Munera quæ regio ferat hæc, quæque illa recuſet.
(Namque Lybes frumenta ferunt, Campanus jacchum.
Attis mel, Phœnix palmas, Lacedæmon olivum)
Sicque licet toto diviſos vinciat orbe
Alternis donis, atque æquo fœdere amantes.
Talis abundanti microcoſmum humore pererrat
Ille ſeri liquor, & riguos perfluctuat artus
Reflexuſque trahens refluos hinc inde per omnes
Venarum anfractus interlabentia ſpargit
Flumina, rimaturque meabilis ipſe meatus.
Vitalem ſuccum ut cunctis, & amabile nectar
Viſceribus lentore aliàs tubuliſque vel ipſis
Hæſurum vehat, ac ſitientibus ingerat ultrò
Membris, effluviique rependat damna perennis,
Edere quî valeant labentis munia vitæ.
Qualis & Oceanus ſublatis aëra complens
Halitibus largo fœcundis imbre, furentis
Solſtitii meſſes ardoribus, & pecus omne
Defendit, mollique æſtum contemperat aurâ.
Talis ab aſſiduo ſquallentia membra labore
Internoque igni recreat depaſta ſeroſus
Humor, ſpirituum flammas hebetatque rotantes
Orbe ſub exiguo, perfundens cuncto benigno
Rore, ſalutarique humectans corpora rore.
Atque hæ ſunt vires, miranda potentia, & uſus

Quos microcoſmus habet, quos maximus orbis aquai
Debet, ubi leges æternaque fœdera ſervat,
Quæ rebus ſtatuit magni regnator olympi.
At verò quas non turbas ciet, atque tumultus,
Et quæ non ſecum trahit agmina ſæva malorum,
Inſanum ſi quando fretis ſpirantibus æquor
Fervet, & adverſæ feriunt jactantque procellæ?
Quæ non ſeu pius Aeneas, ſeu durus Ulyſſes
Suſtinuere olim tot tempeſtatibus acti?
Cernis ut iratum curvato gurgite claſſes
Tollat in aſtra mare, adverſo mox turbine eaſdem
Subductâ manes undâ deturbet ad imos,
Illidatque vadis, atque aggere cingat arenæ,
Aut verò abreptas in ſaxa latentia torquens
Dilaceret miſeras ruptâ compage carinas?
Aſpicis ut pleno ore tumens effunditur æquor,
Succubuit ſi qua tellus, tumulumque furentem
Undarum non paſſa ruit? miſerabile viſu.
Sternit agros, ſata læta ſimul, vicoſque domoſque,
Cum ſtabulis armenta rapit, campoſque per omnes
Volvit, & inſano contorquens vortice ſylvas
Proluit: ac tumulos immenſa licentia ponti
Obruit; atque latent preſſæ ſub gurgite vaſto
Arces, templa Deûm, turritaque culmina, & urbes.
Atqui non leviora homini inter damna minatur,
Nec minùs intentat mala crebreſcentia liquor,
Liquor aquæ quoties ſeu morem præter abundat,
Sive modum præter fervens incanduit æſtu.
Cernis aqualiculus propenſo ſeſquipede exſtans
Viſceraque ut tumeant multo diſtenta ſeroſo
Humore? aut lento macies arentia fato
Conficiet membra, aut animæ via preſſa coibit.
Quid ſi pulmones, medium aut thoraca ſeroſa
Proluit illuvies? tum verò abrumpitur ægris
Prima quies ſubitò, captatur anhelitus imo
Pectore ſublimis, quem ſibila colla remittant;
Spemque metumque inter noctes vigilantur amaræ.
Quid varias dicam ſpecies hydropis aquoſi
Queis membra aut totum ſuffuſâ corpus ab undâ In-

Intumuit, pallorque novus ſimul occupat ora?
Nam graviora vocant ad ſe mala, quæ ciet humor
Si magnis ſtagnans venis miſtuſque cruori
Aut vitium capiat, ſeu magno ferveat æſtu.
Scilicet hinc variæ febres mortalia corda
Corrumpunt, ſævique exercent membra dolores,
Horriferi & ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus.
Vidi equidem ſi quando caput turgente ſeroſâ
Colluvie premitur, crudos urgere dolores,
Noctes atque dies inopem ſomnique cibique
Ducere. Vidi etiam cui jam vertigine tectum
Ambulat, & geminis exurgit menſa lucernis.
Eſt & cui exerrans delirat linguaque, menſque.
Aſt alios urget ſopor, atque oblivio præceps.
Quin etiam ſubitâ vi morbi ſæpè coactus
Ante oculos aliquis noſtros, ut fulminis ictu
Concidit, & ſpumas agit, ingemit, & tremit artus,
Deſipit, extentat nervos, torquetur, anhelat
Inconſtanter, & in jactando membra fatigat.
Denique non parva intulerit mortalibus ægris
Humida diluvies incommoda, finibus ipſis
Vaſorum quoties longè latéque redundat.
Aures namque gravis ſubitò, nunc arripit acer
Sæpè dolor dentes, violens modo concutit ægros
Tuſſis anhela ſenes, ac faucibus angit obeſis.
Exolvitque tonum membrorum ſtilla ſeroſa,
Aut ipſos artus tum vi tum ſæpè cadendo
Divulſâ quatiens tandem compage reſolvit,
Exuritque acri languentia membra dolore.
Ergo chare Liber dias in luminis auras
Prodi, morborum palantiaque agmina coge,
Ingenium quorum, mores, nec denique fraudes
Detexêre duces, quos ſæcula priſca tulêre,
Quos & noſtra duces vidit ſapientior ætas;
Quorum dira lues poſticâ occurrere ſannâ
Edocta eluſit toties artemque manumque.
Inſidias aperi, technas, & robora primus:
Multorum capitum domitor laudabitur Hydræ,
Alter & Alcides auctor tuus audiet olim.

SE-

SERIES CAPITUM CUJUSQUE SECTIONIS.

SECTIO PRIMA,

Continens Præfationem & argumentum totius Operis. pag. 1
Theorema I. p. 12
Theorema II. p. 17
Theorema III. p. 19
Theorema IV. p. 38

SECTIO II. PARS I.

Morbi Capitis Externi, ab Eluvie Seroſa.

Cap. I. *De Hydrocephalo.* p. 41
II. *De Genarum tumoribus, Parotide, Paraſynanche, & aliarum in ore & circa maxillas glandularum tumoribus ephemeris & aquoſis.* p. 44
III. *De Odontalgiâ.* p. 47
IV. *De Dolore auris internæ cum odontalgiâ mixto.* p. 50
V. *De Debilitate viſus, & Hypochymate Quæſitum.* p. 53
Reſponſum. p. 55

SECTIO II. PARS II.

Morbi Capitis Interni, à Colluvie Seroſa.

Cap. I. *De Hemicraniâ.* p. 68
II. *De Vertigine Simplici, ſive* Δῖνῳ. p. 77
III. *De Caro.* p. 81
IV. *De Parapoplexiâ, ſive Febre tritæoph. comatoſâ.* p. 88
V. *De Apoplexiâ levi.* p. 99
VI. *De Lethargo periodicè repetente, ſive hydrope cerebri.* p. 105
VII. *De Epilepſiâ, conſilium, quo Symptomata hyſterica quidem vulgo dicta ad Epilepſiam referuntur: Epilepſia autem ipſa capiti idiopathica eſſe demonſtratur, non per ſympathiam uteri, aut viſcerum; ejuſque porro cauſa continens detegitur,*

ſeroſa ſcilicet colluvies fervore quodam concepto impetens violenterque diſtendens principia nervorum præſertimque ſpinalis medullæ & ſexti ſeptimique parium: denique methodica curandæ ejus ratio aperitur. p. 115

VIII. *Appendix ſeu Annotatio ad Conſilium de Epilepſiâ.* p. 179

SECTIO III.

Morbi Thoracis Interni ab Illuvie Seroſa.

Cap. I. *De Syncope Lethali &* Ἀνελπιστη *ab interceptione nervi cordi implantati factâ, ſcilicet à ſeri è capite in hunc depluvio.* p. 182

II. *De Palpitatione Cordis.* p. 188

III. *De Tuſſi.* p. 199

IV. *De Aſthmate Intermittente. Conſilium.* p. 212

V. *De Aſthmate Continuo. Conſilium.* p. 226

VI. *De Hydrope Pulmonis.* p. 235

VII. *De Hydrope Thoracis, & Hydatide Pulmonis.* p. 237

VIII. *De Dyſpnœâ graviſſimâ, multiplicis variique morbi Effectu.* p. 244

IX. *De Pleuritide, & doloribus Lateris.* p. 249

SECTIO IV.

Morbi Ventris Inferioris, à Proluvie Seroſa.

Cap. I. *De Diarrhœâ Seroſâ: Vomitibus aqueis.* p. 260

II. *De Doloribus totius ventris inferioris, aut certè quarundam in eo partium, ut coli, ſtomachi, veſicæ, ureterum, uteri & ejuſmodi paſſim pro colicis, ſtomachicis, nephriticis, hyſtericis, ſed perperam habitis, quippè qui fiunt per ſympathiam principii nervorum, ſexti ſeptimive parium convulſorum, à ſeroſo humore per febres in vaſis magnis effervеſcente & rapto in caput, & ſiſtente in prædictorum nervorum principio, itaque violenter diſtendente.* p. 267

III. *De Hydrope aſcite.* p. 329

IV. *De Tumoribus aquoſis, ſive Hydrop. particular. lienis & hepatis.*

tis. p. 355
V. *De Hydrope uteri, & partu Lunæ, molæ ſpecie.* p. 369
VI. *De Iſchuriâ Memorabili cum ſudore perenni.* p. 370
VII. *De Hydrocele.* p. 372

SECTIO V.

Morbi Externi Habitus, à Diluvie Seroſa.

Cap. I. *Conſilium primum de Arthritide.* p. 376
II. *Conſilium aliud de Arthritide.* p. 418
III. *De Doloribus partium externarum à diluvie ſeroſâ, perioſtia membranoſumque genus internum dividentibus: ut & ſtuporibus ſive paralyſibus ab eodem humore nervoſum genus madefaciente.* p. 432
IV. *De Hydrope ſive aquâ intercute, & tumoribus aquoſi habitus externi, à ſeroſâ diluvie tam parvis & univerſalibus, hydrois dictis, & exanthematibus aquoſis; quam magnis & particularibus, ut hydromphalo, hydrogonat. imo etiam eryſipelate.* p. 437

SECTIO VI.

Febres, *quæ in Seroſâ Maſſæ Sanguinis parte ebulliente, vel etiam putreſcente, ceu ſubjecto hærent, aut in quibus certè occaſio putredinis ſanguinis ipſius eſt eadem ſeroſa ſubſtantia.* 444

SELECTIORUM
OBSERVATIONUM
ET CONSILIORUM
DE MORBIS AFFECTIBUSQUE PRÆTER
Naturam cum ſimplicibus, tum conjunctis cum febre, qui ſeroſam colluviem aut diluviem ſive ſinceram, ſive cum arenulis, terreniſve craſſamentis, ſive cum humorum ichoribus, aliiſve excrementis permixtam confuſamque tanquam continentem cauſam habent

LIBER SINGULARIS.

SECTIO PRIMA

Totius operis præfationem continens.

M*Vltum egerunt qui ante nos fuerunt*, ait Seneca, *ſed non peregerunt, multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit, nec ulli nato poſt mille ſæcula præcludetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi.* Quæ ſanè ſapientis animadverſio ſi qua in diſciplina, aut arte pondus & authoritatem habet,

Senecæ animadverſio Medicinæ applicata.

habet, in medicina ad incolumitatem mortalium retinendam nata habuit, habebitque ſemper maximam: quod enim ævum tam rude aut incultum unquam fuit, quo non aliquod Medicina ſive ab ingenio, ſive ab arte, ſive ab exercitatione additamentum, ſeu ornamentum, quo locupletior, quàm antè fieret, acceperit? *Certè enim*, ut verè M. Tull. *recentiſſima quæque ſunt correcta & emendata maximè.*

Medicina omni ævo augmentum aliquod accepit.

Quò equidem non vana & illaudabilis animum meum hactenus inceſſit libido atque fiducia poſt tot atque tantas præſtantium in arte medicâ virorum de rebus phyſicis atque medicis commentationes, & eaſdem res adhuc ſubobſcuras ac dubias veluti ſub incudem iterum reponendi, tentandique aſſiduâ animi meditatione ex iis, tanquam ex mutuo ſilicum attritu ignem, latentem adhuc veritatem elicere, denique elicitam à communi licet medicorum ſenſu abhorrentem tandem publici juris faciendi. Ut enim ſi in ſenatu ſedeam, non audiam tantum, ſed examinem & ipſe rogatus ſententiam dicam (nam *ſemper illam unius ſequi*, argutè idem Stoicus, *non id curiæ, ſed factionis eſt*) ſimiliter mihi jam ab octo ſupra decem annos medicinam è ſuggeſtu in publico iatreio profitenti non religioni deinceps eſſe, aut vitio arrogantiæve ab aliis verti debet, ſi eum in docendo moderationis curſum tenuero impoſterum, ut aliis ac aliis ſuper quovis medico argumento ex ſe dubio, aut controverſo ſententiis, ſectiſve diverſas in partes animum trahentibus, uni diſtrictè non adhæreſcam, vel pecudis inſtar ſequar antecedentium gregem, ſed quid quiſque dicat unicè ſecurus, ſingulis dogmatis penſitatè examinatis ſuſpenſiſque unam rationem ſemper intendam ſeduloque conſulam, in unam veritatem collineem & in ea quamvis altè immerſa è rerum natura tanquam Democriti puteo, ducibus ratione & experientia eruenda tandem omnem ingenii vim explicem, contendamque. Qui namque variè & varios cum induſtria legit, cum judicio ſelegit, næ ille factionis expers veri conſors facillimè reddetur. Quid autem, ſi bonis noſtris benignius &

Cauſa ad ſcribendum impellens.

Scopus

Veritatem Ratione & Experientia confirmare.

& liberalius citra reprehenſionem nobis uti conceditur, cur non & noſtris ingeniis, tanquam equis, quò lubitum eſt cumque vehi, campumque & planitiem nactis non tam iis adducere habenas, quám laxare & immittere citra arrogantiæ crimen licebit?

Ingenium hominis liberum eſſe debet.

Dabis itaque facilè mihi, *Candide Lector*, hanc pro tua ſapientia & humanitate veniam, ut pro libertate, quam mihi natura inſevit, inſtitutio adolevit, philoſophari in omnibus ingenuè liceat, & vel à communi philoſophorum & medicorum ſenſu deflectere ea lege, ut ſi veritatem proximè attigiſſe rationum lumine ac pondere conſtiterit, quod vehementer cupio voveoque, faveas gratoque excipias animo: ſin contra me à recta ratione tantillum exorbitaſſe, quod humanum eſt, perſpicaciore judicio tuo deprehenderis, tu amabo pro tua modeſtia tam amica benevolaque admonitione in rectam reducas viam, quam prolixum paratumque ad animadverſionem tuam exoſculandam me ultro ſpondeo. Non enim prava quadam Pythagoræ, aut Epicureorum æmulatione ſomnia quædam pro [α] κυρίαις δόξαις venditare animus eſt: aut tanta religione placitis noſtris quam Deorum immortalium oraculis, aut Juris-Conſultorum reſponſis aſſenſum obligare tuum præſumo, ſed hæc qualiacunque tandem mihi licet ſedulo meditata tanquam dubia, ea tamen non levia aut futilia, ſed ejuſmodi in quorum explicatione non pœnitenda ponatur opera, è qua quippe veritas magis ac magis eluceſcat, proferri in medium à me cenſeas velim: & verò ut Appelles, ac Polycletus ſuas olim tabellas ſive imagines celte, malleumque manibus tenentes propalabant, ita ego cum ſpongia in manu tibi hæc offero, animo ſcilicet delendi oblinendique quæcunque correctione, ac litura egere videbuntur, ut qui ſi non [β] φιλοκαινίας, certe [γ] φιλοδοξίας & [δ] φιλονεικίας notam maximè pertimeſcam.

Ad lectorem allocutio.

 Quan-

α Imperantib. opinionib.
β Novitatum. } amor.
γ Gloriæ. } amor.
δ Victoriæ. } amor.

Scripta Phyſica & practica nondum evulgata.

Quanquam autem non pauca in phyſicis, & plura in practicis eaque haud vulgaria, nec publica luce indigna argumenta privatim à me animadverſa in manibus habeo, tamen quia Reipublicæ intereſt horum quam primum tyrones in arte præmoneri, ut antequam ad eam exercendam ſeriò accedant, certius de latentibus morborum cauſis *judicium, quod* [α] *Hippocratis monitu difficile eſt*, ferre valeant

In Magiſtri verba jurantium fata.

(nam qui vulgaribus imbuti dogmatis in verba magiſtrorum juraverint, eos à præoccupatis velle opinionibus diſtrahere nimium ſibi confidentis hominis eſſet, ne dicam parum prudentis) operæ precium eſſe duxi licet ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς quædam ad praxim attinentia ex hoc tempore evulgare, phyſicis in aliud tempus remiſſis.

Curatio ex dignotione cauſæ morbor. inſtituenda.

Atqui cum in exercitatione medicinæ maximum momentum ſit in dignotione cauſæ morborum continentis utpotè abſtruſæ & latentis poſitum: ſiquidem ea niſi probe cognita curatio ritè & ordine inſtitui nequit, in quo argumento nobiliore & utiliore noſtra verſari induſtria poteſt,

Vulgi error.

quàm in *explicanda continente cauſa morborum alioqui & frequentiſſimorum & graviſſimorum*, quam vulgus practicantium prætervidit, aut certe negligenter oſcitanterque examinavit? enimvero cauſarum internarum morborum in

Cauſarum morbor. intern. duo a ſcholis prædicata genera: plethora ſc. & cacochymia. quæ triplex.

univerſum ferè omnium duo paſſim genera medicæ omnes ſcholæ deprædicant, *plethoram ſcilicet, & cacochymiam, atque hanc triplicem duntaxat faciunt, pituitoſam ſcilicet, bilioſam, & melancholicam:* ex hiſce quatuor fontibus derivant deducuntque latentes omnium affectuum præter naturam cauſas. Verum pace omnium dixerim aut vana ſunt experimenta quotidiana, aut plurimæ morborum & ſymptoma-

Ex ſeri abundantia plurimæ morborum differentiæ.

tum differentiæ in *ſeroſam ſeu aqueam* rejici debent *plenitudinem*, ſive *colluviem aut diluviem* (nam cacochymiam eam vocare mihi religioni eſt cum aqua pura puta ſucci, ſive chymi, alibilis ſcilicet ſubſtantiæ nomen ſibi vindicare non poſſit, quippè quæ minimè nutrit.) Etenim in primis ſeri

Seri in vaſis collectio.

ſeu vehiculi ſanguinis [β] ſynathryſmus collectiove in vaſis, &

[α] Aph. 1. ſ. 1. κρίσις χαλεπή.

[β] Accumulatio.

& præcipuè in arteriis in toto corpore, & potiſſimum in capite neceſſarias ac inevitabiles propè cauſas habet, hinc ſcilicet quotidianam aquæ & potulentorum, quæ ſunt aquæ genera, ut vinum ex [a] *Ariſtotele*, ingeſtionem, tum verò perennem generationem ex eliquatione ſeu converſione ciborum quatuor ex elementis concretorum in ſuccum varium, ſed ex prædominio aquatilem ſive aqueum (tritis enim liceat uti vocabulis) illinc effluxum ſeri extra corpus perenni ſuæ generationi in viſceribus factæ ut plurimnm imparem & minorem cum præ denſitate cutis eaque ſive naturali, ſive adventitia ratione ætatis, conſtitutionis temporis, & ejuſmodi, tum præ obſtructione renum ac meatuum ſuæ excretioni dicatorum conniventia, vel otio, ſimilibuſve cauſis. Si igitur affluxus aquæ in corpus ejuſdem effluxu extra corpus major eſt, atque illa cæteroqui non impenditur in nutritionem, neceſſe profecto plurimum in corpore ſerum redundare. Speciatim vero cum è capite minus effluere poſſit ob cranii denſitatem, quam è reliquo corpore, majoris certè in capite ſeroſæ colluviei cauſa eſt evidentiſſima. Quod ſi adhæc vapores natura aquei è toto corpore, & præſertim è viſceribus continenter ſurſum, id eſt, in caput effumant (continens enim eſt corporis nutritio, proinde vaporum expiratio) atque occurſu cerebri ſua natura frigidi calorem vapores efferentem neceſſe eſt remitti, ideoque eos ſponte quodammodo congelaſcere, & ad nativum aquæ ingenium reverti; per denſitatem vero ejuſdem cranii neque vapores antequam aqueſcant, aut jam in aquam reverſi nequeunt expirare, neque penitus reſolvi per loci teporem, capiplenii certe aquoſi prope inevitabilis eſt neceſſitas.

Collectionis cauſæ.

Argumentum.

Argumenti probatio.

Ex Collectionis ſeri in Capite inevitabili neceſſitate.

Præterea *ſerum* in corpore ſtagnans ob ſubſtantiæ tenuitatem & vernaculam fluxibilitatem varias ſane alterationes, & præſertim fervorem identidem induere, ſive à calore in nobis actuali, ſive ab externo quocunque & præſertim ambientis aëris, moxque deponere per receſſum cauſæ calefacientis à natura pronum eſſe, adinſtar partis aquoſæ in vino atque aliis ſuccis vitalibus, quotidiana confirmat expe-

Seri in corpore ſtagnantis effectus.

 rien-

[a] 4 Meteor.

Seri varius motus, ſedes.

rientia. Sed & varios quoque idem ſerum motus locales ſive ſponte, ſive ab alio pati natum eſſe evidens eſt ſatis: ac cum in vaſis naturalem habeat ſedem, primumque ex truncis ſeu ſtipitibus eorum derivetur, ipſique vaſorum ſtipites multiplices in propagines deducantur ita, ut vaſa ſibi ſint quodammodo continua, eorumque extremitates ſingula membra, tam interna quam externa excipiant, adeo ut nullum membrum expers ſit vaſorum ſive venarum, ſive arteriarum, & porro *corpus omne ſit confluxile ac ſpirabile* annotatione [α] *Hippocratis* ob ingenitam ejus raritatem, ſerum profecto huc illuc moveri impellique proclive eſt, & irruere in omnia membra, atque non tantum ex internis invadere externa, aut è ſupernis vel torrentis in morem confertim præcipitari ac decumbere in infernas & ſubjectas partes, vel lente depluere in eaſdem; ſed contrario niſu ex inferioribus ſupernas impetere ac in eas deſpumare; denique ab extimis remeare in intimas, & ab uno latere in aliud exundare latus. Atque quanquam ſerum cum ſanguine coit, tamen quia non niſi imperfectè miſcetur & confunditur, ideoque facile ſeparatur, atque ex alia parte aquæ ingenita eſt propenſio & [β] ὁρμὴ ſurſum quotieſcumque rarior fit, inde ſerum ferveſcens in vaſis præter naturam à quacumque cauſa facile ſeſe exolvit à ſanguinis permixtione, eique ſupernatans & deſpumans ſponte ſua ſurſum movetur effertur que, itaque caput invadit tum per ſe quoties fervorem concipit vel levem, qui immixtum ſanguinem nondum fermentare & calefacere poſſit, tum vero rapitur cum ſanguine, ſi hunc ſemel fervere eveniat à majore ſcilicet calore fervore concepto, quod ſanguini tenui & bilioſo maxime eſt familiare.

Propagines vaſor. ſeriferorum.

Serum facile à ſanguine ſeparatur.

Sponte ſua ſurſum movetur, & caput invadit.

Duplex liquor in vaſis.

Quia verò contrà tenuia fluxaque corpora & verò minimè lenta viſcidaque facilè in ſeſe invicem coëunt, *ſanguinis autem utriuſque, qui in vaſis continetur, duæ ſunt partes diverſo*

α Lib. de alim. p. 381. l. 39. ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα, confluxio una; conſpiratio una, conſentientia omnia.

β Ὁρμὴ animi appetitio, quâ ad id, quod viſum eſt, movemur Fœſius Æcon. Hippocr. p. 280.

verſo ſubſtantiæ modo affectæ, una ſcilicet tenuis liquidaque ichor vocata, altera craſſa terrenaque, cujus utriuſque quatuor ſunt in genere differentiæ totidem elementis reſpondentes, ſerum ſane inter decurrendum per vaſa abſtergit diluitque & ſibi neceſſario immiſcet partem aliquam ex iis ichoribus quæcumque in maſſa redundaverit & ſeparata fuerit (ut evenit ſeparari ſanguine putredinem contrahente) eamque ſibi aſperſam & affuſam ſecum devehit & tranſportat quocumque feratur. Qua ratione idem ſerum perfunctum jam ſuis muneribus, è vaſis capitis exiliens, & ſecundum vaſorum ſpiras, ſubſtantiamque cerebri diſtillans diluit inter decidendum ſibique permiſcet mucoſa lentaque cerebri excrementa, à quorum permixtione lentorem contrahit, uti & per fervorem. Ferè autem ſemper confuſum eſt ſerum cum arenulis ſeu terrenis craſſamentis, quia nulla fere aqua ſincera puraque & à ſordibus terrenis defecata in uſum venit quotidianum.

Seri circulantis effectus per totum corpus.

In capite.

Seri commixtio cum craſſamentis terrenis & arenulis.

Jam vero aqua quæcunque ſtagnans facilè puteſcit putreſcitque,

Aquæ ſtagnantis effectus.

Et vitium capiunt ni moveantur aquæ,

inquit Poëta: Quò non mirum ſerum ſive in vaſis redundans præque copia haud liberè hac illac perfluens, ſive extra vaſa alicubi collectum & cunctabundum corruptelam & putorem quendam contrahere, certè eſſe cauſam facilis putrefactionis: cuius ſignum eſt quod docet experientia omnia mixta â putredine præſervari, ſi vel ſale, vel igne, vel ſole ita exſiccentur, ut humidum aqueum, quod eſt cauſa putrefactionis eliciatur: exemplo ſunt carnes animalium mortuorum, quæ facile ex humido aqueo putreſcunt, ſed eo conſumpto ſive ſale, ſive fumo diu durant, quia manet humidum oleaginoſum, calidum natura ideoque reſiſtens putredini, & continuans conjungenſque partes ſimul.

Serum cunctabundum facilis putrefactionis cauſa exiſtit.

Contra putredinem remedia.

Exemplum.

Poſtremo quanquam tenuis fluxuſque inſit ſero ſubſtantiæ modus, tamen in corpore humano ſi illud magna vi compulſum truſumque irruat confertim aliquò, id non mediocrem vim habere ſive in comprimendis diſtendendiſque

Seri ſubſtantia ejuſque magna vi compulſi effectus.

VIO-

violenter ac etiam frangendis corporibus objectis fluxum ejus cohibentibus ac ſiſtentibus, ſive in deturbandis ſecumque deportandis corporibus craſſis ac gravibus verbi gratia lapillis, nedum arenulis, ſive in eluendis abſtergendiſque lentis & apprimè hærentibus humoribus indicant manifeſtè, ſi parva licet componere magnis, ruinæ riparum, aggerum terrenorum, & ædificiorum, quas fluminum diluvia & inundationes invehunt.

Confirmatio à ſimili, à majori ad minus.

Vidimus flavum Tiberim retortis
Littore Hetruſco violenter undis
Ire dejectum monumenta Regis,
Templaque Veſtæ. Horat.

Nam quid ruinas quas ſecum trahunt torrentium aquarum præcipites ex alto caſus, curſuſque neceſſe eſt memorare?

Rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata læta, boumque labores,
Præcipiteſque trahit ſylvas. Virgil.

quod ſi denique

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ graviori caſu
Decidunt turres. Horat.

an non aquæ in humano corpore commotæ impetu concuti percellique & vehementer violenterque diſtendi poſſunt membranoſa corpora?

Aquæ & ſeri in corpore commoti innumera affectuum genera.

Quæ cum ita ſint mirum ſane videri non debet innumera affectuum genera hominem infeſtare *à ſero ſive aqua* eaque in parte, ſeu ſpatio eoque naturali, aut non naturali, vel deſubito & confertim invadente ſpontè aut ab alio compulſa, ſive ſublata, ſive detruſa depreſſaque, ac eadem putreſcente, aut fervente aliterve affecta, denique ſincera, confuſaque ac permixta ſive cum arenulis ſordibuſque terrenis, ſive cum ichoribus humorum, qui maſſam ſanguineam conflant, ſive cum aliis ſuccis excrementitiis, ſeu reliquiis ex nutritione particulari membrorum ſuperſtitibus ſuccreſcentia. Scilicet cum humanum corpus conſtituatur *ex tribus ventribus, capite ſcilicet, thorace, abdomineque,*

Corpus humanum ex tribus con-

neque, & artubus: ſuperiorem quidem ventrem ſive caput, atque externum quidem ſeroſæ colluviei effectus hice pertentant affectus (liceat enim ſequi ordinem, quem Autores practici paſſim obſervant à capitis ſcilicet affectibus ut labri communis aquæ in univerſum diſtribuendæ, iiſque externis tanquam evidentioribus) *Hydrocephalos, parotis aquoſa, genarum, gargareonis, & glandularum oris, ac maxillarum tumores diales, doloreſque aurium, hypochyma, & ſimiles: internum vero hemicrania, graveſque capitis dolores ſed fugaces, & prænuncii graviorum morborum, tum vertigo, carus, apoplexiæ quædam ſpecies, Lethargus, & epilepſia. Thoracem verò, ſive medium ventrem premunt opprimuntque ſyncope, palpitatio cordis, catarrhi ac tuſſes, tum graves in ſpirando difficultates, & aſthma, hydrops pulmonis, hydatides in pulmone, hydrops thoracis dictus, denique dolores lateris pleuritici: Imum autem ventrem diarrhææ aquoſæ, convulſiones inteſtinorum ac veſicæ, uterique, ſeu dolores totius ventris, renum, ac ureterum, hydrops totius abdominis, hydrops particularis uteri, molæ quædam ſpecies, quæ partus lunæ dicitur, denique Hydrocele. Artus porro affligunt arthritidis plures ſpecies, tremor, ſtupor, paralyſis, membrorum dolores. Poſtremo membra externa internaque ſimul, & totum corporis habitum afficiunt hemiplegia, cachexia, aqua intercus, febres variæ, mador totius continuus & fœtidus, tumores hydatodes, hydroa cironibus prægnantia, & exanthemata lata, pruriginoſa, & ejuſmodi.*

ſtituitur ventribus, & artubus.

Ordo tractationis in ſequentibus.

Morbi capitis externi à ſero.

Capitis interni.

Thoracis.

Imi ventris.

Artuum.

Totius corporis habitus.

Tametſi vero non ierim ego inficias partem horum affectuum eſſe germanam quandoque ſobolem alicujus *è cacochymiæ ſpeciebus*, ut affirmat communis medicorum ſententia, tamen eoſdem frequentiſſimè ab *una ſeroſa ſive colluvie, ſive diluvie* foveri ex accurata penſitataque naturæ ægrorum, tum ideæ, conſtitutioniſque commemoratorum affectuum, atque accidentium quæ iiſdem conjunguntur, contemplatione ſemper deprehendi: *nec reclamabis, ſpero, candide lector, ſi priuſquam judicium feras; ac cenſuræ gladium in unum caput diſtringas, non graveris* (quod te per tuam humanitatem etiam atque etiam rogo) *univerſum per-*

Affectus hi ſpeciei cacochymiæ non adſcribendi ſed ſoli ſeroſæ colluviei.

Admonitio ad Lectorem.

Cauſam enumeratorum affectuum plenitudinem ſeroſam eſſe, probatur.

I. A ſpecie humorum, qui à natura & arte excerni ſolent.

currere opus & ſingula rationum expendere momenta. Interea vero dum ſigillatim enumeratorum affectuum *cauſam materialem ſeu fomitem eſſe plenitudinem ſeroſam* aſtruere & demonſtrare non levibus argumentis inſtituo, hæc pauca argumenta novæ hujus doctrinæ communia & demonſtrativa alioqui habeto & conſiderato, & *primum* hoc hauſtum *à ſpecie eorum humorum*, qui in turbationibus alvi ſive ſpontaneis, ſive arte factis excerni ſolent. Si namque in omnibus in univerſum non tantum ægrotis ſed neutris, imo ſanis cujuſcumque temperaturæ, ſexus, aut ætatis, & quovis anni tempore (excipio autem cum malignis febribus correptos, in quibus ſanguis quidem exuſtionem aut corruptelam ſubierit, & viſcera inſigni intemperie ac cacopragiâ laboraverint, tum aliis morbis, quorum mentio particularis à nobis non fit, qui ſunt ſoboles plenitudinis, vel cacochymiæ triplicis ab omnibus ſcholis duntaxat receptarum) ſi (inquam) dejectiones quocumque modo ſuccedant, *aqueæ* ferè ſunt ex prædominio, & *ſeroſam colluviem* præ ſe ferunt, licet modò reliquiis fecum conſpurcatam, modò multa bile tinctam, *quæ dejectiones Hipp. dicuntur* [α] ὑποχωρήματα ὑδατόχλωρα, modò mucoſo humore, aut pinguedine permixtam, abſterſis ſcilicet iis ab inteſtinorum parietibus, quos oblinunt ſecundum naturam, à ſero ſive aqua per ea decurrente; tales namque *dejectiones* à me hactenus duntaxat fere ſemper ſunt *obſervatæ*, & *obſervarunt obſervantque* pariter, nec diffitebuntur exercitati quique & candidi Medici: ſunt porro eæ dejectiones *utiles* ſive perfectam, ſive certè imperfectam adferant ſolutionem, certè colligere eſt frequentiſſimam præ ceteris morborum frequentium alioqui, qui ſunt ii ipſi quorum hiſtoriam meditamur, materialem cauſam eſſe ſeri in corpore redundantiam, quacunque ex cauſa ea ſuccreverit, ſive ob partium, hoc eſt, viſcerum intemperiem calidam immoderatè ſcilicet attrahentium atque ex cibis exugentium aqueum & fluxum omnem liquorem, ſive ob denſitatem cutis, vel vitium partium earum, quæ ſero ſecer-

II. Ab Experientia e propria & aliorum obſervatione deſumptâ.

III. Ab utilitate Aegrorum.

nendo

[α] Coac. prænot. Aph. 134. egeſtionibus aquæ ſimilibus.

nendo excernendoque extra corpus ſuam navant operam. Nam quid cauſari opus eſt *varias criſes*, quæ per ſudorem, aut per urinas copioſas, pariterque cum ſpuitione larga, aut vomitu aqueo perficiuntur, quæ evidenter convincunt plurimos morbos à *ſeroſa colluvie* generari & genitos conſervari? Profectò *his & ſimilibus experimentis* inductus *Magnus Hippocrates* [α] *omnes morbos ab aqua & bile naſci prodidit*, ſiquidem ſerum paſſim bili immixtum redundat in vaſis. Quin [β] idem tantum momenti in *corporis exercitatione* ad retinendam ſanitatem poſuit, *ut inevitabilem eſſe morborum neceſſitatem affirmarit niſi congruus labor cibo potuique acceſſerit.* Quod ſi exercitatio ſanitatem retinet firmam & à morbis vindicat, non aliter autem id præſtat quàm quia redundantem in toto ſeroſam atterit abſumitque humiditatem, quis hanc ipſam morborum dubitabit uberem eſſe materiam?

IV. A Criticis excretionibus.

V. Ab Autoritate Hipp.

VI. Ab Exercitio corporis intermiſſo.

Atqui quò clarius affectuum commemoratorum ſeroſa colluvies ſive diluvies intelligatur eſſe cauſa continens, decrevi particulares quaſdam hiſtorias ſeu obſervationes eaſque ſelectas è magno numero deſcribere, quia nimirum ex nativa ægrotantium temperie & particulari ipſorum affectuum idæa & conditionibus, ſolutionis modo, ut & invaſionis, ac ſpecie excretionis, & cæteris conſpirantibus & indicantibus plenitudinem ſeri demonſtratio petita fidem luculentiſſimam & omni exceptione majorem eſt acceptura: itaque novitas noſtrarum aſſertionum in lectorum animos facilius gratiuſque ſeſe eſt inſinuatura, altiuſque hæſura non ſine magna ægrotantium utilitate, ſiquidem cauſa continente certa veraque conſtituta curatio ritè atque ordine procedat neceſſe eſt.

Decretum Autoris.

Cauſâ morbi continente cognitâ, curatio benè ſuccedit.

Quoniam autem de *ſero* ejuſque affectibus omnis diſputatio à nobis inſtituitur, ne quid temerè & gratis nos in cauſarum diſcuſſione accipere vitio verti poſſit, *ejus certè in*

 cor-

α Lib. de locis, aquis & aëre paſſim. lib. 4. de morbis in pp. νόσηματα γίνονται ἀπὸ τ̃ χολῆς ϗ ὕδρωπος.

β Hipp. lib. 1. de diœta Aph. 5. ὀυ δύναται ἐσθίων ἄνθρωπος ὑγιαίνειν ἢν μὴ ϗ πονέῃ. Homo edens ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam laboret.

Seri in corpore uſus, Natura & cauſæ, in ſequentibus Theorematis, tanquam fundamenta dicendorum, explicantur.

corpore uſus naturaque, *tum verò cauſæ ſeu fontes*, id eſt; partes quæ ejus ſive proventus & collectionis uberioris ſunt opifices, ſive diſtributionis principia & veluti termini, à quibus id in alias partes depluere ſolet, aperienda præmittendaque à nobis tanquam fundamenta enarrationum ſequentium paucis quibuſdam theorematis unà cum demonſtrationibus ſingulorum theorematum, quæ theoremata ex *Phyſiologia magnæ ſyntaxeos medicæ* commodùm repetuntur à nobis, quam ſyntaxin præ manibus habemus, qua univerſam ordine analytico medicinam, ſingulaque in ea argumenta ad inſtar mathematicarum diſciplinarum ſingularibus Theorematis, & demonſtrationibus mutuò ſibi connexis & colligatis complector, explicoque ſcientificè quidem ſed compendiosè tamen, & ad uſum docendi huic ævo gratiorem accommodatè, ut intra quadriennium ſoliſſimam & perfectiſſimam auditores cognitionem totius medicinæ quanta quanta eſt haurire poſſint. Ad quod longioris quippe ſpiritus opus exiguum hocce opuſculum præincitamentum tibi eſſe volui, *benigne Lector*, idque non inutile (ut ſpero) futurum.

Syntaxeos medicæ Promiſſio.

Ejus neceſſitas & utilitas.

THEOREMA I.

Seri in corpore uſus, Primarii,

SEri ſeu aqueæ humiditatis ſive cum cibis ingeſtæ per ſe, ſive è cibis expreſſæ & affuſæ chylo, ſanguini utrique, nec non ſecundis quatuor humiditatibus primarii quidem uſus ſunt coctionem triplicem, quæ in viſceribus & univerſo corporis habitu navatur, moderari atque ad elixationem adducere gratia melioris ſubſtantiæ modi, tum verò diadoſin ſeu diſtributionem chyli, & ſanguinis utriuſqve per anguſta vaſa juvare: ſecundarii autem uſus ſunt humores ab inflammatione, membraque ipſa mobilia præſertim ab immoderata exiccatione prohibere, atque motum eorundem juvare, denique ſpeciatim guſtus, vaciſque inſtrumenta humectare gratia complementi propriorum cujuſque munerum, & gratia incolumitatis totius retinendæ.

Secundarii, & Speciales.

Serum, Coctionem in ventriculo

Serum primam ciborum externorum coctionem, quæ in ventriculo navatur, adducere ad elixationem inſinuat ſitis, ſive appe-

appetitus humidi aquei inſurgens urgenſque ſecundum naturam ſtatim ab aſſumptis cibis ſolidis ac ſiccis, cui niſi potu & liquore hauſto provideatur, ipſa invaleſcit, nidorque & amaror os infeſtant: hæc namque indicia ſunt ciborum ſuâ naturâ quippè terreſtrium, ideoque ad uſtionem proclivium jam jam uſtulatorum & aliquatenus aſſatorum; quorum ſanè averſio à potu facta arguit cibos elixari beneficiò humidi aquei immixti cibis.

adjuvare, indicat ſitis;

Similiter *hæmatoſin in hepate ac liene factam beneficio ſeri ad elixationem referri* ſignum eſt quod *ſero maſſæ utriuſque ſanguineæ per ardentes febres conſumpto ſanguis ipſe facilè uritur, & retorridus bileſcit*, imò atrabileſcit, unde febres, quarum fomes ſanguis, in tertianas & quartanas ferè degenerant, & aliàs *obſervatione* α *Galeni* ipſæmet Synochi febres à ſanguine inflammato aquæ potu jugulantur, incendio ſcilicet ſanguinis ab aquæ humiditate coërcito.

Hæmatoſin in hepate ac liene perficere, probat, ſero conſumpto, ſanguinis exuſtio.

Denique *tertiam & particularem, quæ in ſingulis fit membris, coctionem alimenti communis ejuſdem ſeri affuſione ad elixationem revocari teſtatur inprimis ſitis*, quæ aut ſequitur abſumptionem humidi roridi ſeu aquei illatam ſive à calore membrorum inſito, ut per inediam & potus defectum, vel per immoderata exercitia, ſive ab extraneo calore cauſiſque externis exſiccantibus ut æſtivo aëre, aut quæ ſequitur diverſionem ejuſdem ſeri ſive ad renes ut in affectu diabete, ſive ad alvum, ut in diarrhæa ſeroſa. Præterea *idem confirmant febres tum cauſi, tum hecticæ*, quæ β *Hippocratis obſervatione* ſeri in corporis habitu conſumptionem conſequuntur præſertim in corporibus calidis, calore habituali ſecundas quatuor humiditates, ſolidaque membra ſua humiditate exinanita facilè occupante. Atque hæc argumenta non ſolum triplicem in humano corpore coctionem ſeri affuſi beneficio ad elixationem evincunt adduci, ſed *humorum*

Particularem coctionem in ſingulis membris moliri, teſtatur iterum ſitis,

Et confirmant febres.

α Lib. de ſanguinis miſſione.

β Lib. de rat. victus in morbis acutis Aph. 35. Καῦσος γίνεται ὁκόταν ἀναξηρανθέντα τὰ φλέβια ἐν θερμῇ ὥρῃ, ἐπισπάσηται δριμέας καὶ χολώδεας ἰχῶρας ἐς ἑωυτά. Febris ardens fit, quum reſiccatæ venulæ hora æſtiva acres ac bilioſos ſeroſos humores in ſe ipſas attraxerint.

rum quoque *omnium & membrorum temperiem in ſua mediocritate conſervari, & à præpropera vindicari exſiccatione.*

Enimvero alimento cujuſcumque gradus mediocris ſubſtantiæ modus, ſed fluxilis tamen ratione diſtributionis competit, qualis certè per *elixationem in omnibus ſuccis comparari ſolet*, cum per *aſſationem* alienus utique ſubſtantiæ modus inferatur; uſta enim & igneam ſiccamque temperiem habent, & continuitatem non facilè retinent. Præterea cum *hominis natura mediocrem obtineat temperiem* ex phyſiol. mediocris ſanè quædam temperies in ſuccis humano corpore alendo idoneis deſideratur, ſiquidem ſimilitudo quædam inter alimentum & corpus alendum intercedat oportet, quæ mediocris temperies non ab aſſatione, ſed elixatione relinquitur, ut eſt per ſe notum. Quoniam ergo mixta terræ & aquæ communia ab actuali calore vehementius alterata uri aſſarique magis minuſque pro terræ vel aquæ prædominio ſunt à natura prona; pariterque corpora oleoſa & pinguia inflammationi ſunt propiora; quæ verò plurimâ aquâ abundant emollitioni & elixationi, quæ univerſa in phyſicis ſunt demonſtrata: porrò *externi cibi* quidem magnam partem ſunt mixta terræ & aquæ communia, ut & ſanguis præſertim venoſus: quatuor autem ſecundæ humiditates, & ſanguis arterioſus oleoſam ſapiunt naturam, ut in phyſicis inſinuatum, & ſuo loco uberius demonſtrabitur, ergo ut triplex hoc alimenti genus non ad aſſationem, quæ eſt caloris ſicci & urentis opus, ſed ad elixationem, quæ eſt caloris humidi opus, ut ex phyſicis conſtat, adducatur, omnibus profectò humiditas adjungenda aquea fuit, cujus merito calor in nobis actualis coctionem alimenti ad elixationem promoveret, & propenſionem ſive ſanguinis, ſive quatuor humiditatum, ſive etiam ciborum externorum ad uſtionem & inflammationem coërceret.

Elixationis & aſſationis differentia.

Hominis natura qualem temperiem obtineat.

Corporib. terræ mixtis & aquæ communib. quid accidat à calore vehementi: Oleoſis & pinguibus. plurimâ aquâ abundantib. Externorum cibor. & ſanguinis venoſi Itid. quatuor humiditatum & ſanguinis arterioſi natura. Aſſatio. Elixatio.

Adde quòd membra in nobis & præcipuè quæ in continuo ferè ſunt motu in ſiccitatem propter perpetuam rerum circumſtantium & exſiccantium viciniam inclinant, itaque perpetua quadam humectatione hæc membrorum propenſio eſt retardanda: quò ſanè membra omnia humiditate

Membra mota in ſiccitatem inclinant:

ditate quadam irrorari oportet ut ab immodica vindicentur exſiccatione: Quoniam autem aqua plurima aſſumitur per ſe, & eliquatur ex cibis ſolidis, non nutrit autem aqua, meritò ii uſus mandati ſunt aquæ alioqui ſuperfluæ. *Quamobrem meritò ſerum ſuccis in corpore alibilibus, atque adeò membris aſſuſum fuit gratiâ elixationis illorum utilis ad mediocrem ſive temperiem, ſive ſubſtantiæ modum: tum verò temperationis & humectationis intempeſtivam membrorum exſiccationem avertentis.*

Quam ſerum avertit.

1. Theorematis ulterior aſſertio & confirmatio. Quo ad ſeri uſus primarios. α. Ex natura ſanguinis craſſi & ſeri experte,

Age verò à *ſero meabilitatem & fluxilitatem accedere chylo, utrique ſanguini, & primis ex quatuor ſecundis humiditatibus cum ex ſe eſt evidens, tum ex his conjicere eſt*: nam venarum ſanguis [α] ἄκρατος expers ſeri vix ac ne vix præ ſua craſſitie è venis exilire, nec niſi lento pigroque lapſu ſtillare ſolet, & quandoque duntaxat præmiſſa brachii aut cruris humectatione per fotus, aut balneum defluit; imò quandoque ejus ſeri defectu incraſſatur in vaſis præſertim ætate conſiſtente, & in obeſo habitu, ut immobilis & incuneatus ſibi concreſcat quodammodo, & coaguletur, concretuſque vitalis ſpiritus è corde ad caput influxum intercipiat; à qua cauſa intervenit [β] *apoplexia Hippocrati dicta ab interceptione vaſorum, ſive ſyncope*: contrà autem plurima ſeri affuſio utrique ſanguini frequentiſſima eſt ejuſdem effluvii extra corpus cauſa, quemadmodum ſatis indicant hæmorrhagia & hæmorrhoides familiares iis, quibus ſanguis tenuis ac fluxilis nimium eſt per ſeri copiam.

(Apoplexia ab interceptione vaſorum Hippocrati dicta.)

β. Ex lentore Chyli & Sanguinis,

Enimvero quoniam & chylus, & ſanguis uterque præcipuè ſunt corpora craſſarum ac lentarum partium, ratione autem craſſitiei quidem haud facilè poſſunt diſtribui trahique per flexuoſa & intorta vaſorum itinera, præſertimque eorum quæ acclivia ſunt, parteſque ad ſuperas repunt; ratione verò lentoris facilè adhæreſcunt: itaque neque facilè trahi, neque pelli poſſunt. Ex parte alia porrò ſuccos eos

facilè

α Ἄκρατος merus, ſincerus, non mixtus.

β De rat. victus in morbis Aph. 37. τὸ δὲ, ἄφωνον τινὰ ἐξαίφνης γένεσθαι, φλεβῶν ἀπολήψιες ποιέουσιν. Ut aliquis derepente voce privatus fiat; venarum interceptiones faciunt.

7. Ex uſus neceſſitate ſuccorum permeabilium.

8. Ex ſanguinis & Chyli motu neceſſario, putredinem arcente.

Aquæ natura & efficacia.

facilè permeare atque diſtribui per vaſorum innumerorum anguſtias neceſſitas uſus depoſcit, ut & incolumitas propria non niſi minimam moram trahere permittit. *Siquidem ſanguis (quippè aquæ genus,) loco calido concluſus ni aſſiduò moveatur putreſcit neceſſariò, itaque fluxilitas ſeu meabilitas omnino neceſſaria eſt chylo, & utrique ſanguini; quam quia à natura non habent aliundè accipiant neceſsè eſt :* quia ergo aqua eſt primum fluxile humidumque ex ſe corpus (nam aër ob mirificam tenuitatem elabitur nec cohæret, aut alteri conſiſtentiam dare poteſt) aqua ſanè cum chylo, tùm utrique ſanguini affundenda fuit gratia partim diſtributionis eorum facilis per vaſorum anguſtias, partim propriæ conſervationis eorundem, ſive immunitatis à putredine.

2. Quo ad uſus ſecundarios; Ex neceſſitate, ad motum animalem, quem humiditas promovet,

Ejuſque defectus depravat.

Quod autem attinet ad *reliquos uſus ſeri ſecundarios*, notum eſt ſatis ariditatem cum rigore conjunctam eſſe, humiditatem contra flexibilitatem conſequi : atque hanc quidem ad motum animalem maximam adferre oportunitatem, hunc autem incommoditatem potius : itaque conſtat mediocrem quandam humiditatem ad motus animalis facilitatem in membris mobilibus requiri. Præterea experientia docet câ aquâ, qua membranæ toto corpore, meningum ſcilicet cerebri apophyſes, oblitæ ſemper conſpiciuntur, & potiſſimum inania articulorum ſpatia, in quæ perioſtia & membranæ muſculorum propriæ unà cum nervis & tendinibus deſinunt & terminantur, per febrium ardorem abſumptâ, inceſſum motumque animalem crurum & brachiorum depravari cum quodam oſſium fragore & conquaſſatione ut in convaleſcentibus, & in quibuſdam ſqualidis corporibus à lue venerea obſervare eſt.

3. Quo ad uſus ſpeciales;

Ex oris & linguæ ſiccitate: qua guſtus, loquela & deglutitio læduntur.

Similiter experimento conſtat aquâ, quâ unuſquiſque experitur continenter & perpetuò ferè ſibi os & linguam madeſcere, per diætam præſertim ſudorificam, labores corporis immoderatos, ſitis tolerantiam, & præſertim febrium ardorem exſiccatâ, guſtum, loquelam, deglutitionem non mediocriter lædi, vocemque ſpeciatim præ nimia ſiccitate oris & faucium clanguloſam reddi; guſtum autem depravari, ſcilicet cibaria amareſcere aut ſalſuginoſa judicari

cari ſi aqua illa linguam & palatum irrorans ichore bilioſo aut ſalſâ pituitâ fuerit perfuſa.

Enimvero quoniam univerſa membra, quæ motui animali inſerviunt & præſertim quæ loquelæ, & reſpirationi, ferè ſunt in aſſiduo motu, à quo non mediocriter exſiccantur, & eo magis quo ſuâ naturâ in ſiccam propendent temperiem, & ſpeciatim lingua, & palatum guſtus organa humiditate quadam irrigari debent, ſiquidem ſaporum medium eſt humidum, ut ex phyſicis conſtat, itaque membra mobilia reſpirationis, loquelæ, & guſtus humoris perpetuo irrorantis & humectantis affluxu indigent. *Ex alia autem parte ſerum perfunctum ſuis primariis uſibus multum ſuperfluit in corpore, oportunè certè illud derivari debuit & diffundi in artus membraque motui animali dicata & præſertim reſpirationis & loquelæ, pariterque in organa guſtus: ut illa quidem à præpopera exſiccatione neceſſario impendente atque uſibus ſive motibus eorum incommoda vindicarentur, hæc autem guſtui accommodata organa ſeſe exhiberent, & ita incolumitas eorum membrorum uſuſque retinerentur.* Præcipuè cum partes iſtæ in aſſiduo motu ſint. Dictorum concluſio.

THEOREMA II.

Sero inſunt natura aquea, temperies humida frigida, tenuis & fluxus ſubſtantiæ modus, & affuſio ſanguini utrique & toti corpori, denique commixtio bilis excrementitiæ propter utilitates partim temperamenti caloris coctionem omnem in corpore ad elixationem adducentis, partim vehiculi cum chyli, tum ſanguinis per anguſta vaſa, partim refrigerationis ſive ſanguinis, ſive humidi primigenii inflammationem utriuſque impedientis, partim roris veluti cujuſdam membra perpetuo fere mobilia à præpopera vindicantis exſiccatione, & motum proprium juvantis, partim denique humiditatis guſtui neceſſariæ. Propria ſeri indoles.

Quoniam *uſus ſeri poſiti ſunt ex theor. ſuperiore partim in caloris temperamento coctionem ſuccorum omnium alibilium cujuſcumque generis ſive communium, ſive etiam propriorum ad elixationem adducente, partim in quodam vehiculo eorumdem ſuccorum communium per vaſorum anguſtos admodum canales,* Ejuſque uſus brevis repetitio.

partim in ſanguinis utriuſque & membrorum omnium refrigeratione, coërcente eorumdem inflammabilitatem, partim denique in irroratione partium aſſiduò mobilium; atque temperamentum quidem caloris coquentis & elixare non aſſare nati in humiditate poſitum eſt, ſiquidem elixatio eſt coctio quæ fit à calore in humido; humidum autem cum ſit duplex, & aërium inflammabile quidem uſtioni, aqueum vero elixationi ſit opportunum; vehiculi ad hæc ſuccorum ratio omnis cum in fluxilitate viget, tum in correctione qualitatum motum retardantium, craſſitiei ſcilicet, & lentoris, quarum illa tractionem ſeu motum ſurſum potiſſimum impedit, hic motum utrumque tractum ſcilicet & pulſum, & illa corrigitur attenuatione ſeu mixtione corporis ex ſe tenuis, hic deterſione: *fluxilitas porrò ſuccis additur commodè affuſione corporis ex ſe fluxi & humidi, qualia ſunt aqua, vel aër, ex quibus aqua melius cum aqua ſeu aquæ generibus, ut eſt ſanguis, coire poteſt quam aër,* qui apprehenſionem & confuſionem corporis craſſiuſculi effugit, & celerrimè elabitur; *Uſus præter ea refrigerationis ſuccorum inſitam eorum propenſionem ad inflammationem ſiſtentis in contrariâ igni naturâ conſiſtit, proindeque in humiditate craſſa conjunctaque cum frigore, qualis eſt in aqua; denique remedium exſiccationis immoderatæ in humectatione ab extrinſeco poſitum eſt,* primum autem humidum eſt aqua, quæ propter craſſitiem actuoſa magis eſt in humectando, quam ipſe aër, & craſſitiem lentoremque ratione fluxilitatis diluit, efficitur profectò ſerum gratiâ multiplicis uſus aqueum eſſe debere.

Coctio fit à calore in humido: Humidum duplex, aërium & aqueum,

Succos craſſos fluxiles reddit,

Ad inflammationem propenſos refrigerat,

Et exſiccationem immoderatam impedit.

Quia tamen lentor deterſoriam vim requirit, quæ vis bili ineſt, quippe amara ſuâ naturâ, meritò ſero affunditur nonnihil bilis excrementitiæ. Eguit autem ſerum ad eoſdem uſus humiditate quidem, & tenuitate ad omnes, ſed frigiditate ad temperationem ſive caloris coquentis, ſive ſanguinis præſertim arterioſi, ſive humidi primigenii inflammationem eorum prohibente: quoniam denique ſeri uſus referuntur ad ſuccorum elixationem, temperationem, & deductionem, quos explere melius nequeunt, quam ſi intimè iis permiſceantur, & undequaque attingant, *certè ſerum meritò*

At lentorem ſuccorum bilis ſero affuſa detergit.

Dictorum concluſio.

ſo ſuccis omnibus affunditur, unaque cum iis totum pervadit corpus, decurritque per omnia vaſa.

THEOREMA III.

Lien eſt cùm officina ſanguinis tenuis & calidi, qui in arteriis continetur, quem ſanguinem ex tenuiore chyli portione attractâ generat, genitumque pulſu in univerſum corpus diſtribuit gratiâ reparandæ ſubſtantiæ in nobis carnoſæ, tum principium radicationis venarum gaſtricarum & epiploicarum, nec non principium radicationis arteriarum, & ſubſtramen ſeu tomentum radicum eorumdem vaſorum, denique fons alter iſque præcipuus ſeri in corpore neceſſarii dictos antè ob uſus. Lien ſtatuitur alter ſeri fons eſſe, & ſanguinis tenuis ac calidi officina.

Quoniam venarum gaſtricarum, coronariæ, & gaſtro-epiploicæ ramuli lati per epiploum inſertique in ventriculum, & nullam cum porta hepatis communionem habentes, ſed partim ramo ſplenico conjuncti, partim per ſe ſeorſim ipſi lieni implantati, pariterque vas breve immediatè exortum è liene, ut gaſtricæ, & epiploicæ, omnes (inquam) hæ venæ è liene vel immediatè, vel mediatè per ramum ſplenicum ſeu portam ſplenicam exortæ, & poſt longos plureſque anfractus tandem omnes ventriculi corpori variis in locis inſeruntur, atque omnes deductioni alicujus materiæ ſuam navant operam, ergo per eas aut lien è ventriculo aliquid accipit, aut contrá lien in ventriculum aliquid refundit. Venarum gaſtricarum coronariæ & gaſtro-epiploicæ exortus & inſertio.

Sed enim lienem à ſe in ventriculum reliquias ſucci melancholici, quem ex ſanguinis maſſâ in hepate genitâ ſecreverit atque repurgaverit, non refundere in ventriculum ſive excitandi appetitus gratiâ, ſive conſtringendi ejuſdem ventriculi ad meliorem ciborum amplexum & retentionem juvandam hæc ſunt argumenta. Nam in primis cum alimentum externum ſuis inutilibus partibus, terrena ſcilicet & aërea ſeu flatuoſa abundè expurgari in prima coctione cibi externi demonſtratum ante fuerit, minimè certè probatur. Lienem non effundere ſuccum melancholicum ab hepate attractum in ventriculum, probatur. 1. A differentia ſecretionis in prima (de-

 ba-

quâ ante) & ſecunda coctione (de quâ nunc.)

babile eſt in ſecunda ejuſdem cibi coctione iterum eaſdem partes inutiles ſecerni & repurgari, ſed igneas duntaxat & aqueas; nimirum partes alimenti terrenas prima ſtatim coctione repurgari tum commoditas diſtributionis chyli ita poſtulavit, qui per vaſa anguſta non niſi defecatus & prorſus liber à partibus craſſis, neque facilè meabilibus poteſt per vaſa admodum anguſta, & in plexus varios intorta decurrere, tum verò idem deſideravit facilitas deductionis chyli in fibras ſeu filamenta, quæ fit in iiſdem vaſis, nec perfici poteſt niſi ſecreta prius omni alienâ ſubſtantiâ, quæ non facilè coëat, cujuſmodi terrena, inutilis, & male compacta; pariter flatuoſam inutilem ſubſtantiam à cibis externis antè omnia repurgari certè cavitatum ampliſſimarum, quæ ſunt in ventriculo & inteſtinis, permiſit commoditas, quæ cavitates cum aliis nominibus eſſent neceſſariæ, iis ex abundanti natura uſa eſt ut utilitatem exhiberent conceptaculi flatuum, qui alioqui in pauca mole multum loci ſeu ſpatii ejuſque liberi requirunt. *Quæ ſi ita ſunt, nulla ratio eſt, cur portionis terrenæ inutilis à chylo denuò ſecernendæ & repurgandæ viſceri alicui tanquam ſecundæ officinæ alimenti communis uſum tribuamus, cum alioqui ſanguinea ipſa maſſa terræ admixtionem deſideret in ſua mole ſeu corporatura, ſed ejus edomitæ & benè ſubactæ cum humido, quippè quæ fibroſa eſt, ut ex anatomia conſtat.*

2. A cavitatum in ventriculo & inteſt. commoditate flatuoſæ ſubſtantiæ à cibis externis repurgandæ gratiâ. Argumentum.

Non poſſe autem chylum adhuc immixtum terræ inutili necdum defecatum deduci ad viſcera conſtat ex eo, quod oſcula vaſorum gaſtricorum, ut & meſaraicorum admodum ſunt anguſta, & puncti cujuſdam inſtar exigua adeò ut craſſamentum terrenum nequeant admittere. *Quamobrem colligere eſt chylum à terreis particulis in ſecunda coctione minimè denuò repurgari, atque ejus expurgationis nullam eſſe neceſſitatem.*

3. A difficultate deductionis Chyli nondum defecati ad viſcera. Concluſio.

Ex alia autem parte iniquum fuit per fecis melancholicæ atque acidæ rejectationem è liene in ventriculum hominem obnoxium reddi importunæ fami, quæ fames diſſipationi & effluvio ſubſtantiæ propriæ minimè reſpondeat, cui diſſipationi perenni continens & naturalis membrorum attra-

4. Ab iniquitate fecem melancholicam apperitum excitare.

attractio æquius commodiuſque ſatisfacere poteſt.

5. Ab injuria ventriculum ſatis validum roborare.

Sed & injurium fuit eundem ventriculum ſatis ſuperque validum, & in retinendo firmum fibris nimirum, temperie, & conformatione ad retinendum accommodatis inſtructum excrementis alienis aggravare, & opprimere, nedum roborare. Similiter inſalubre fuit chylum illabentem è ventriculo & inteſtinis in viſcera excremento immiſceri & inquinari, quo mox ille ſit liberandus.

6. Ab inſalubritate Chylum excrementis immiſceri.

7. Ab tali excremento nunquam in corpore reperto, tanto minus dejecto.

Quid quod hujuſcemodi excrementum atrum & feculentum, quale à liene perhibetur rejici, nuſquam conſpicitur poſtquam ſatisfecerit fictitiis illis uſibus rejectari ſingulis diebus, ut bilis flava ſolet ex hepate, ſive per ventriculum ipſum vomitione, ſive per alvum dejectione, ſive per renes cum ſero humorum; aut verò affixum ventriculi parietibus nuſquam per anatomiam deprehenditur? nam cum terreum excrementum exhalare & evaneſcere prorſus ſit inopinabile, neceſſe eſt certè ſi è liene eructatur in ventriculum ac inteſtina, aut inſenſibiliter extra corpus rejici tandem, aut ſenſim aggeſtum illorum corpori in diſſectis cadaveribus ſeſe prodere. Atqui neque ventriculus cum inteſtinis uſquam obſervatur atrore ſuffuſus, niſi aut â veneno urente ambuſtus, aut gangrena corruptus, ut ſæpe evenit ventriculo ratione viciniæ in corruptelam tracto à vicinis viſceribus ſphacelatis; neque etiam ater vomitus limo aut pici fuſæ ſimilis, vel dejectiones ſimiles uſquam ſanis contingunt, ſed α cacopragiam viſceris alicujus & corruptelam paſſim conſequuntur. *Quo ſanè ex inſtituto naturæ limus terreſtris ex liene non expurgatur, itaque commentitius eſt ille uſus lieni adſcriptus in expurgatione ſucci atri poſitus, ac proinde vaſa gaſtrica è ventriculo in lienem coëuntia & devehendæ materiæ alicui nata in eum uſum non ſunt conſtructa, ut è liene ſuccum melancholicum ſecretum à ſanguine in hepate genito refundant in ventriculum propter commemoratos illos uſus.*

α. Quia terreum excrementum exhalare non poteſt.

β. Ventriculus cum inteſtinis atrore nuſquam ſuffuſus reperitur.

Exceptio.

γ Dejectiones limo ſimiles nunquam ſanis contingunt.

Concluſio.

8. A conformatione lienis excre-

Huc accedit quod conformatio lienis nulla ratione aptata eſt ejuſmodi uſui, neque etiam vaſa particularia ſunt, quæ ex

α Male habitum.

mento tali excipiundo non aptatâ neque dantur venæ limoſum ſanguinem ab hepate deducentes. Pro exemplo vena portæ deſcribitur.

ex hepate privatim ſanguinem limoſum deducant in lienem, per quæ vaſa lien exugat ex hepate ſuccum atrum & terrenum excrementum, quæ tamen adeſſe oporteret, ut ex analogia conſtat meatuum cholodochorum, qui ſpeciatim bilem flavam in veſicam fellis deponunt. Nam per venam portam hepati inplantatam & communionem habentem cum ramo ſplenico ex hepate à liene trahi partem ſanguinis feculentam fieri certè nequit citra & chyli è ventriculo in hepar diſtributi & ſanguinis viciſſim ex hepate in ventriculum & inteſtina continenter remeantis conſpurcationem, quam natura ferre nequit, & probabile eſt per venam ſplenicam aliquam partem ſanguinis laudabilis communicati ei à porta hepatis in lienem nutritionis ejus gratiâ particularis pervenire; lien enim eget ſanguine craſſo etſi pauco, uti hepar ſanguine tenui per arterias delato, quanquam ramum ſplenicum à meſeraicis chyli aliquid tenuis & calidi materiem ſanguinis calidi excipere eſt vero ſimile. Neque porrò cavitas eſt ulla in lienis corpore, quæ limi illius ad tempus aſſervandi capax ſit: nec denique ulli ſunt ductus, aut conceptaculum aliquod aliud appenſum lieni, per quos ductus in hujuſmodi conceptaculum aut extra corpus ſtatim fex illa inutilis deponi poſſit. Nam per arterias ſplenicas (quæ tamen ſolæ ſunt præter portam ſplenicam, quæ cum radicibus portæ ſplenicæ communionem habeant, & confectam materiam excipere poſſint) rejectari è liene ſuccum illum fieri nequit abſque inquinamento ſpiritus vitalis, & ſanguinis tenuis, quod abſurdius dictu eſt.

Sanguis lienoſus & hepaticus.

Nulla lienis cavitas. Nulli ductus aut conceptaculum.

Neque arteriæ ſplenicæ dictum ſuccum abſque inquinamento ſp. vit. rejiciunt.

Quod vero de hæmorrhoidalibus venis dicitur quaſi ad eum uſum natis, commentitium illud eſſe hæc declarant. Nam in primis cum lien ramum ſplenicum cum iis conjunctum habeat, fex reflueret per eundem ductum, per quem ſanguis lutulentus eſt attractus, quod ridiculum eſt. Præterea fluxus ille hæmorrhoidalis omni ætati, ſexui, tempori eſſet familiaris & communis, quod experientiæ repugnat, cum ferè ſolis maribus, & in ætate conſtante & iis tantum ſive maribus, ſive mulieribus, quibus ſplen magnus quidem & calidus eſt, & ſimul cutis denſa, ideoque cor-

Neque hæmorrhoidales venæ contrarium affirmant. Probatur 1. A conjunctione rami ſplenici cum venis hæmorrhoidalib. 2. Ab ipſo fluxu hæmorrhoidum.

pus obnoxium plethoræ ad arterias eique ſeroſæ: ut plurimum enim fluxus ille hæmorrhoidalis non eſt melancholiæ ſinceræ, ſed ferè ſanguinis diuturnâ aſſatione denigrati per intemperiem æſtuoſam lienis, ejuſque ſeroſi ob magnam vim aquæ ſeu ſeri in arteriis redundantis, ab ea intemperie ſcilicet intemperantius attracti. *Quoniam igitur in universum vaſa ſeu conceptacula excrementis ad tempus aſſervandis accommodata obſervatione Galeni cavum ſeu ventrem inſignem habent, & ductus ſeu ſtomachos utrimque, alterum quidem alliciendo excremento, reliquum autem rejiciendo idoneum, quæ univerſa lieni deſunt: & porro abſurdum eſt aliquan partem in hunc tantùm uſum à natura eſſe conditam, ut alterius partis excrementùm abſumat, atque in ſui nutritionem impendat, cum potius conſentaneum ſit excrementa cujusvis generis in aliquo conceptaculo retineri, atque adeo certis ex intervallis excludi pro juſſu voluntatis extra corpus, fatendum eſt ſane lienem in hunc uſum non eſſe factum, ut expurget à ſanguinis maſſa fecem ſeu terreum excrementum: ex quo ſupereſt vaſa ſuperius dicta uſum potius habere aliquid deducendi è ventriculo in lienem quam contra, præſertim cum ea ſint in propè innumerabiles ſurculos propagata, diffuſos ſcilicet per epiploum eorumdem ſuſtinendorum gratiâ factum, quos ſurculos tot & tantos non eſſe factos ad deducendum in ventriculum paucum excrementum acidum, eſt omnino vero ſimile.*

(Fluxus Hæmorrhoidalis qui?)

3. A ſtructurâ vaſor. excrementis ad tempus aſſervandis accommodatâ, quæ lieni denegata.

Concluditur: lienem in eum uſum non eſſe factum, ut à ſanguinis maſſa fecem ſeu terreum excrementum expurget.

At enimvero cum ex alia parte carnoſæ in nobis ſubſtantiæ alimentum commune ſit neceſſarium vitæ ſuſtinendæ, eumque uſum exhibeat ſanguis tenuis & calidus atque arterioſus, diverſus à ſanguine venoſo craſſo quippe & frigido, quæ ſunt demonſtrata ante, ejus autem ut puta alimenti communis non ſecus atque ſanguinis craſſi publica aliqua officina neceſſaria ſit in corpore humano: tum vero lienis ſtructura conformatioque ad utilitatem hujuſmodi officinæ conformata & comparata ſit egregiè; atque præter lienem nulla in corpore pars ad hanc utilitatem accommodata reperiatur, *fateri profectò oportet lienem eſſe officinam alteram ſanguinis tenuis ſcilicet, & calidi, qui in arteriis continetur.*

Uſus ſanguinis arterioſi diſtincti a venoſo.

Lienem eſſe alteram officinam ſanguinis arterioſi, tenuis & calidi.

Ete-

Minimè Cor,

Etenim cor minimè eſſe officinam ejus ſanguinis arterioſi, huncque ſanguinem generari ex parte ſanguinis craſſi in hepate geniti ſed attenuati & præparati à liene, ut *Clarus Vlmus* ſubtiliter magis quam probabiliter verèque excogitaſſe & diſputaſſe videtur, ex his perſpici ſatis poteſt: in primis namque, ut altius rem repetamus, quia ad generationem ſanguinis in corde (ut vult adverſarius) perficiendam aliqua deſideratur materia, ea certè erit aut aër, quem è pulmonibus cor continenter haurit, aut vapor ſeu anathymiaſis ſanguinis ſive ejus quem cor dextrum è vena cava accipit, ſive illius quem arteriæ è venis exugunt, & per aortam cor arripit, aut denique erit ſanguis, quem lien ex hepate trahit.

Probatur: 1. Ex materia quæ ad cor defertur, è quâ ſanguis arterioſus generari poſſit:

α Non aër, non ſanguis vaporoſus.

Atqui neque ex aëre puro, tenuiſſimæ & inſenſilis corporeæ molis, neque ex vapore pariter tenuiſſimo ſanguis exiſtens fibroſus, atque verum mixtum perfectum è quatuor elementis, idemque ſenſibilis corporaturæ generari poteſt, cum mixtum omne è miſcibilibus ſuam craſſitiem & corporaturam accipere debeat; & quanquam α anathymiaſis ſanguinis è dextro in ſiniſtrum ventriculum per cœca illa ſpiracula, quibus ſeptum cordis diſcriminans dextrum ſinum à ſiniſtro diſtinguitur, trajici poteſt è dextro in ſiniſtrum, tamen ea in ſanguinem, qualis in arteriis eſt, minimè converti poteſt.

probatur.

β non is qui è dextro in ſiniſtrum cordis ventriculum.

probatur.

Sanguis autem integer nequaquam è vena cava in ſiniſtrum per hujuſmodi ſpiracula traduci quiverit.

γ vel qui è venis in arterias per anaſtomoſes defertur: probatur.

Sanguinem porro è venis ab arteriis per communes earum β anaſtomoſes non illici ceu materiam ſanguinis arterioſi colligere eſt, cum quod vaſa ſeorſim à ſe invicem diſcreta incedunt per corporis truncum, nec conjunguntur aut communicant ſuas materias niſi finibus ſeu extremitatibus ſuis implantatis ſingulis membris, quæ extremitates ſunt propè capillares & inſenſiles, & non tam ſanguinem continent quam primam humiditatem ex ſecundis quatuor dictis humiditatibus; in reliquo enim toto decurſu vaſorum

1. A vaſor. anaſtomoſi conjunctor. finibus.

2. A liquore.

α Evaporatio.

β Oſculorum apertiones.

rum per corporis truncum quanquam ſe vaſa perpetuò concomitantur & ferè contingunt, tamen craſſitudo, denſitaſve prope cartilaginea corporis arteriæ, & præterea membrana communis venarum & arteriarum omnino prohibent ſanguinis è venis in arterias appulſum & tranſitum. 3. A ſtructura.

Ad hæc quanquam è venis in arterias ſanguinem ipſum trajici poſſe quocumque modo fateamur, tamen poſitio valvularum appenſarum orificio aortæ interdicit ſanguinem aditu ex arteriis in cor ſiniſtrum, quippe quæ in diaſtole cordis, in quâ ſolâ poteſt cor aliunde aliquid attrahere, connivent adeò & clauduntur arctè, ut cor ab arteriis tum nihil prorſus queat accipere. Nam in ſyſtole cordis, in qua duntaxat valvulæ aperiuntur & patent, cor in emittendo à ſe potius ſpiritu ante genito effundendoque in arterias incumbit, quam in admittendo aut attrahendo ad ſe aliquid. Ad hæc neque aut arteriæ debuerunt ſanguinem è venis elicere, cum attractioni aëris externi motus arteriarum ſit factus, dilatatio ſcilicet, quæ aëris attractio à ſanguinis attractione prohiberetur; aut verò cor ſanguinem ex arteriis accipere debuit, quandoquidem arteria coronaria addita cordi & per ejus corpus diſperſa huic uſui jam ſatisfacit, hoc eſt, attractioni ſanguinis tenuis alimenti proprii cordis & neceſſarii ejus nutritioni. 4. A valvulis aortæ appenſis. Valvular. effectus.

Sanguinem poſtremò ex hepate primo venientem & attractum à liene attenuatumque non refundi in cor ceu materiam ſanguinis arterioſi gignendi una convicit manifeſtè demonſtratio ſuperior à ſitu valvularum orificio aortæ appoſitarum ut ſupervacaneum ſit alias inquirere. 5. Neque tandem ſanguis ex hepate à liene attractus, & in cor tranſmiſſus: quod Ulmus.

Quæ cum ita ſint, concludendum eſt cor nulla ex parte haurire materiam, ex qua ſanguinem tenuem generare poſſit, proindeque officinæ ſanguinis arterioſi illud minimè utilitatem exhibere. Et confirmatur, quia cordis conformatio compoſita non eſſe videtur ad ſanguinis tenuis procreationem, ſed tantum ad attractionem & diſtributionem alicujus materiæ, quæ utramque celerem admodum patiatur affectionem. Nam ſanguinis tenuis coctio, diſtributioque minimè confertim, ſed potius ſenſim & lentè fieri debet, ut effluvio ſub- Concluſio. II. Ex conformatione cordis ad ejuſmodi ſanguinis procreationem non compoſitâ.

 ſtan-

Sanguinis coctio & diſtributio ſenſim fieri debet tam ob amplitudinem ejus ſinus, quam ob breviſſimam ſanguinis ibidem moram.

ſtantiæ noſtræ non affatim, ſed ſenſim & continenter facto reſpondeat; amplus etenim cordis ſinus minimè eſt aptus materiæ craſſæ converſioni in tenuiſſimam ſubſtantiam, & accuratæ unioni diverſarum ſubſtantiarum, quæ non niſi lentè ſenſimque perfici poſſunt, ideoque diuturno tempore. His enim affectionibus repugnat brevis àdmodum mora, quam in amplo cordis ventre facere ſanguini conceditur per alternantes, & contrarios diaſtoles & ſyſtoles ejus motus, quorum ille allicit quidem materiam, hic autem illectam mox excludit, cum media inter eos motus quies, in qua morari ſanguini craſſo daretur, propè momentanea ſit omninò impar perfectæ, diuturnæque ideò coctioni, quam generatio ſanguinis tenuiſſimi & perfectè elaborati requirit, ut conſtat ex analogia hepatis, teſtium, mammarum, & ſimilium partium, in quibus materia aliqua perfectâ exquiſitâque coctione elaboratur, à qua partium conformatione cum cordis ſtructura plurimum diſſideat, *colligere eſt certè cor ſanguinis tenuis generationi minimè inſervire propter defectum tum aptæ conformationis, tum materiæ habilis converti in eum.*

Generatio ſanguinis tenuiſſimi probatur ex analogia partium in quibus materia aliqua perfecta coctione elaboratur.

Concluditur cor generationi, tenuis ſanguinis minimè inſervire, Tamen eſſe officinam ſpir. vit. à ſanguine corpulento maximè diverſi.

Quanquam fatendum eſt revera cor eſſe officinam ſpiritus vitalis ex aëre in pulmone concepto attracto & vitalitate donato, qui ſpiritus toto ingenio diſtat à ſanguine corpulento fibroſoque, cum conſtet ex ſubſtantia ſimpliciſſima, aërea ſcilicet duntaxat ſive atherea potius, ut ſuo loco demonſtratum eſt.

Lienem officinam eſſe ſanguinis arterioſi, confirmatur.

I. Quia lien maximè idoneam ad id nactus eſt materiam: quod probatur;

Atqui cum neque cor, neque aliud membrum ad id munus obeundum occurrat in corpore accommodatum, lienem tamen contrà ad illud munus omnibus eſſe inſtructum conditionibus eſt antè demonſtratum, & in primis maximè idoneam nanciſci materiam in ſanguinem arterioſum converti paratam chyli ſcilicet portionem tenuiorem, & calidam hæc ſunt argumenta. Nam in primis quod ſpectat ad materiam ex qua ſanguinis tenuis, cum natura unitatem rerum affectet, conſentaneum in primis fuit chylum eſſe communem materiam ex qua utriuſque ſanguinis craſſi ſcilicet frigidique, & tenuis ac calidi, alioqui duplici officinâ primâ ſeu receptaculo ciborum communi opus eſſet, cum tamen unica ſufficiat ut antè demonſtratum. Cum igi-

igitur chylus ſit mixtum quoddam ex quatuor diverſis ſubſtantiis totidem elementis primis reſpondentibus, iiſque imperfectè coaleſcentibus, & unitis aggregatum, ex illis autem ſubſtantiis particulæ præſertim terrenæ & aqueæ ſanguinis craſſi & venoſi, qui eſt aquæ genus, materia idonea ſint, ut eſt demonſtratum, reliquæ certè aëreæ & igneæ ex prædominio chyli particulæ opportunè ſanguini tenui & calido materiæ uſum exhibent, attractæ nimirum ſingulæ ſeorſim à duobus diverſis membris ſimilitudinem ſubſtantiæ cum iis habentibus, ſcilicet hepate & liene, & per diverſas vias.

α. A ſubſtantia chyli aërea & ignea per proprias vias à liene attracta.

Nam inprimis ex anatomia conſtat venas gaſtricas, unà cum vaſe brevi exoriri pleraſque tandem ex liene & reliquas conjunctionem habere cum inſigni ramo ſplenico ſeu porta ſplenica, & radicibus ejus per lienis corpus diſperſis, quibus cum communionem habere radices arteriæ ſplenicæ pariter anatomia docet; ex quibus vaſis cum venæ quidem gaſtricæ omnino comparatæ ſint ad deductionem portionis chyli quæ minimum immoretur in ventriculo, qualis eſt tenuis & liquida, tum verò præparationi ejus ad ſanguinis tenuis formam; & radices in primis ejuſdem perfectæ converſioni; arteriæ autem & radices tum in primis ramus ſplenicus jam confecti partim ulteriori elaborationi, partim ejuſdem diſtributioni omnino ſint accommodatæ, haud dubium eſt, chylum tenuem lieni ad manum veluti eſſe materiam idoneam converti in ſanguinem tenuem, atque eandem jam converſam diſtribui in reliquum corpus.

β. Ex anatomia.

Adhæc caro lienis affuſa prædictis radicibus tum venæ ſplenicæ, tum arteriæ, non aliter atque parenchyma hepatis adjunctum radicibus venæ portæ hepaticæ & cavæ, ſatis oſtendit par eſſe in utroque membro officium, ſcilicet in conficiendâ aliquâ materia communi poſitum: quod conſtat ex analogiâ partium omnium, quæ generationi alicujus materiæ publicæ inſerviunt, ut ſunt teſtes, mammæ præter hepar, & ventriculum in avibus, quæ non niſi prædura ſemina coquunt, in quibus propterea plurima caro denſa craſſaque adjungitur primæ officinæ, in qua ſcili-

γ. A naturali lienis conſtitutione, parenchyma hepatis æquante.

cet carne uberior calor viget, quam in corpore membraneo.

δ. A ſimilitudine ſubſtantiæ parenchymatis lienis, & ſanguinis tenuis.

ε. Ex utriuſque congenere temperie.

ζ. E lienis conformatione.

Confirmant porrò hunc uſum partim ſimilitudo ſubſtantiæ parenchymatis lienis, & ſanguinis tenuis calidique, cujus utriuſque ſubſtantia tenuis & ſpumoſa eſt, & ex flavo ſubnigricans, atque rubore aſſato ſuffuſa; partim temperies utriuſque congener, eaque æſtuoſa & præcalida, ut ſuo loco demonſtrabitur uberius; partim denique conformatio lienis non in cavitate aliqua inſigni poſita, ſed in plexibus variis vaſorum exilium & anguſtorum, quæ conformatio aptatur officinis materiæ alicujus ſive ſucci utilis toti corpori, ut conſtat ex hepate, teſtibus, mammis, rete admirabili in cerebro, placentâ uterinâ & reliquis in corpore glandulis è miriadibus vaſorum contextis, in quibus partibus ſuccus lentè excoquitur, & ſimul ſenſim diſtribuitur.

η. E ſitu ejus hepati oppoſito.

Denique ſitus lienis hepati oppoſitus innuere videtur convenientiam utriuſque in uno communi officio; natura namque uni & eidem actioni ſeu muneri duo inſtrumenta miniſtrantia ut plurimum deſtinare conſuevit, eaque ſibi opponere, alias ſi unicum duntaxat ad unum officium idque publicum deſtinat, ei ſitum in corpore medium concedit, ut ex anatomia conſtat.

II. Ex famis mox ab aſſumto cibo ſedatione. Hujus ſedationis modus, Cauſa,

Age verò hic uſus memorabilis lienis plurimis, iiſque non futilibus argumentis hiſce demonſtrari poteſt, & inprimis ex famis ſedatione, quæ certo experimento ſuccedit ferè ſtatim aſſumptis cibis præſertim liquidis & nutrientibus, ut juſculis, vino generoſo, & ſimilibus. Etenim fames non aliter ſedatur, quam quia moleſta & dolorifica venarum ad ventriculum pertinentium ſuctio os ventriculi corrugans & affatim exaſperans quieſcit, ut ſuo loco demonſtrabitur, & fatentur omnes Medici, quod ſanè evenit, quia pars ciborum fuſa jam, & liquida ex ſe, atque prona ſequi attrahitur, & defertur à vaſis in viſcera trahentia, ſive hepar, ſive aliud quodcumque, atque ita ſatisfacit tractioni eorum.

Locus,

Hæc autem ſuctio vaſorum ad ventriculum pertinentium

titum intelligi debet aut venarum gaſtricarum, quæ ad ipſum ventriculum attinent & in primis vaſis brevis, quod ejus fundo implantatur, quem in fundum cibaria ingeſta primò deſcendunt, aut verò venarum meſeraicarum, aut aliarum quæ ex inteſtinis ipſis immediatè chylum alliciunt. Qui venis gaſtricis adſcribitur.

Atqui profectò fames non ſedatur quia venarum exſuctioni meſeraicarum ſatis-fiat ab aſſumptis ſtatim alimentis, primum quia venæ meſaraicæ non immediatè ventriculo implantantur, ſed inteſtinis, itaque nihil ex ventriculo arripiunt, niſi quod prius fuerit in inteſtina delapſum, unde cum aſſumptis cibis pilorus arctè claudatur & conniveat per pluſculas horas, itaque nihil in inteſtina è ventriculo deſcendat ſtatim ab aſſumptis cibis, certè fames minimè ſedatur, quòd hepar partem cibi liquidiorem per venas meſaraicas alliciat. Minimè meſeraicis. Cur?

Et certè cum ſubſtantia in nobis ſolida & fibroſa non niſi tardè diſſipabilis ſit, reparationis ejus confertæ & celerrimæ nulla revera eſt neceſſitas, proindeque inſignis & eximiæ attractionis venarum, & viſceris ſanguini craſſo fibroſæ ſubſtantiæ alimento proprio conficiendo dicati nulla quoque neceſſitas, itaque minimè hepar aut venæ meſaraicæ invexerint famem illam ſeu eximiam exſuctionem, quæ dolorifica eſt utpotè violenta & confertim facta; dolor namque non fit niſi cum natura confertim, hoc eſt, validè & celerrimè corrumpitur, ut eſt in Phyſicis demonſtratum. Quod probatur. (Dolor, unde?)

Et confirmatur quòd fames quæ ab aſſumptione ceſſavit, ea denuò ſex poſt horas circiter evigilare conſuevit; quo tempore ſcilicet primum aperiri ſolet pylorus, & chylus per inteſtina vaſis meſaraicis diſtribui primum, atque per ea hepati porrigi: ex quo patet minimè ab hepate aut venarum meſeraicarum ſuctione famem tum ſuſcitari, ſed ab alterius viſceris, venarumque alterius generis ſuctione provenire, quandoquidem ſi ab hepate produceretur potius tum temporis ſedaretur quàm acueretur, ſiquidem ipſa fames non niſi cibis aſſumptis ceſſare ſolet, quo tempore iis hepar ſaturari evenit, hoc eſt, frui chyli parte perfectè coctâ. Et confirmatur a fame poſt aliquot horas iterum evigilante. Concluditur, neque ab Hepate neque ven. meſeraicar. ſuctione famem ſuſcitari.

ipſor. vaſor. famem ſedantium conſtitutio, efficacia, effectus.

Ex adverſâ autem parte cum venæ gaſtricæ & epiploicæ, & in primis vas breve ex portâ ſplenicâ tanquam trunco propagatæ, immò ferè ex ipſo ſplene exortæ ipſimet ventriculo immediatè quoque inſerantur, atque ſtatim ea vaſa trahere nata ſint cibaria aſſumpta liquida, & fuſa atque tenuia, quæ ſunt materia proxima ſanguinis tenuis; & hic ſanguis tenuis materia ſit proxima ſubſtantiæ in nobis carnoſæ, quæ ut ferè ſola unà cum ſpiritali, & citiſſimè diſſipatur, ideoque ad vehementem & celerem tractionem alimenti convenientis naturam ſolicitat, probabile eſt profectò famem ſedari ſtatim ab aſſumptis cibis, quia ſuctio ſive attractio vehemens lienis & venarum gaſtricarum quieſcit, utpotè cui ſatisfit per liquidioris cibi præproperam in vaſa & lienem diſtributionem.

Hæc probantur ex lienoſis ſeu melancholicis.

Cui doctrinæ fidem ampliorem facit fames melancholicis familiaris ſive lienoſis, id eſt, quibus lien laborat intemperie calida, quæ intemperies magnum momentum habet ad exſuctionem vaſorum vehementem & famis continentem cauſam: *nam obſervatione* * *Galeni quotidianâ experientiâ confirmatâ melancholici ſunt voraces.*

Argumentum pro liene tanquam famis cauſâ.

Si igitur lien eſt famis cauſa ſeu tractionis ciborum in primâ officinâ confectorum, non trahit autem lien è ventriculo chyli portionem aliquam, niſi ut eam in ſuccum ſuæ nutritioni particulari convenientem, atque adeò utilem nutritioni totius corporis convertat, ut conſtat ex analogia hepatis, teſtium, cæterarumque glandularum, quæ omnes ſuccum conficiunt non ſibi ſoli, ſed toti utilem (nulla namque in corpore pars eum ſolum uſum habet ut ſibi ſolùm providcat & in peculiari ac familiari ſibi alimento tantum conficiendo vacet & incumbat, ſed omnes omnino præter propriam providentiam alicui muneri excolendo navant operam, quod munus incolumitatem vel ſalutem reliquarum partium reſpiciat, alioqui fruſtrà eſſent illæ partes) ſi, inquam, lien trahit chyli partem, ut eam in ſuccum toti utilem convertat, *concludere eſt certè lienem eſſe officinam alicujus ſucci toti corpori neceſſarii, hoc eſt, ſanguinis tenuis & calidi*

(Nulla pars in corpore ſibi ſoli providet.)

Argumenti concluſio.

* lib. de Atra bile.

lidi qui in liene arterioſoque genere reſidet, ut ex anatomiâ conſtat.

Quod ſanè comprobant hæc alia eventa. Nimirum obſervare eſt eos qui plurimum bibunt, præſertim ſi tenue vinum hauſerint, quale eſt album, ut rhenanum, ſtatim & vix dum è menſâ egreſſos multum meiere idque crudum & potui finitimum, aqueam ſcilicet in vino portionem; quia autem hæc mictio plurima ſtatim ab aſſumptis liquidis minime fit tracto ſero è ventriculo per pilorum, utpotè cum hic ad amuſſim conniveat, donec perfecta fuerit chylificatio, quæ non niſi plures poſt horas ab aſſumptis cibis complementum accipere ſolet, fit certè, quod unum reſtat, immediatè è ventriculo per vaſa gaſtrica vaſque breve potiſſimum, ut celeritas diſtributionis indicat. Quia autem hæc vaſa cum liene longè majorem communionem quàm cum hepate habent, certè diſtributio illa præpropera potulentorum ſeu liquidorum tractu potius lienis fit, quam hepatis.

III. Ex plurimum vini bibentium mictione.

Quô aquoſa materia deducatur.

Quia porrò vinoſa ſubſtantia & alibilis mictione non redditur, ſed aquea tantum, veroſimile eſt nutritiam illam vini partem in ipſo liene reſtitare, atque adeò in finitimum ſuccum ab eodem liene converti, qualis ſubſtantia eſt ſanguis tenuis & calidus vino prorſus congener, atque juſculis aut potulentis v. g. alibilibus, aut potius ſimilis parenchymati lienis rubore atro ſuffuſo, qualis in ſanguine emicat arterioſo. Itaque colligere eſt lienem eſſe officinam ſucci alicujus communis.

Quô vinoſa & alibilis ſubſtantia.

Concluſio confirmata obſervatione Hippocratis.

Quod confirmatur, quia melancholici ſeu potius atrabilares ſunt ſalivoſi obſervatione α *Hippocratis, quartanarii ſudant mejuntque plurimum.* Nimirum in illis lien æſtuoſus rapaciſſimus eſt liquidarum omnium rerum, quæ in ventriculo occurrunt.

Adhæc experientiâ conſtat lienis temperiem immutare ex parte & trahere ad ſui ſimilitudinem non ſolùm ſanguinis arterioſi maſſam, ſed totius corporis habitum obſervatione β Hippocratis, *quibus lien deorſum vergit, his pedes & genua*

IV. Ex affecti lienis effectu.

α In Epid. Sæpius ut lib. 2. ſ. 2. 3.

β In Epid. lib. 6. ſ. 2. Aph. 32. Οἷσι σπλὴν ἐςὶ κατάῤῥοπος πόδες κὴ χεῖρες κὴ

Quod ex Hippocratis & quotidianâ in ſplenicis affectibus obſervatione manifeſtatur.

genua calent, naſus & aures frigent. Liene phlogoſi laborante ſanguis arterioſus toto corpore æſtuat & nigricans præ aduſtione conſpicitur, cujus fervoris ratione arteriæ etiam ſaliunt cum murmure & ſtrepitu quodam, qui in temporibus maximè percipitur propter viciniam organi auditus, pariterque aures tinniunt perpetuò propter pulſationem jugularium vicinarum, vigiliæ jugiter infeſtant, univerſus habitus uritur, & fuſcedine quadam ſeu flavitie atrori commixta ſanguiniſque ambuſtioni atteſtante fœdatur, niſi potius cutis palleat, vel plumbea lividaque evadat, *unde ſplenici quaſi mortui ambulare videntur, ut de incolis Cariæ Stratonicus citharœdus dicere ſolebat:* ſero ſcilicet in ſanguine redundante plurimo in arterioſo genere (ſive per intemperiem lienis calidam & ſitibundam, eamque intemperantius aqueam chyli portionem trahentem, ſive per obſtructionem renum minimè ut decet ſerum illud expurgantium, ſive denique per habitus denſitatem) atque ita fulgorem ſanguinis & ſpiritus vitalis offundente & obtenebrante. Quoniam igitur tinnitus aurium, pulſatioque arteriarum in temporibus, nec non æſtus totius corporis maximè latus ſiniſtrum in melancholicis infeſtant, cum quo lien rectitudinem habet, omninoque mutatio inſignis in toto corporis ambitu temperaturæ lienis comes potius quam cordis, nedum hepatis cenſeri debet, *concludendum eſt ſanè lienem ſanguinis ejuſque arterioſi officinam alteram eſſe non minus, atque hepar ſanguinis craſſi atque venoſi, cujus quippe hepatis temperationem obſervatione* α *Galeni temperies quoque ſanguinis craſſi & habitus corporis ſequi ſolet. Nimirum cum lien non aliter atque hepar immutet corpus per ſanguinis arterioſi immutationem; quam certè non inferret niſi ejuſdem foret officina propria.*

Concluditur lienem alteram officinam non minus eſſe atque hepar.

V. Ex liene tanquam foco diver-

Poſtremo confirmatur hæc doctrina de uſu lienis quòd hoc viſcus eſt focus frequentiſſimus plerarum febrium ſive con-

καὶ γόνατα θερμὰ, ῥῖς καὶ ὦτα ψυχρά· ἀεὶ ἄρα δεῖ τοῦτο ὅτι λεπτὸν τὸ αἷμα ἄρα φύσει τὸ τοιοῦτον οὗτοι ἔχουσιν. Quibus lien deorſum propendet, iis pedes, genua & manus calent, nares & aures ſemper frigent. Videndum igitur num iccirco tenuis illis ſanguis ineſt, num vero & naturâ talem habent.

α In Arte parvâ.

continuarum, ſive intermittentium, quæ ex inflammatione maximè ſanguinis tenuis fervidi, & atrabileſcentis ſuccenduntur, quæque febres aduſtionem ſanguinis partim linguæ nigrore, partim urinâ fulgorem quendam emicantem præ ſe ferente demonſtrant, ut ex diſſectione cadaverum eorum, qui ab ejuſmodi febrium violentiâ perierunt, nec non ex excrementis, atque etiam ex ſolutione ejuſmodi febrium deprehendere eſt. In diſſectis namque cadaveribus aut lien totus ſanguine atrorem fulgentem præ aduſtione retinente carbonis inſtar turgere conſpicitur (*ut ſæpè alias, & nuper à me animadverſum in Ampliſſimo Præſide Michaële Bouveto extincto à quartanâ continuâ, eâque conjunctâ cum phlegmone hepatis ex parte ſuppuratâ & ex parte in ſcirrum degenerante, cujus phlegmones hepatis initium quartanam præceſſerat vel annum integrum antè*) aut verò ejuſdem lienis parenchyma in ſuccum quendam piceum ac fulgentem diſſolutum cernitur, cujus particulæ quandoque per alvum rejici ſolent picem fuſam ſubſtantiâ ſuâ & nigrore fulgente referentes, *ut animadverti quoque in mulieribus præſertim melancholicis à naturâ poſt diuturnas febres*. Denique ſolvuntur ejuſmodi febres aliquando vel ſanguine atro excreto per hæmorrhoidas, vel atris ichoribus cum urinâ rejectis *ex obſervatione* [α] *Hippocratis, & noſtrâ*.

ſar. febrium, quar. origo & ſigna enumerantur.

Obſervatio.

Har. febrium ſolutiones.

Atqui ut frequentiſſimus fomes febrium tertianarum eſt hepar, quod ſcilicet hoc viſcus partim ex venulis ſit anguſtis admodum intertextum, iiſque obſtructioni obnoxiis, ob quam obſtructionem ſanguis per exilia vaſa non facilè meabilis ventilatione prohibitus putreſcit facilè, partim quòd idem ſit fons ſanguinis venoſi & craſſi, eoque nomine ſi quando putredo in eodem concipitur quâcumque ex cauſâ, aut vero idem viſcus phlogoſi laborat, aut à quâcunque cauſâ ſanguis è circumferentiâ introrſum truditur, ut evenit autumno & hyeme cum deſubito Aquilo perflat, tum ſanguis venoſus ad id tanquam ad fontem undè primum dimanavit ſponte recurrat ſive continenter, ſive periodicè prout pe-

Ut febrium tertianar. Hepar fomes eſt frequentiſſimus,

α Paſſim in Epid. ut lib. 2. ſ. 3. lib. 6. ſ. 5. Aph. 24. Ἀπὸ μελαίνης χολῆς, ἐς ὅμοιον αἱμοῤῥοΐδι in profluvio Hæmorroidar. aliquid bili atræ affine effluit.

riodicè putredo ſerpit per partes, & impactus, ſive incuneatus inflammetur pariter (*quæ eſt doctrina* [α] *Galeni de ratione periodici circuitus febrium*) idque ſæpius repetat, quoad putredo venis altiùs inſita fuerit excuſſa, diſſipata, ſeu in cineres redacta. Ita ſanè quia lien quartanarum febrium & ejus generis eſt fomes creberrimus, atque ejuſmodi febres ab eiſdem cauſis fiunt & præſertim à ſpontaneâ inclinatione & recurſu ſanguinis arterioſi in lienem, ut ex contumacibus horroribus, qui principia paroxyſmorum hujuſmodi febrium comitantur, arguere eſt, *fatendum eſt ſanè lienem eſſe fontem ſanguinis ſcilicet tenuis & arterioſi.*

Sic Lien quartanar. creberrimus.

Concluſio.

Quod autem de febribus diximus in liene focum habentibus propter ſpontaneum ſanguinis tenuis recurſum, idem de inflammationibus ſeu tumoribus calidis præter naturam ſtatui debet, qui fiunt ab eodem ſanguinis recurſu ſive ſpontaneo, ut per animi perturbationes vehementes, ſubitum exempli gratia terrorem, imò mœrorem animi ſenſim contractum, ſive ab externo principio repulſu, ut à frigore boreali; & confirmatur quod hi tumores fluxu ſanguinis è nare ſiniſtrâ ſolvuntur, ut hepatis è nare dextrâ ex [β] Hipp.

Tumorum in liene origo & cauſa.

Hor. ſolutiones.

Hanc denique ſpontaneam ſanguinis arterioſi inclinationem in lienem, melancholiæ, pulſatio arteriarum, lienis tumores, qui ſuppreſſis menſibus ſuperveniunt ſatis teſtantur.

Dicta de liene affecto demonſtrantur.
1. Ex propriis ſignis.
2. Ex propenſione lienis in obſtructiones & tumores aquoſos.

Demum lienem chyli portionem fluxiliorem ſive frigidam ut aqueam, ſive calidam ut vinoſam è ventriculo exugere, & intempeſtivè rapere docet propenſio lienis partim in obſtructiones, partim in tumores aquoſos (*quorum ra-*

tione

α In lib. de febrib.

β Epid. lib. 2. ſ. 2. t. 2. Ὁ πυρετὸς εἶχεν ἦν ὑπόσπλενος αἱμοῤῥάγει ἐξ ἀριστερῆ πυκνά. Lien affectus ſuſpicabatur nam ſanguis ex nare ſiniſtrâ crebro fluxit.

Lib. prænot. Ap. 73. Ἀντὶ δὲ τῆ καρδιώσσειν ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ ἐπὶ δεξιὰ ἢ ἐπ' ἀριστερὰ ξυντείνεταί τι μήτε ξὺν ὀδύνῃ, μήτε ξὺν φλεγμονῇ, αἷμα διὰ τῶν ῥινῶν τούτοισι ῥυῆναι προσδόκιμον ἀντὶ τῆ ἐμέτε. Verum pro oſculi ventris morſu, in præcordiorum dextrâ aut ſiniſtrâ parte aliquid tenditur, neque cum dolore neque cum inflammatione ſanguinem de naribus his pro vomitu fluxurum eſſe exſpectandum eſt.

tione [a] *Hippocrates lienem aquæ ſedem eſſe in nobis affirmavit.)* Hi namque affectus non aliam ob cauſam crebrò lienem invadunt, quàm quia cum paſſim hoc viſcus impensè ſuâ naturâ ſit calidum, celerioremque hepate ideo faciat attractionem alimenti reſpondentem ſcilicet celeri carnoſæ in nobis ſubſtantiæ effluvio, intemperanter certè cibum & in primis potum nondum confectum è ventriculo trahere pronum eſt. Ex quo quia multa terrena excrementa arenoſa ſeu lutoſa cum aqueâ chyli portione per vas breve quidem ſed amplum alioqui importunè in lienem veniunt, à quibus ſenſim aggeſtis radices quidem venæ rami ſplenici, nec non arteriæ ſplenicæ per corpus ejus diſperſæ obſtruuntur; quin etiam parenchyma ipſum ſuâ naturâ ſpongioſum, & præ calore bibulum ac ſitiens ſuperfluum liquorem multum ebibit atque imbibit, & ab imbibito intumeſcit, Itaque non mirum lienem opportunum eſſe & obnoxium tumoribus aqueis, nec non obſtructionibus ſi præſertim ren ſiniſter in attrahendo, ſecernendoque ſeroſo ſanguine ſit ignavior; & tandem ſeroſis humoribus reſolutis ſcirros & hydropes, certè pedum inflationes illis lienis obſtructionibus tumoribuſque ſuccedere, denique univerſi corporis tabem liene præter naturam in dies augeſcente, *cui propterea Trajanus Imperator fiſcum comparabat, quòd non aliter atque liene excreſcente immodicè reliquum corpus ſolet defloreſcere, ita etiam fiſco diteſcente populus depauperari conſuevit.*

3. Ex indole hujus viſceris.

4. Ex materiâ e ventriculo ad lienem propulſâ.

5. Ex ipſo parenchymate.

Concluſio.

Lienis & fiſci comparatio.

Poſtremò ſuperior doctrina de lienis uſu comprobari poteſt ex eo quòd animantes frigidæ humidæ, ut ſunt piſces, in quibus elementum prædominatur aqueum, liene carent, quippe qui non niſi ſanguine frigido & craſſo egent: à quâ etiam cauſâ fortè aves, quæ ex aquâ genus ducunt, quæque ova duntaxat, non autem vivum animal pariunt, lienem exiguum adeò habent, ut is ſenſum fugiat. *Concludamus itaque lienem eſſe officinam ſanguinis tenuis atque calidi, qui in arteriis continetur.*

VI. Ex animalibus liene deſtitutis.

Concluſio.

 Enim-

[a] Lib. 4. de morb. Aph. 5. Τῷ δὲ ὕδατι ὁ σπλὴν πηγή ἐστι. Aquæ ſplen fons eſt.

Argumenta quæ neceſſitatem lienis in corpore humano demonſtrant.

Enimverò quoniam ſanguis tenuis & calidus eſt commune & ultimum alimentum ſubſtantiæ in nobis carnoſæ, ut eſt demonſtratum antè; non poteſt autem ex alimentis aſſumptis primò & immediatè ſanguis ejuſmodi generari propter rationes antè adductas. Nimirum cum in ventriculo ſeu primâ cibi externi officinâ amplum ventrem complexa alimenta comparare eum lentorem, ſubſtantiæque modum ſanguini proprium nequeant, tum verò unâ & ſimplici ebullitione non poteſt fieri ſecretio partium inutilium in alimentis craſſarum ſcilicet malè unitarum, & tenuium exquiſitiùs permixtarum & unitarum, ſed in duplici ſaltem officinâ ea ſecretio commodè fieri poteſt; vaſa porrò gaſtrica & epiploica ſola per ſe non poſſunt ſanguini tenui ultimam perfectionem & complementum addere, atque eam ebullitionem promovere, per quam ſeparatio fiat partium in cibis diſſimilium apprimè unitarum, itaque ventriculo & vaſis gaſtricis & epiploicis adjungi debet ſubſtantia aliqua multo calore vigens quæ ſanguini tenui perfectionem & veluti manum ultimam addat; *ex quo quia lien eſt præcipua ſanguinis tenuis officina, is certè in humani corporis ſtructurâ fuit neceſſarius.*

Concluſio.

Lien plurimarum tum venarum tum arteriarum alterum radicationis principium, dictorumque vaſorum radices fulciens ſubſtramen.

Age radices rami ſplenici, vaſis brevis, & ejuſmodi, nec non radices arteriæ ſplenicæ ſuſtineri à parenchymate lienis ex anatomiâ conſtat, ac proinde etiam *lienem eſſe principium radicationis tum venarum plurimarum, quæ ſive incedunt ſolitariæ, ſive per epiploum in ventriculum tandem terminantur, tum principium alterum radicationis arteriarum ſtatuere oportet.*

Enimverò cum rami ſplenici ſive venoſus, ſive arterioſus, vaſque breve, & epiploicæ venæ divaricentur in innumera vaſa tanquam filamenta exigua ſeu fibras, quæ ſi per ſe & ſolitariæ incederent, ſibi mutuo implicari per motus corporis & confundi facilè poſſent, quod maximè officeret liberæ ſanguinis diſtributioni & decurſui per ea ita anguſta, utile ſanè fuit iis inſterni vaſis veluti quoddam tomentum quod ea ſuſtineret, & diviſa ſuis in locis contineret, ne temerè per motus corporis ſibi invicem implicen-

centur & confundantur. Quia autem ex aliâ parte lien neceſſariò adjunctus eſt iis vaſis, qui chyli partem tenuiorem attraheret & attractæ formam & perfectionem ſanguinis tenuis imprimeret, opportunè lien uſum quoque exhibuit ſubſtraminis fulcientis radices tum venarum, tum arteriarum ſuis quaſque in locis.

Poſtremò quoniam lien ex ſuperioribus demonſtrationibus eſt officina ſanguinis arterioſi, atque is magis ſeroſus eſt quàm ſanguis venarum, ut ex anatomiâ conſtat, in unâ autem eâdemque officinâ ſanguis & ſerum generantur, *lienem certè alterum ſeri in corpore fontem eumque præcipuum ſtatuere oportet:* quod pluribus argumentis confirmare eſt. Lienem alterum ſeri fontem præcipuum eſſe confirmatur.

Nimirum lien maximè eſt obnoxius, ut experientia quotidiana docet, tumoribus aquoſis, qui ſupra admirationem in immanem excreſcunt molem. Deinde conſtitutio naturalis, in quâ lienis temperies ad calidam ſiccam vergit, eſt familiaris corporibus quæ morbis à ſeroſâ colluvie vel diluvie pendentibus obnoxia ſunt, ut ex hiſtoriis ſequentibus evidenter patebit. Scilicet intemperies lienis calida ſicca omnem ferè ex cibis & potulentis humiditatem aqueam exugere & vehementer attrahere nata apta eſt, ideoque ſeroſæ plenitudinis in toto eſt cauſa efficiens: cujus intemperantis attractionis argumentum eſt dura alvus ſplenicis familiaris. 1. Ex affectibus ſplenicis. 2. Ex conſtitutione ejus naturali.

Ad hæc annotatione α Hippocratis ſplenici perpetui ſunt chremetes ſive ſalivatores, & eorum morbis familiares ſunt ſudores aſſidui; tum vero urinæ tenues juxtà illud, β *in longis febribus tenuibus erraticis tenuium urinarum mictus affectum ſplenem oſtendit*. Præterea fluxiones omnis generis & affectus præter naturam, quorum cauſa materialis eſt ſerum, ut conſtabit ex hiſtoriis infra deſcribendis, invadunt affliguntque præſertim ſiniſtras partes: ex quo quia natura in his rectitudinem pro more ſervat cum viſcere, *quod eſt fons ſeroſi humoris, hunc eſſe lienem, quippe ſiniſtrum hypochondrium occupantem, arguere eſt.* 3. Ex obſervatione Hippocratis. 4. Ex fluxionibus & aliis affectibus ſiniſtras corporis partes frequenter affigentibus.

 De-

α Paſſim in Epid.

β Coac. præn. Aph. 594. Ἐν μακροῖσι πυρετοῖσι λεπτοῖσι πλανώδεσι λεπτῶν οὔρων οὐρήσιες σπληνώδεες.

5. Ex doloribus nephriticis ſiniſtrum renem potiſſimum occupantibus.

Denique experientiâ conſtat in omnibus nephriticis ferè dolere renem ſiniſtrum, in paucis admodum dextrum, *quæ eſt obſervatio Dodonæi & noſtra quoque*. Quid ita? quia ſcilicet lien multâ turgens aquâ ſuam deponit & exonerat plenitudinem in renem vicinum, & ſibi ſitu reſpondentem, quæ inter decurrendum per renem dimovet deturbatque ſive arenulas, ſive lapillos non ſine acerbis ſæpè doloribus. *Itaque concludamus ſeroſi in humano corpore humoris fontem præcipuum eſſe lienem.*

6. Ex ſeri uſibus.

Enimverò quoniam præcipui ſeri uſus pertinent ad elixationem ſuccorum, atque temperationem, & ab inflammatione vindicationem, ut eſt demonſtratum antè: portio autem chyli calida tenuis, ex quâ lien ſanguinem conficit, propior eſt aſſationi à viſcere præſertim calido ſuâ naturâ (lien namque in calore exuperat longè hepar, ut infra demonſtrabitur) certè ſeri affuſio maximè neceſſaria fuit in hæmatoſi, quæ fit in liene, ut ſanguis minimè aſſaretur ſed elixaretur potius.

Concluditur: lienem, eſſe quoque præcipuum ſeroſi humoris fontem.

Præterea quoniam idem ſanguis jam genitus ſuâ naturâ præcalidus eſt, & ad inflammationem pronus; inde ſeri plurimi perfuſione temperandus fuit, ut ab inflammatione vindicaretur. *Itaque conſultum fuit lienem, qui eſſet ſanguinis calidi officina, eſſe quoque præcipuum fontem ſeroſi humoris.*

THEOREMA IV.

Capitis appellatio & officium ſeri omnib. membris diſtribuendi.

CAput eſt caſtellum ſeu labrum accommodatum diſtributioni ſeri, ſive aquæ membra omnia, quæ animali cientur motu, irrorantis ac humectantis, & ſpeciatim inſtrumenta guſtus incolumitatis quidem eorum retinendæ, & cauſæ ſine quâ non guſtus gratiâ.

Quod comprobatur.
1. Ex madore oris, linguæ, & reliquarum capiti ſubjacentium partium.

Unuſquiſque in ſe experitur perpetuò ferè os, & linguam ſibi madeſcere aquâ ſive purâ, ſive albente, inſipidâ, ſalſuginoſâ, aut amariuſculâ; quin etiam membranæ cerebri meningum apophyſes univerſum per corpus diſperſæ

ſæ aqueo quodam oblitæ humore conſpiciuntur, ut anatomia docet, ut & inania articulorum ſpatia, in quos ſcilicet perioſtia ac muſculorum membranæ propriæ unà cum nervis & tendinibus deſinunt & terminantur. Cum autem ex adverſo caput internum externumque innumerabilia pertexant vaſa ſanguine utroque & ſero diſtenta, & arteriæ præſertim, atque ſanguis quidem in nutritionem capitis totus impendatur, aqua autem minimè; & præterea hæc aqua neque iter in vaſa, unde fluxit, relegere, neque per cranii denſitatem exudare ſenſibiliter, neque per loci teporem reſolvi poſſit, itaque ſuperfluat neceſſariò, ſiquidem continenter appellit cum ſanguine; deorſum porrò ipſa nutet, nec facile loco declivi contineatur, veroſimile eſt profectò illam ſenſim è capite ſecundum ejus apophyſes, & adnata, id eſt membranas, nervoſque gliſcere, & depluere in eorum extremitates membrorum, quæ aquâ ſcatere ſecundum naturam reperiuntur.

2. Ex innumeris vaſis caput pertexantibus.

3. Ex aqua e ſanguine ſuperfluâ deorſum depluente.

Quæ doctrina ex eo lucem capit, quod aquâ præter naturam in capite congeſtâ & cunctante quidem ſive ob meatuum ejus excretioni dicatorum infarctum, ſive ob expultricis impotentiam frequentiſſimi affectus ſuboriuntur, ut ſoporoſi, epileptici, & ejus generis, ut ex hiſtoriis aliàs deſcribendis luculenter conſtabit.

4. Ex affectib. tam capitis, ex aquâ p. n. ibidem cunctante,

Ab eâdem autem aquâ excretâ & è capite depulſâ fluxiones variæ in diverſas partes ſive capiti adnatas, ut ſenſoria externa, ſive alias eaſque aut vicinas, aut etiam diſtantes ſuccreſcunt, quorum catalogus antè in præfatione deſcriptus & præſertim arthritidis genera omnia, atque variæ fluxiones, *quarum materia quidem eſt ſerum, terminus autem à quo ſeu pars mandans eſt caput.* Quod confirmatur quia hujuſmodi fluxiones prævertunt quidem ſæpè ſternutamentum & motus convulſivi, *gouttes crampes vulgò dicti:* ſubſequuntur autem, ſubſiſtentibus fluxionibus, ut ætate jam ingraveſcente, ſoporoſi, & lethargici affectus, ut ex hiſtoriis noſtris deinceps diffusè intelligetur. *Quæ ſi vera ſunt, ut ſunt veriſſima, certè concludere eſt caput eſſe veluti labrum ſeu caſtellum natum diſtributioni aquæ in varia membra ejus uſus indigæ.*

5. quàm ſubjacentium partium ex ejus è capite defluxu.

Materiam ſerum, & terminum caput eſſe confirmatur.

Theorematis IV. Concluſio.

Enim-

Quæ ulterius affirmatur.

Enimverò quoniam membra, quæ in nobis animali inſerviunt motui, & præſertim loquelæ, ac reſpirationi, nec non guſtui perenni alicujus humiditatis irrigatione indigent, atque eam ſerum commodè præſtat, alioqui ſcilicet è corporis nutritione ſuperfluum: è capitis autem particulari nutritione ſeri multum ſuperfluit, quod præ copiâ & tepore loci haud facilè reſolvi penitus poteſt, cunctari autem in loco quieto, & moram trahere non ſine putredinis & corruptelæ periculo poteſt: Ex aliâ autem parte aqua ſuâ naturâ deorſum deſcendere proclivis eſt: capiti porrò ceteræ partes, quæ humectatione egent, ſubjiciuntur rectâ, & præterea eidem adnaſcuntur continuanturque, meritò profectò hoc capiti munus tributum eſt, ut eſſet veluti labrum & caſtellum quoddam aquæ perennis ſenſim diſtribuendæ ſecundum adnata capiti in partes, quæ irrorari à ſero deberent.



MOR-

MORBI CAPITIS EXTERNI AB ELUVIE SEROSA.

SECTIONIS II. PARS I.

CAPUT I.

De Hydrocephalo.

OBSERVATIO I.

A*Nno circiter* XCVI. *ſupra* D. *me in comitatu Sereniſſimi* Caroli III. *ſuas ad Roſetum oppidum ſalinas perluſtrantis honeſta adit matrona filiam oculis orbam manu ducens, miſerabiliterque puellæ ærumnam deflens meam fidem atque operam implorat. Ego in puellam converſus frontem palpebraſque ſupra admirationem tumentes contueor, adeoque depreſſas & conniventes, ut eas ſuſtollere, oculoſve aperire nequaquam illa poſſet: ſed & calanticam ſive redimiculum capitis abjicere a me juſſa, univerſum pariter caput immaniter turgidum conſpicatus, in eodem ſæpiculè manu contrectato mollitiem ubique deprehendo inſignem, & humorem ſub cute fluctuantem, qui tactum ſubterfugiens quidem, ſed mox refluens recurrenſque evidenter ſe proderet: reliqua facies non ſecus atque frons albedine inſolitâ pallebat, quanquam ſolidus juvenculæ ſuccique plenus habitus, cui ſcilicet jam vigeſimum ſecundum annum agenti nondum menſes è naturæ lege eruperant: ceteroqui niger pilus inſinuabat temperiem ad calidam ſiccam propendentem. Porro tumor ille ſemel & iterum recurrerat jam antè, ſcilicet lentè ſubſidens vix dum exacto a primo decubitu menſe & poſt brevi periodicè repetens, ac tum tertium ſed major*

 per-

pertinaciorque ſolitò reverterat, adeò ut interea dum detumeſcerent palpebræ, in puteum puella fortè obvium deciderit.

Hydrocephali ſigna διαγνωστικά. Age hunc tumorem capitis totius præter naturam aqueum fuiſſe (*unde Hydrocephalus non ineleganter vocari poteſt*) cum gravitas capitis, albens cutis color, tumoriſque inprimis character & idea, tum ſubita invaſio & periodica, occaſioque ejus, inſolatio ſcilicet, & verò ſolutio ſubſidentiaque lenta quidem ſed perfecta per reſolutionem paulatim factam, non per ſuppuratum ſeu abſceſſum evidenter demonſtrarunt. Causa προηγουμένη. Enimverò cum calida ſicca corporis temperies ſeroſæ in toto colluviei minimè obſcura cauſa (*viſcera namque æſtuoſa & præſertim lien omnem intemperanter ex ingeſtis cibis & potulentis aqueam rapiunt exuguntque humiditatem, ut ſuperiori theoremate eſt demonſtratum*) & liberalior aquæ potus puellis ferè hydropotis & maximè aſſiduo Προκαταρκτική. in labore corporis vitam trahentibus, eoque ſiticuloſis familiaris materiam ſeroſæ in toto redundantiæ præſtitiſſent, non mediocre ſanè hæc eadem incrementum accepit partim à menſtruâ purgatione hactenus ex toto ſuppreſſâ, partim à totius habitus denſitate, cutis ſiquidem univerſa ſcabritiem quamdam veluti anſerini corporis præ ſe ferebat, contractam quippè ab ambientis algore, quod ferè nuda pectus & brachia ac reliquum corpus malè tecta incederet. Motui autem ſeu impetui ſeri redundantis ſurſum ad caput momentum dedit aſſidua inſolatio, cui ejus loci incolæ maximam vitæ partem in hortorum vitiumque cultu tranſi- Causa continens. gentes vivunt obnoxii. *Quo ſanè veriſimile fuit ſerum in capite redundans per ſympathiam totius partim ſpontè, partim vi apricationis è cerebri vaſis exundaſſe, ſuturaſque evaſiſſe cranii, & cranium inter atque cutem collectum prodigioſum tumorem illum externo in capite excitaſſe.*

Curatio. Ego autem imperavi tum puellæ *ſirupum roſaceum ſolutivum cum catholico, ſanguinis è talo detractionem, pilulas aggregativas ſeptimo quoque die ingerendas, lixivium capitis ex herbis cephalicis cum ſeminibus carthami & agarico, tum cataplaſma vel ex abſinthio incocto & macerato in vino, vel ex cochleis integris, ſed contuſis cum vino pariter coctis, aut*

in

in decocto artemiſiæ, ſtæchadis, calamyntæ montanæ, cucumeris aſinini, iberidis, ebuli. Quibus ſanè remediis caput detumuit, & palpebræ mox apertæ ſunt, exacto tamen anno poſt neſcio cujus vi morbi abreptam fatis audivi puellam ceſſiſſe. Eventus.

OBS. II. *Præfectus Baſilicis hortis villæ, cui nomen ſalictarius Rivus ad primum ab urbe Nancæo lapidem, anno circiter milleſimo ſexenteſimo deploravit apud me ſuam ærumnoſam vitam ob pertinacem inſomniam, quam gravis capitis dolor ei annum jam vertentem intuliſſet, qui dolor alioqui tactu exacerbaretur & de nocte ingraveſceret.* De Hydrocephalo cum bile permixto.

Cum ego caput contrectaſſem, ac ſtagnantem ſub cute humorem deprehendiſſem, & doloris præterea acerbitas pervicaxque inſomnia ſuſpicionem alicujus cacoëthias injiceret; ex adverſo autem cum hominis jam viridi ſenectâ famam quidem integram, & ab omni inhoneſti morbi labe alienam prorſus noſſem, temperies verò ejus atrabilaris, vitaque perpetuæ apricationi expoſita ob oculos obverſarentur, tum ſanè humorem tumoris illius continentem cauſam aqueum illum quidem, ſed acri & bilioſo perfuſum eſſe ichore, qui inſomniam doloremque induceret, ſum ſuſpicatus. Nimirum ab iiſdem cauſis, â quibus in ſuperiori puellâ, externum caput ſeroſa eluvies opprimebat, pungebatque, & impetum ejus ſurſum juvabat plurima bilis excrementitia ſero affuſa & ab hepate præcalido, cui ſaturatus rubor in hominis vultu atteſtabatur, ſuccreſcens. Signa διαγνωστικά. Cauſa προηγουμένη, προκαταρκτική, Et continens.

Cum autem vir bonus omnia remediorum genera fruſtra ſe hactenus tentaſſe, eorumque vim pervicaciâ morbi eluſam eſſe quiritaretur, jubeo ne deſponderet animum, ſed actutum poſtico occipiti cauterium inuri curaret. Dictum factum, aquâ virore quodam inſigni, & bili[a] praſſinæ finitimâ ubertim per plures dies dimanante acerbam ille inquietamque vitam jucundiſſimâ ſtatim quiete commutavit. *Cujus beneficii memoria adeò illius hæſit animo, ut nunquam me obviam poſtea offenderit, quin tanquam ſoſpitatorem ſuum amplexaretur.* Curatio. Eventus. Gratitudo erga Medicum.

[a] Porraceæ h. e. colorem porri referenti.

CAPUT II.

De genarum tumoribus, Parotide, Paraſynanche, & aliarum in ore & circa maxillas glandularum tumoribus ephemeris & aquoſis.

OBS. III. *NObiliſſimus vir ſplenicus, & ſputator perpetuus venationi ac equitationi plurimum addictus cum fortè præcipiti vere, & de mero die exercitum plures dies duxiſſet, gena illi deſubitò intumuit inſigniter quidem ſed indolenter tamen: qui tumor iterum atque iterum in vitâ recrudait, ſed fugax ceteroqui & dialis ferè.*

Tumorum ſeroſorum in genere, Cauſa προηγουμένη, Continens. Signa διαγνωστικά.

Haud dubiè hujuſmodi tumorum genus frequentiſſimum & maximè familiare, ut experientia quotidiana me docuit, corporibus quæcumque nimiâ humiditate ſcatent, & doloris dentium ſæpè comes non flatum quidem (nam unde tam copioſus irrepere, & inflare totas poſſet genas flatus?) non humorem aliquem molis craſſioris, ſed ſeroſum ſeu aqueum è capite ſcilicet depluentem continentem habere cauſam evidenter arguunt inprimis tenſio duritieſque mediocris, ſed tamen indolens. Nam aqua quia mediocriter in corpore tepet, & nullam mordacem qualitatem habet inter membranas liberas ex ſe & extenſiles facilè ſenſim gliſcens, itaque naturam minimè confertim corrumpens, nullum doloris ſenſum exhibet, quippe ab ambientis ardore primum ſenſim attracta, ſenſimque mox in inſignem tumorem genas parteſque vicinas attollens.

Cauſa προκαταρκτική;

Præterea aqueum humorem eſſe fomitem probant cum invaſio non ita ſubita, ſed lentè progreſſa per motum ſcilicet attractionis, ut modò dictum (cujus occaſio apricatio) tum reſolutio lenta pariter ſed perfecta citra reliquias ſive puris, ſive alterius materiæ durioris, vel ſaltem quæ cum plurimâ ſalivatione fiat. Scilicet hujuſmodi reſolutio uni humori aqueo duntaxat contingere poteſt calore loci mediocri

diocri aquâ ſenſim extenuatâ & abſumptâ, quemadmodum & facilè per ſe ac ſenſibiliter per carnem raram introrſum reſudat aqua, & ſalivatione excernitur.

Speciatim autem hanc de materiali cauſâ tumoris in genâ ſententiam confirmarunt argumenta particularis Nobiliſſimi viri nativa corporis conſtitutio ante tacta in ſeroſam colluviem ſive diluviem ex theor: ſuperiore proclivis, & hæc ſequentia, alvus ſcilicet liquidis ſemper diffluens excrementis, & frequentes in gulam fluxiones, quæ vel cibis viam intercluderent, quibus ſemper obnoxius vixit. Et in præſente caſu in ſpecie.

OBS. IV. Hujus generis parotidis quandam ſpeciem ſtatuere oportet, quam à fomite liceat Hydroparotidem appellare, *cujus memorabile exemplum olim in quodam adoleſcente non ſine animi ſtupore vidi: tumor namque non tantùm partes in ambitu auriculæ obſidebat, ſed per cervicem jugulumque in homoplatas & pectus medium uſque deſcendens in prodigioſam excreverat molem, qui tamen brevi ſubſedit atque delituit.* Hos tumores aurium [α] *Hippocrates ſolvi ſcribit tuſſiculâ cum ſputationibus*, id eſt, vacuari converſo in os aquoſo humore qui parotidas fovebat. Fontem enim ſqualeſcere videmus deductâ aliò aquâ quæ in fontem decurrebat. De Hydroparotide. Solutio Hydroparotid.

OBS. V. *Hi tumores ſive genarum, ſive glandularum auriculas circumjacentium, quemadmodum & glandularum colli indolentes, & paucas intra horas in immanem molem excreſcentes, ſed fugaces tamen & brevi evaneſcentes, atque alias frequentes adoleſcentibus præſertim apricatione gaudentibus, aut vero incautè primo autumni frigori ſive nocturno ſive matutino ſeſe exponentibus, ut obſervavi in plurimis hoc anno 1617. facile tepore ſolo & moderatè calidis tegumentis, vel ſolo litu chamæmelini olei, aut roſacei completi ſuperſtratâ lanâ ſuccidâ obliterantur penitus.* Nam calidorum uſus, aut frictio partis tumori incrementum daret; repulſio autem à frigidis facta periculoſa foret. Si enim cum gravitatis ſenſu, De Tumorib. genar. & glandular. circa aures & collum. Cauſæ προηγουμέναι. Curatio. Quibus calida aut frigida nocent.

[α] Coac. præn. ſ. 2. aph. 204. Τὰ παρ' οὖς λαπάσσει βηχία μετὰ πτυαλισμῶν ἰόντα. Abſceſſus juxta aurem ſubmovent tuſſiculæ cum ſputationib. contingentes.

Exceptio. ſu, doloreque, & rubore, qui rubor calidorum actu remediorum minimè ſequatur applicationem, conjungantur, nec diem intra naturalem reſolvantur ſive inſenſibiliter, ſive cum multâ ſpuitione, ſuppurationem ſanè exſpectare oportet, quæ niſi tempeſtivè & ab initio ſanguine detracto avertatur, tandem contingit, & introrſum rumpitur ut plurimùm.

Πρόγνωσις.

De Paraſynanche, & intern. oris part. tumorib.

OBS. VI. *Poſtremò in hoc cenſu numerandi tumores internas oris partes, ut faucium muſculos, pariſthmia, gargareonem, & alias ejuſmodi occupantes, qui cum præcedentibus ejuſdem ſunt indolis, & characteris, & alias adeò frequentes, ut particularia eorum exempla recenſere velle hominis ſit otio abutentis.* Scilicet partes commemoratæ meatibus excretioni ſeri è capite ſeu communi labro depluentis inſervientibus è directo ſubjiciuntur, & porrò glandulæ omnes cum ſint texturæ rarioris, aquæ imbibendæ ſunt natæ aptæ.

Solutio naturalis,

Artificialis.

Cæterum hi tumores vel plurimâ continuâque ſalivatione cauſæ foventis indice, exhauſtoque fluxionis fonte terminantur, vel inſenſibiliter reſolutâ extenuatâque aquâ tepore loci & præſertim ſi hic juvetur à medicamentis actu ſed modicè calentibus (nam immoderatè calida plus ſatis attraherent) quibus ſcilicet medicamentis os collui ſolet, & quocumque modo ſolvantur, breve intra tempus terminantur, quia deglutitio aliquo modo impedita, atque ſitis carentia, quæ partibus oris plus ſatis ab ejuſmodi depluvio humectatis contingit, occaſionem præbent tenui & ſiccanti victus rationi, quâ nullum præſentius remedium ſiſtendo hujuſmodi tumorum incremento. Hujus autem brevitatis beneficio ferè ægri medicorum operam non valdè deſiderant cum præſertim indolentia iis conjuncta non cogat.

(Medicorum fata.)

Tumorum ultra diem nat. pro ductorum curatio.

1. Venæ ſectione, ubi opus.

Nam ſi per inſignem capitis ſeroſam plenitudinem periodicè ſcilicet depoſitam diem ultra naturalem tumores produci, magiſque & magis attolli eveniat, ut notabilis noxa vel in ingeſtione cibi, ut quando etiam maxillæ aſtringuntur, vel in deglutitione ſolâ ſequatur, & paraſynanche dicuntur, tum præmiſſâ venæ ſectione in plethoricis & otio-

ſis

ſis corporibus, ſed neglectâ aliâ præparatione, quâ ſerum plus ſatis fluxile nequaquam eget, purgans medicamentum utiliter ſalubriterque exhiberi poteſt, & à me in pluribus fuit exhibitum. Neque porrò metui debet catarrhus, quia exactis jam aliquot morbi diebus ratione tenuiſſimi victus fons fluxionis ferè eſt exhauſtus. Cæterum purgationi univerſali quæ in formâ liquidâ eſſe debet, & ex hydragogis cephalicis conſtans, quorum formulæ (ne idem ſæpius inculcetur) deſcribentur in conſiliis ſequentibus, commodùm ſuccedere jubeo particularem purgationem, *quæ fieri poteſt hydromelite, cui incoxerint paſſulæ, ficus, hyſſopus, quo calido os jejuno ſtomacho ſæpe collui debet.* Nam ad hos repellendos tumores præſcripta aſtringentia à vulgo practicantium, aut potius à pharmacopolis (*quorum opera neglecto medicorum conſilio, quæ eſt ſumma hujus ævi imprudentia, primis fere diebus exquiritur*) fruſtra exhiberi ſemper ſum expertus. Cui enim ea bono, ſi depluens magnâ vi è capite aqua non magis poteſt ſiſti, & coërceri quàm nimbus Iove tonante præcipitans in aëre ſuſpendi? quorum tamen aſtringentium uſum non improbaverim ſi eximius rubor phlegmones earum partium certum dederit indicium. Prætulerim ergo lentam exſiccationem ſeu reſolutionem ſeroſi humoris imbibiti tentatam per moderatè calida, quæ ſimul robur adferent, *cujus generis ſunt maſtice, tragacanthum, myrobalani, ſalvia, ſuccus liquiritiæ condenſatus, ficus,* quæ medicamenta haud ægrè tractari ore diu & verſari poſſunt, & in affectibus gargareonis probaverim *paſſim uſurpatum piperis, aut corticis myrobalanorum pulverem.*

2. Seri expurgatione.

α. Univerſali purgatione,

β. Particulari,

Medicor. quorumd. error in uſu adſtringentium.

Nonnunquam tamen probando ſi inflammationis ſigna adfuerint. Curatio in hoc caſu inſtituta.

CAPUT III.

De Odontalgia.

OBS. VII. *SUbit mihi in animum recordatio doloris dentium, qui me ante* 18. *annos per plures dies exercuit potiſſimum appetente prandii conſueto tempore, quo ſcilicet ventriculus cibis vacuus undequaque è reliquo corpore ſuccos*

cos ſequi pronos ſolet allicere. Ejus levandi ergô cum circa primam noctis vigiliam cœnæ loco (nam curationi affectus minimè gravis diem integrum dare religioni erat) *ſumpſiſſem bolum ex caſſiâ & diaphœnici* ℥. 1. ſomnoque me protinus dediſſem, ſeſqui-horam circiter ab abſumpto medicamento evigilo deſubitò, ſtatimque everſo ſtomacho aquam ad libram unam & amplius eamque ſinceram, ac puram putam, & à medicamento vel neutiquam tinctam, etſi nonnihil lentam reddo evomoque tanto cum ſucceſſu, ut poſtea vel decem annis immunis prorſus ab hujuſmodi dolore divinâ gratiâ vixerim. Quo edoctus experimento quicunque apud me ſunt deinceps de odontalgiâ conqueſti iis ſemper perſuadere ſum conatus ut intentatis neglectiſque iis remediis, quibus vulgo os colluitur, primo quoque tempore ingerant medicamentum aliquod ſerum ſive aquam educere potens in formâ ſibi conſuetâ & familiari; cujus conſilii eventus ſemper votis reſpondit. Equidem quanquam non diffiteor dentium dolorem aliquando ab aliis poſſe ſuboriri cauſis, tamen ab eluvie ſeroſi humoris è cerebro decumbente eum creberrimè, imò ferè ſemper ſuccreſcere ſtatuo, cum nulla temperies, nulla ætas, nulla vitæ inſtitutio, nullumque anni tempus detur, in quo caput non ſcateat aquatili humiditate ob cauſas noſtrâ in præfatione declaratas; cujus ſanè odontalgias fomitis & materialis cauſæ ſignum evidentiſſimum eſt aſſidua ſalivatio perpetua ferè doloris dentium comes.

Curatio per aſſumtum purgans medicamentum, ſubſequente vomitu copioſæ aqueæ materiæ:

Quod experimentum multis profuit.

Cauſa creberrima doloris dentium per ſalivationem tanquam ſignum παθογνωμικὸν declaratur.

De Odontalg. phlegmone genæ complicatâ.

OBS. VIII. Hic operæ pretium eſt affectus non ſimplicis, ſed ex ſuperioribus & præſertim phlegmone genæ alterius complicati non ignobile ſubjicere exemplum, *quod obſervavi in religioſo viro Societatis Ieſu annorum ſcilicet viginti quatuor, & habitu melancholico*, cujus affectus hiſtoriam verbis ipſius eruditi ægroti potius quam meis placet deſcribere, quippe quam meo rogatu exaravit, ejus ſcilicet memoriâ & recordatione illius animo adhuc fidelius hærente. *Anno*, inquit, ille, 1611. *acerrimo dentium dolore occupatus fui, qui cum diem illum tenuiſſet ſub mediam noctem ſedatus eſt, ita tamen ut in mediocrem tumorem aſpe-*

Dentium dolor.

Ɛt abi-

ctabilem eumque ſiniſtræ partis erumperet, qui jam inde dentes ne liberius diduci poſſent cœpit aſtringere: poſtero die ingentem aquæ vim è cerebro uti ſimilius vero eſt defluentis ejeci. Inter- Aquæ per os ejectio critica. *ea quatridui ſpatio exiguum illud tuber, quod in alterâ genâ eminebat, uſque eo extumuit ut à ſummâ fronte ad infimum* Tumor genæ. *mentum pertinens non mediocris globi figuram expleret. Hic adeò ita compreſſi ſunt dentes, ut os diducere non poſſem niſi quantum ſatis eſſet ad ſorbillanda tenuiora juſcula, quæ mihi ſummo labore in os infundebantur. Ipſo quatriduo medicis ali-* Curatio φαρμακευτικὴ. *quot potionibus uſus ſum, ſemel atque iterum inciſâ venâ, ac poſtremâ inciſione ſanguis multâ aquâ confuſus atque perturbatus elicitus eſt, adhibitaque etiam ad peſtiferos humores exprimendos cucurbitulæ. Cum autem eò ventum eſſet, ut caute-* Χειρουργικὴ. *rium judicaretur eſſe imponendum, quo tumor ille laxaretur, ſubitò ipſum apoſtema ſe ipſo diruptum eſt, ac primo quidem aliquot dies ingentem puris copiam effudit, deinceps autem* Solutio. *confuſam depravato ſanguine ſaniem. Ac tribus hebdomadis ita ſolutus eſt, ac exhauſtus tumor ut jam liberiùs deinceps paulatim diſtringere dentes cœperim.* Hactenus vir eruditus. Sci- Morbi hujus cauſa continens. licet credibile eſt ſerum in capite litterati viri aſſidui accubuique libris humanioribus evolvendis redundans quâcumque ex cauſâ commotum excuſſumque à cerebro magnâ vi ſecundum propagines nervorum tertiæ & ſextæ conjugationum, quæ dentium alveolis implantantur, confertim irruiſſe invaſiſſeque dentes, ac acerrimum illum inflixiſſe dolorem, cujus levandi gratiâ cum ſpiritus unà cum ſanguine per quoſdam ramulos jugularium vaſorum exteriorum ad genam maxillamque pariter attinentes pro more & lege naturæ accurriſſent, tum ſenſim genam extuberaſſe ſanguine cum ſpiritu è vaſis in rariorem carnem longè latèque exundante: unde non ſolum tumor inſignis univer- Signa διαγνωστικά. ſam mediam occupavit faciem, ſed muſculi, qui motui maxillæ ſurſum attollendæ inſerviunt, eodem prægnantes ſanguine diſtenti adeò tandem & contracti ſunt, & præſertim tendo crotaphitæ muſculi, ut maxillam vel invito ægro ſurſum revellerent, nec permitterent diduci à ſe invicem dentes, oſque aperiri, quanquam probabile eſt quo-

que ſerum non tam è cerebro ſecundum nervos ipſos depluiſſe, quàm ſanguine in capitis vaſis occaſione aliquâ turgente ſerum primo exundaſſe & inſiliiſſe in dentes, moxque ſanguinem ipſum ſubſecutum genam in tumorem extuliſſe: nam experientia docet imminente inflammatione à ſanguinis è plethorico capite decubitu in vicinas partes, ſerum, fluxum quippe ac tenue, atque à ſanguine facilè ſeparabile prævertere ſæpè ſanguinis defluxum. Hinc lachrymæ involuntariæ opthalmias præcedunt, & veſiculæ aquâ plenæ ſcabioſa exanthemata.

Concluditur obſervatione quâdam experientiâ comprobatâ.

CAPUT IV.

De dolore auris internæ cum odontalgiâ mixto.

OBS. IX. *Nobiliſſimam virginem ſplenicam, & habitu gracili calidoque & ſicco, vere & autumno jam ſæpius hucuſque acerbiſſimus auris internæ dolor exercuit, atque aliquando dentes quoque in conſenſum trahens. Is autem pervicax admodum unam aut alteram quoque ſeptimanam affligebat non continuò quidem ſed interpolatè, ac tametſi vehemens eſſet, ſolo tamen gravitatis & tenſionis ſenſu, non punctionis ulceriſve, aut pulſationis moleſtus triſtiſque erat, atque febris deliriique & graviorum ſymptomatum expers; denique ſenſim langueſcere ſolebat ſine manifeſtâ ſive per aurem, ſive per palatum puris ſeu purulentæ materiæ excretione, ſed ſpuitio illi tum ſolitò importunior ac frequentior.*

Cauſa προκαταρκτική.

Quæ ſanè doloris aurium acerbi conditiones accuratè penſitatæ ſatis arguebant cauſam ejus non quidem temperiem partis nudam ac ſimplicem eſſe, ſed alicujus violentam irruptionem corporis ejuſque minimè craſſi ac corpulenti, qualis eſt ſanguis, qui è vaſis effuſus non poteſt partem aliquam capiti adnatam atque contiguam impetere magnâ vi ſine corruptelæ ſuppurationiſve periculo, atque adeò febris & delirio ob neceſſariam propagationem materiæ in cerebri membranas (*ut obſervavimus in aliquot & nomina-*

Obſervatio.

mina-

minatim in nobili adoleſcente Damiano de Mageron, cui auris poſt ſummum dolorem, delirium, & convulſiones multo pure manavit & ſæpius excreto toto unius anni curriculo) quale item eſt mucoſum craſſumque ipſius cerebri excrementum, quod aurem altiùs irrumpere vix aut ne vix præ craſſitie poteſt, & certè ubi ſemel obſederit non poteſt deſerere ſine immedicabilis ſurditatis certo diſcrimine, *ut annotavimus in nobili altero ſtudioſo Gallo Franciſco du Tronchay, cui ſurditas ab hac causâ immedicabilis ſupervenit, quæ tamen anno exacto D. Virginis Lauretanæ precibus, dum ipſe vota ſolvit in ejus templo, curata eſt ex integro cum omnium admiratione.* Arguebant (inquam) doloris conditiones irruptionem humoris non craſſi ſed tenuis potius fluxiliſque atque evanidi, ſive flatuoſi, ſive aquoſi. Obſervatio.

Quia autem multa gravitas caput auri limitaneum premebat, & de ſibilo tinnituve nullæ, quod meminerim, fundebantur querelæ, & quanquam adeſſent, quia ſpiritus ſeu flatus in partem adeò reconditam & anguſtis admodum anfractibus perviam niſi ab aquâ vareſcente & intumeſcente elatus illuc irruere non poterat, neceſſariò certè concludendum eſt cauſam hanc acutiſſimum aurium ſenſum adeò atroci ferientem dolore unum fuiſſe aqueum humorem è cerebro vi membranarum excuſſum detruſumque; cujus quippe colluvie non mediocri caput nobiliſſimæ virgini ferè ſemper laboraret, ut inſinuabant familiares illi affectus ſeroſæ plenitudinis indices ſcilicet hemicrania, inſultus epileptici, aſſiduæque ſive in dentes, ſive in pectus, ſive aliorſum fluxiones, & præter perpetuam ſalivationem non rari vomitus aquæ puræ ad libras vel in unâ vice duas, ſive ſpontanei, ſive medicamentorum caput expurgantium vi attractrice provocati. Cauſa continens. Signa antecedentia.

Atqui quoniam hujus fluxionis tam atrocis doloris parentis terminus à quo, ſeu pars mandans eſt caput, metropolis frigidi glutinoſi, ut loquitur [α] Hippocrates, id eſt ple- Cauſa προηγμένη.

[α] Lib. de pp. & carnib. Aph. 15. Ὁ δὲ ἐγκέφαλος ἐστι μετρόπολις τοῦ ψυχροῦ καὶ τοῦ κολλώδεος. Verum cerebrum metropolis (caſtellum) frigidi & glutinoſi eſt.

plenitudine ſcatens ſeroſâ, cujus fomes ſeu cauſa antecedens eſt plenitudo ejuſdem generis in toto, optimâ ſanè methodo utrique conſultum fuit *partim purgatione per pilulas alioqui familiares illi ſemel & iterum inſtitutâ, partim*

Curatio 1. purgatione univ. 2. V. S.

venæ ſectione, tum hoc nomine, tum alio ſcilicet avertendæ fluxionis ſanguinis cauſâ, qui ſive ab uſu calidorum topicorum, ſive ſpontè ad partem dolentem alias ſolet magnâ vi, utpotè quia natura eſt cœca, accurrere, & noxam potius quàm levamentum adferre, phlegmone ſcilicet concitatâ plerumque letali ex [a] *Hippocratis obſervatione*. Ad

3. Purg. part.

quam univerſalem purgationem particularis acceſſit per meatum facta ab aure internâ in os & palatum patentem, *in quem finem oris collutio ex hydromelite, in quo ſerpillum, thymus, ſalvia, hyſopus, paſſulæ, ficus incoxiſſent, & maſticatoria ſimiliaque ſunt præſcripta.*

4. Anodynis &c.

Dolor autem oppugnatus eſt non tantùm illis, quæ humorem illius fomitem ſenſibiliter vacuarent, ſed partim diſtentioni violentæ contrariâ laxatione mederentur, & humorem affluxum digererent, omninoque doloris vehementiam demulceret, quæ omni tempore uſurpata, & primo quoque utpote cum dolor urgens ad ſe medici conſilium traheret. *Ejus autem generis fuêre medicamenta lenientia & temperata, ſcilicet partim litus ſive ex oleo roſaceo, chamamelino, oleo de vitellis ovorum, ſeſamino, vel amygdalino cum aceto, ſive ex medullis porci, vituli, & id genus; partim evaporationes ex ebullientibus herbis chamamelo, meliloto, abſinthio elatæ, nec non ſacculi iiſdem pleni, & cataplaſmata;* quibus lenientibus ſenſim admixta robur parti afflantia, & magis reſolventia, *ſcilicet oleum laurinum, rutaceum, irinum, coſtinum, ſcorpionum, oleum è cepis torrefactis; adipes anſerinus, vulpinus: ſucci rutæ, roriſmarini, porri, cepæ: tum cuminum, origanum, ſampſucus, laurus, pulegium, milium, ſal, caſtoreum, & piper cum tantillo opii.*

Atqui ſuperiores ſanè obſervationes cum evidenter vel ſen-

[a] Lib. progn. Aph. 58. ὠτὸς δὲ ὀξείη ὀδύνη ξὺν πυρετῷ ξυνεχεῖ τε καὶ ἰσχυρῷ δεινόν. Auris dolor acutus cum febre continuâ & forti, horrendus eſt. &c.

ſenſibus ipſis eluviem ſeroſam plurium affectuum capitis externorum fomitem eſſe & materialem cauſam demonſtraverint, commodùm profectò viam præſternent & animos præparabunt ad fidem aſtruendam ſequentibus obſervationibus internorum & latentium capitis affectuum, qui candem colluviem ſeroſam cauſam habent etſi minus evidentem, ad quos affectus jam accedemus, ſi tamen prius adjunxerimus affectum oculorum, utpotè qui in partium capitis externarum cenſu numerandi ſunt.

Dicta tanquam fundamenta ſunt ſequentium dicendor.

CAPUT V.

De debilitate viſus, & [a] Hypochymate. Quæſitum.

OBS. X. *Conſilium petitur à viris in arte medicâ longo uſu & doctrinâ præſtantibus pro Nobiliſſ. viro ætatis 43. annorum, cætera ſic ſatis ſano, neque morbis alicujus momenti aliàs obnoxio, (ſi deſtillationes ad dentes, & vertiginem ab aliquo tempore, ſi præſertim ſtomachus cruditate, & meſenterium bilioſâ impuritate laborans vapores capiti ſubmittant, & eoſdem calidi alioqui temperamenti curis, aſſiduâ lectione, & ſimilibus amplius calefactum ad ſe trahat, excipias) aliàs in diætâ ſatis frugali & parco. Is quòd à puero aſſueverit in viſus & oculorum functione ſolum ferè dextrum oculum adhibere, & ad procul diſſita uno conſpicillo concavo uti, cum in propinquis diſtinctiſſimè conſpiciendis viſu eſſet perſpicaciſſimo, ita ut ſiniſter oculus quaſi in otio eſſet, videret autem dextro non rectâ lineâ, ſed ſemper pupillam obliquè ad interiorem angulum contorquendo, ubi & conſpicillum admovebat, accidit ut jam antè decennium ſpectra quædam ſeu phantaſmata inſtar linearum globulis quibuſdam nigricantibus appenſarum, & hinc inde ad oculi motum obvolitantium nata & oborta fuerint in dextro oculo, in multâ luce, & aëre aperto clariora, in obſcuro aëre minora, quæ tamen ante pupillam vel externis objectis affixa, niſi in ſublime magno oppoſito labore intueretur, minimè inhærebant,*

[a] Suffuſione.

rebant, ac proinde viſum ac obtutum neque hebetabant, neque caligine obfuſcabant, & licet metu gravioris mali, in quod ſpectra ſeu idola hæc commigrare ſolent, variè tunc conſilia medicorum famâ celebrium conquiſita fuerint, ſpeſque non vana eſſet cum viſa hæc longâ conſuetudine neque nobiliſſimo viro moleſta eſſent, neque pupilla tanto temporis ſpatio conturbaretur, fore, ut paulatim nimiâ viſus acie ætatis decurſu hebeſcente planè abolerentur, accidit tamen præter ſpem, ut nuper 17. Novembris die, 1615. ſubitò viſio obtenebrari, & pleraque per nebulam ac feneſtratim cerni, quædam etiam penitus obſcurari cœperint è regione dextri oculi magis in luce majori oculis ad feneſtram obverſis: melius enim & diſtinctius omnia in luce obſcuriori videt: obrepunt etiam veſperi præſertim ſcintillantes oculo fulgores & alieni colores veris coloribus mixti in diverſis objectorum partibus, literas quaſdam in ſcriptura legit reliquis planè obtutum fugientibus, & quod valdè moleſtum accidit nobiliſſimo viro, ita ſiniſtro oculo, in quo jam olim ſpectra licet minora obſervavit, difficulter ob diſſuetudinem videt, ut ob conſenſum dextri malè affecti ad omnem illius motum præſertim in majori luce perturbari & malè affici videretur, & licet pupilla dextri oculi nihil hucuſque quod notari à pluribus inſpicientibus tam Medicis quàm Chirurgis queat à ſuâ naturali conſtitutione & luciditate ſeu colore & nigredine dimota & conturbata appareat, cum imago inſpicientis æquè ac in altero oculo clarè conſpiciatur, non immeritò tamen ſuſpicio medicos tenet futuræ ſuffuſionis paulatim ac ſenſim aſpectabilis, & manifeſtè cognoſcibilis, ni Deus & remedia tempeſtiva malum avertant eventuræ, cum hactenus materialis illius cauſa ſeu corpus opacum lumini externo ſpeciebus viſibilibus inſtructo impedimentum objiciens magis retro in albugineo humore latitare, nec dum pupillæ marginibus & corneæ, qui verus ſuffuſionis ſeu cataractæ eſt locus, affixum eſſe videatur. Interim dum virorum doctiſſimorum judicia & conſilia ſuper hoc caſu cum particulari remediorum tam intus quàm extra adhibendorum deſcriptione nobis adveniant, quod unicè in tantâ & loci affecti & morbificæ cauſæ generationis obſcuritate optamus, Medici Nobiliſſimi viri totius proviſioni purgatione corporis repetitâ,

petitâ, interjectis præparantibus ac phlebotomiâ dextri brachii rarò alias fieri ſolita, nec non aliis revulſoriis & roborantibus auxiliis operam hoc tempore dederunt, cupiuntque intelligere à viris præcellentiſſimis, an in hoc dubio ſtatu & metu ſuffuſionis futuræ topica citra inflammationem, aut vim ſiccandi magnam attenuantia & diſſolventia locum habere poſſint & tutò adhiberi, an potius certior facta ſuffuſionis cognitio & maturatio exſpectanda, quæ ſuo tempore manuali operâ curetur & extirpetur, etſi magna opinionum de hoc affectu ſit diverſitas, aliis [α] ἀμαύρωσιν *ex nervi optici aliquali obſtructione hic conjicientibus, nec futurum hypochyma timentibus, quam rectè, aliorum eſto judicium.*

Reſponſum.

Affectus præſentis implicati cognitu atque curatu difficilis, inveſtigationis ratio.

UT conſilii reſponſique ſuper variâ, & cognitu juxtà atque curatu difficili *Nobiliſſimi Viri* ægritudine oculorum, quod *Clariſſimi Medici* qui ejus curæ præſunt, à nobis expetivère, *ſuaque Sereniſſ. Celſitudo Clementiſſimi noſtri Domini* injuſſit, & cui pari cum *Illuſtriſſimi ægroti* utilitate atque propenſâ erga illum animi voluntate obſervantiâque ut quam accuratiſſimè à nobis ſatisfiat, tum auctoritas imperantium cum poſtulantium amicitiâ conjuncta, tum officii noſtri ratio vehementer ſuadent, imò jubent, ut (inquam) conſilii noſtri ratio apud ſapientes viros poſſit conſtare, operæ pretium mihi facturus eſſe videor ſi antè omnia in naturæ & cauſarum propoſitæ multiplicis in viſione noxæ, ſive ejus quæ à longo tempore nobiliſſimum virum maceravit, ſive ejus quæ derepentè non ita pridem irruit, & non vano cœcitatis metu angit animum, inveſtigationem paulo exquiſitiorem breviter pro exigui temporis mihi ad meditandum conceſſi anguſtiis excurrero.

Et ordo.

Viſionis natura ex Phyſicis proponitur. Viſio quomodo fiat. Per quod medium.

Quod ut à nobis ritè atque ordine fiat, principiò *ex Phyſicis* ſupponendum viſionem ſecundum naturam fieri exterâ luce ſpeciebus colorum, vel etiam reliquorum communium ſenſibilium magnitudinis ſcilicet, numeri, & ejus generis affectâ tinctâque per oculos tanquam feneſtras il-

[α] Obfuſcationem.

lapſâ,

A quo objecto ad quod ſubjectum procedat.

lapſâ, in eoque illapſu firmatâ in cryſtallino humore, extemplòque confluente & trajectâ in commune ſenſorium, ut illic ad ſenſus communis tanquam judicis tribunal ſiſtens unà cum ſpeciebus reliquorum diverſi generis accidentium à cæteris externis ſenſoriis pariter tranſmiſſis (quorum ſcilicet accidentium propriâ & ſingulari α ſyndrome naturalia quæcumque corpora individua diſtinguuntur à ſe invicem ac dignoſcuntur) conjunctim ab animâ recipi receptaque judicari & cognoſci valeat, quæ cognitio in animæ aſſimilatione rei cognitæ conſiſtit, & viget (*anima ſiquidem lapidem cognoſcens fit quodammodo lapis, ut loquitur Philoſophus* β) deinde ſupponendum eam animæ aſſimilationem ſive unionem cum ſpecie ſenſili unius animalis ſpiritus, vinculi ſcilicet animæ & corporis, beneficio perfici. *Itaque primo lux ipſa externa ſenſibili imbuta ſpecie in ipſo ſpiritu immediatè recipitur ſervaturque (ſi modo objecto abſente è quo dimanat poteſt ſervari) & ſimitu recepta offertur animæ in eodem ſpiritu ceu primario ſubjecto reſidi haurienda imbibendaque, id eſt, aſſimulanda & judicanda.*

Quomodo mens objecta recipit, recepta cognoſcit.

Dicta beneficio ſp. Animal. perfici ſupponitur.

Concluſio.

Quod ulterius probatur à loco in quem objectum excipitur:

Per & ad quem devehitur.

Quinetiam ſpiritus animalis non ſolum ipſam ſpeciem ſenſilem in communi ſenſorio reſidens excipit fovetque, ſed eandem in primo quoque in oculum illapſu excipit exceptamque ad commune uſque ſenſorium devehit continenter, ſcilicet per nervum oculo ſenſorioque communi continuum trajectus; imò non hæc ſola beneficia ſpiritus viſioni confert, ſed etiam & oculum ipſum potentiâ diaphanum, & ſpeciem potentia viſilem quodammodo informat actuatque adeò ut abſque ſpiritus animalis illuſtratione oculi ſive tunicæ, ſive humores neceſſariam tranſmittendis ſpeciebus actualem perſpicuitatem habere nequeant. Quæ ſi vera ſunt (ut vera eſſe conſtat ex noſtrâ phyſiologiâ) *concludere eſt in naturali congruâque animalis ſpiritus conſtitutione vim videndi ferè eſſe poſitam, & contra pleraque in viſu ſymptomata non naturalem ejuſdem conſequi conſtitutionem.* Porrò ſpiritum animalem demonſtratum eſt in phyſiologiâ ad

Concluditur, viſionem naturali aut n. n. ſp. anim. conſtitutione depravari aut conſtitui.

α Concurſus.
β In Lib. 3. de Anima.

Sp. anim. quo ad viſum ſubſtantia.

ad viſum concurrere æthereæ ſubſtantiæ modo, id eſt, quâdam mediocritate in ſubſtantiæ tenuitate & craſſitie, ſed & potiſſimum in moderatâ luce & fulgore, quæ qualitates copiam quoque ejus atque ubertatem deſiderant cum puritate ſive vacuitate ab omni opacâ & alienâ ſubſtantiâ.

Repetitio cauſarum in præſente affectu,

Quæ explicantur per ſigna ἀναμνηστικά.

Quibus ita poſitis cauſæ malè affectæ in *Nobiliſſimo Viro* viſionis ab animali ſpiritu non ſecundum naturam habente meritò repeti debent. Nam quod ſpectat ad inveteratam illam à longo tempore in viſu noxam, quæ *Nobiliſſimum Virum etiam a puero coëgit ad procul diſſita clarius diſtinctiuſque conſpicienda concavo uti conſpicillo, & eidem ſpectra linearum exhibebat obvolitantia tum oculis cum in ſublime magno oppoſito labore intueretur, aliàs neque viſum hebetantia, neque caligine obfuſcantia*, quæque noxa poſtea vehementius auxit, adeò, ut *in luce mediâ deterius, nec niſi cum nictatione videret, in luce autem obſcuriori* melius ac diſtinctius ea ſanè debilitas meritò imputari debet uni ſpiritus tenuitati cum paucitate conjunctæ, quippè qui cum ratione tenuitatis facile diffluat, ratione paucitatis reſolvatur, neque ſpeciebus eminus venientibus oculoſque illabentibus robur ac lumen neceſſarium afflare valeret, & qui magnam lucem externam quidem, & primariam ſive meridianam ferre ac ſuſtinere impotens ad extimum progredi oculum metueret, ſed ſecundariam duntaxat & obſcuram impunè ferat, ab eâ certè non diſſipetur. Hanc ſanè viſus debilitatem ad μυωπίαν referre placet, ſiquidem ex [α] medicorum claſſicorum conſenſu μυωπία *eſt, cum viſus non omnino ſublatus aut hebes, & obtuſus ut in* ἀμβλυωπίᾳ, *ſed diminutus ita ut propius admota etiam minima æger cernat & exactè diſtinguat, ad remota tamen & paulò longius diſſita penitus caligent oculi: ſed & ſub noctem quam in meridie facilè videant, naturâque duce laborantes ad cernendum palpebras committant nictentque, unde* ἀπὸ τοῦ μύειν, *hoc eſt nictare palpebraſque claudere* μύωπες *(luſcioſos vocat Budæus) malum ſæpè à naturâ contractum, quo laborantes cum paulò diutius lege-*

Cauſa continens.

Genus morbi hujus vocatur μυωπία.

α Clar. Jac. Hollerii in Schol. ad cap. 20. lib. 1. de morbis int. & L. Dureti.

Μυώπων διάγνωσις.

legerint, aut oculos aliquò conjectos habuerint, exhauſto ſpiritu tenuiori cœcutiunt, aut limis ſemicluſiſque oculis volitantia quædam in aëre corpuſcula ſeſe intueri putant.

Inquiritur, ſpectra oculis obverſantia, an phantaſmata, an vera ſimulacra fuerint?

posterius affirmatur,

Quid autem *ſpectra linearum globulis nigricantibus appenſarum volitantia tot annos impunè oculis obverſantia, cum in ſublime oculos magnâ cum contentione tolleret?* an phantaſmata falsò illudentia, an potius vera ſimulacra, ſed pilorum palpebris adnatorum & per nictationem cum illâ in ſublime oculorum elatione conjunctam incidentium in pupillam? non improbabile eſt ſanè ſimulacra illa non tam vana fuiſſe ab interno oculi vitio, quam vera ſpectra rerum oculis ipſis externarum, ſed aliàs viſum quidem fugientium, tum autem in viſum incidentium ob errorem externum, id eſt, palpebrarum depreſſionem in aſſiduâ illâ nictatione, & concurrentem cum elatione oculorum in ſublime inſueta.

& confirmatur: 1. Ex morib. quos patiens, adhuc puer, habuit.

2. Ex motu oculor. & palpebrar.

3. Ex conſpectu figurar. inſolitar.

Nam cum ille à puero nictare palpebraſque propè claudere, præſertim in luce clariore, aliquando autem oculos in ſublime attollere, ad rerum ſcilicet capiti inſtantium conſpectum cogeretur, quia certè diverſis à principiis ſeu muſculis palpebræ oculique moventur, ſimulque oculus attolleretur & ſuperior palpebra deprimeretur, neceſſariò in illo oculorum & palpebrarum contrario motu eveniebat, ut pili palpebrarum dimiſſi in pupillæ elatæ centrum incurrerent & objicerentur, itaque ſui ſpeciem immitterent, ſicque quaſdam veluti lineas alio tempore neutiquam videri conſuetas repræſentarent, quod ſcilicet pili in tenuem & oblongam molem efformati referant quodammodo lineas; ſed & cum eorundem pilorum apicibus lippæ aliquid paſſim adhæreſcere ſoleat, & vel ipſi apices nonnihil incurvari, hinc lineis ipſis, id eſt, pilorum ſpeciebus globuli veluti nigricantes quidam appenſi videbantur. Equidem ita ſtatui non abſurdè poſſe de iis ſpectris elicere eſt ex diſertis quæſiti verbis; nam *hæc ſpectra eo duntaxat tempore ante pupillam vel externis objectis affixa hærebant, cum ille in ſublime magno oppoſito labore intueretur:* cur enim, ſi ab internò vitio, non ſemper? dein cur ad oculi motum

Concluditur ex verbis quæſiti. 1. Corollar. 2. Corollar.

tum obvolitarent, niſi quia motis oculis & ſtantibus palpebris quæ ſcilicet in gyrum non movetur cum oculo, aliis atque aliis pilis in oculos incidentibus ſpecies ipſæ lineares ita moveri viderentur? Conjecturam adjuvat quod *Nobiliſſ. æger* propinqua exactiſſimè cernit, ut non ſit mirum pilos quanquam tenues minimè aciem ſubterfugere oculorum, qui tamen paſſim in omnibus ſubterfugiunt cum vix è millibus unus ſimul utrique motui palpebrarum & oculi diverſo aſſueſcat. Denique eandem conjecturam confirmat quod hæc qualiacumque *ſpectra à decem annis importuna, minimè tamen viſum hebetarunt aut caligine obfuſcarunt:* quod tamen ſecus eſſet, ſi à vitio oculorum interno, & à ſuffuſione adeò contumaci dimanarent. Ut ut ſit autem, de iis, *Clariſſimis Medicis* præſentibus pro ſuâ ſapientiâ judicandum relinquo, cum nullius ea alioqui momenti eſſe & errori potius externo, id eſt, motui illi depravato palpebrarum tribuenda eſſe, quam cauſis intus latentibus eventus ſatis indicaverit.

Quæ ſolvuntur.

Et confirmantur.

Et Medicor. præſentium judicio relinquuntur.

Jam autem quid repentinam illam & formidabilem, quæ *Novembri menſe ſupervenit, oculi non tantum dextri ſed ſiniſtri quoque obtenebrationem, eamque tam gravem, ut pleraque per nebulam & feneſtratim cernat, quædam etiam non cernat, & in ſcripturis litteras quaſdem legat, reliquis planè obtutum fugientibus?* quid *obrepentes præſertim veſperi ſcintillantes fulgores, alienoſque veris coloribus mixtos in diverſis objectorum partibus*, an non hæc omnia in adjunctam paucitati & tenuitati animalis ſpiritus, impuritatem cjuſdem, id eſt, alienæ materiæ ac opacæ cum ſpiritu commixtionem meritò conjicere poſſumus & debemus? ita ſanè eſt & inſinuat pupilla oculi dextri, *quæ nihil hucuſque, quod à pluribus inſpicientibus tam Medicis quam Chirurgis notari queat, à ſuâ naturali conſtitutione colore ac nigredine dimota aut deturbata apparet, in eâque imago conſpicientis æquè, ac in altero oculo clarè conſpicitur*, ut omnino neceſsè ſit corneam uveamque & aracnoidem, pariterque albugineum & cryſtallinum humores reverâ extra culpam eſſe. Scilicet admixtis inæqualiter & affuſis ſpiritui animali in nervo opti-

Repentinæ viſus obtenebrationis, & fulgorum ſcintillantium veſperi obrepentium, cauſa eſt diminutio ſp.anim.

Quod probatur ex conſtitutione pupillæ oculi dextri.

Concluditur.

co deliteſcenti oculumve perluſtranti univerſum, & præſertim antè pupillam fruſtulis ſeu flocculis, ſive potius guttulis materiæ cujuſcumque modo aliquatenus opacæ, quæque & à ſpiritu pauco, tenuiſſimoque illuſtrari & actuari nequeat, ſed contrà potius illum unire & denſare, & non facilè ſui ſpeciem in alienos diffundere oculos, ſive ob aëreum colorem, ſive ob ſpiritus actuantis defectum non poſſit, & quæ cæteroqui ſit impervia trajiciendis ſpeciebus ſenſibilibus externis, ſed potius intercludendis aditu ad cryſtallinum ob aliquam levem craſſitiem nata apta, neceſsè eſt profectò eam viſus læſionem contingere, quæ, quidem reſpectu objectorum externorum nebuloſa, ſed internis tamen ſplendoribus & alienis coloribus ſit perſpicua præſertim veſpertinis horis, quo tempore cùm aliena ſubſtantia in oculos diffluere ſolet, tùm ſpiritus ab ambientis frigore quodammodo cogitur.

Prognoſticum I.

Atqui cum hujuſcemodi in viſu offenſam, quæ ad α ὑπόχυσιν referri debet, *Nobiliſſimus Vir* patiatur, haud vanus eſt cœcitatis imminentis metus (niſi provideatur) ſive ab integrâ pupillæ obſtructione & hypochymate, ſive ab infarctu & oppilatione nervi optici, quæ *gutta ſerena* dicitur. Nam β ἀμαύρωσις Doctiorum Medicorum in græcâ linguâ ſenſu eſt potius ſplendoris in cryſtallino humore privatio, cum ſcilicet is exaruit, ſplendoremque amiſit ſenio aut calamitate morbi calidi ſicci, quam γ oppilatio nervi optici.

Cauſa materialis pupillam obſtruens:

Sed quænam eſt hæc materialis cauſa obſtruens pupillam? ſanè cum malum derepente invaſerit, nec ſtatim ſubſederit, moxque recurrerit ex intervallis, ſed continuò æqualiterque, non autem potiſſimum poſt paſtum obſederit, itaque altas omnino fixerit radices; ex aliâ autem parte nullæ in quæſito expreſſæ ſint querelæ ſive morſus oris ventriculi, ſive febris urgentis, aut inſtantis criſis, ſive affectus melancholici (quanquam ſuffuſio hypochondriacis minimè eſt propria & inſeparabilis) ut jure vapores accuſari poſſint è ventriculo, viſceribus, vel toto corpore elati, qui aliquando viſa quædam viſis ſuffuſorum ſimilia ex- [illegible] citare

---

α Suffuſionem. β Obſuſcatio. γ Obſtructio.

citare per intervalla ſolent, meritò concludere eſt materiam illam obſtruentem ſive intercipientem lucem externam coloribus rerum objectarum affectam eſſe potius humoralem, quam vaporem, & cum humorem qualiſcumque ſit ab uno defluere capite.

Concluditur caput ejus materiæ fontem eſſe.

Hoc profecto confirmat anamniſis tam fluxionum in dentes quam vertiginis, quibus antea *Vir Nobiliſſ.* vixit obnoxius.

Quod confirmatur ex ſignis anteced.

Age ergo quis ſpeciatim humor & ubi in oculo latitat? equidem non alium humorem eſſe quam qui in capite redundare paſſim conſuevit crediderim, aquam ſcilicet ſive ſerum purum putum, niſi fortè lentius jam à morâ factum, vel cui immixtum ſit nonnihil mucoſi illius & excrementitii humoris viſcidique, qui à particulari nutritione cerebri ſuperare ſolet; quem humorem aqueum fluxionis alioqui omnis materialem cauſam non tam ex vaporibus undecunque in caput elatis & ejus frigore aqueſcentibus (quanquam eſt communis medicorum ſententia) colligi in capite ſtatuo, ſed potius affirmo eſſe ſerum illud quod utrumque ad caput deducit ſanguinem, & eo munere perfunctum ex naturæ inſtituto ob memorabiles utilitates, quas brevitatis cauſâ omitto, decurrit in organa motus animalis. Hic ergo ſeroſus humor quâcumque ratione redundans in capite quoties ab eodem depluit in ſubjectas partes, ac præſertim oculos, variis materiam fluxionibus præſtat.

Serum è capite defluens materialem eſſe cauſam,

Concluditur.

Nec dubium eſt eum ſive è ventriculis cerebri in opticos irruat nervos, ſive è vaſorum oculi & capitis finibus exprimatur in ſpatium interjectum inter cryſtallinum & uveam obtenebrationem poſſe invehere, de quâ agitur, interceptis ſcilicet quadantenus ſpeciebus viſibilibus medio in itinere ab illo obſtruente tanquam pariete objecto, ſpirituque animali intercepto pariter & ſimul denſato, cujus ſpiritus interceptionis ratione aqueus ille humor intercipiens & in extremo pupillæ propè cryſtallinum latitans cum ſit tenuis fluxuſque necnon denſatus, & coloris ſit aquei ſeu aërei à diaphano parum remoti, certè ſui coloris, ſi color

Locus qui & quomodo affectus.

 dici

dici debet, ſpeciem ad extrà effundere nequit, ut ab aliis videatur, ideoque imperceptibilis eſt, nec pupillam ad aliorum ſenſum turbat, etſi ad ſenſum ægroti offuſcat, imperceptibilis (inquam) eſt cum lux interna eum minimè trajiciat ut neque lux externa actuare poteſt, quæ cum niſi cono ſuo tanquam puncto cryſtallinum feriat, certè ea quæ ſunt propè illum, & ad latera actuare non poteſt. Sed enim ratione denſitatis ſpirituum ab eodem humore coactorum & magis quam antè unitorum fulgores ſanè oboriuntur, ſiquidem ea eſt natura ſpiritus ut cum ſit ex æthere delibatus, is quotieſcumque denſatur & conſtipatur tum fulgorem ſeu ſplendorem ex ſe emittat. Denſati ergo ſpiritus ab humore illo alieno refundunt quandam lucem in cryſtallinum, varioſque in uveâ colores actuantes ſplendoribus & flammis diverſiſque coloribus totum perfundunt oculum & colluſtrant, objiciuntque ſpiritibus in nervo retrorſum deliteſcentibus, deferendos ſcilicet uſque ad commune ſenſorium.

(Spiritus ex Æthere delibati natura.)

Difficultas quædam ex effectu ſoluta.

Quanquam autem hic humor aqueus pupillam obſtruens latitat & imperceptibilis eſt alienis oculis ſive ob dictam cauſam, ſive ob ſubſtantiæ ſimilitudinem cum albugineo humore, cujus ſimilitudinis ratione externus oculus in ægro oculo alienum colorem â naturali albuginei non facilè poteſt diſcernere, tamen haud dubium eſſe poteſt ſi lapſu temporis is humor verſus pupillam antrorſum ab alio de novo affluente humore protrudatur, ſibique potiſſimum adjungat ichorem aliquem ſive bilioſum, ſive atrabilarem, tum ſeſe citrino vel atro colore ſatis ſuperque proditurum eſſe & aſpectabilem redditurum.

Prognoſticum II.

Quicquid autem eventurum ſit, hoc tempore ſtatuere oportet, morbum eſſe ſuffuſionem fientem ſeu primam hypochyſeos ſpeciem, quæ ſedem habet in pupillæ extremo interno ſive humori cryſtallino contermino. Non diſſimulabo tamen primo quoque tempore, quo ſplendores fulgoreſque legi, tum guttæ ſerenæ ſuſpicionem animum meum pupugiſſe, quod iſtas flammulas obverſantes ſolere prævertere repentinam nervi optici ſive oppilationem ſive inflam-

inflammationem meminiſſem. Sed cum gutta ſerena cæcitatem perfectam ut plurimum & immedicabilem, niſi intra naturalem diem ei provideatur, inferre ſoleat, malè ominatis verbis parcere malo, & ſtatuere potius hypochyſin eſſe, eamque medicamentis & arte non ſuperiorem.

Ratum ergo eſto firmumque propoſitas in viſu noxas ad μυωπίασιν & ſuffuſionem inchoatam, ſive primæ ſpeciei reduci oportere, atque continentem cauſam illius quidem eſſe animalis ſpiritus immoderatam cum paucitate tenuitatem: hujus autem utrique adjunctam ſpiritus impuritatem, ſive affuſionem permixtionemque humoris aquei cum ſpiritu, impedientis videlicet, ne hic illuſtret ut debet cryſtallinum & albugineum humores: quæ ſententia de aqueo humore obſtruente eſt communis omnium medicorum, ſiquidem hanc ſuffuſionem guttam nebuloſam vocant. Summa dictorum.

Atqui quoniam hujuſcemodi ſpiritus conſtitutio præter naturam ſuas habet cauſas, quæ niſi amoliantur, ſpiritus nativæ ſuæ integritati nequit reſtitui, eæ profecto pari cum deligentiâ & brevitate ſunt à nobis inveſtigandæ. Quod ergo ad ſpirituum tenuitatem attinet, quoniam tenuitas in genere eſt effectus caloris, *ut ex Phyſicis conſtat*, neceſſe eſt tenuitatem illam ſpirituum calidæ capitis temperaturæ à Præſtantiſſimis Medicis annotatæ eſſe effectum. Spiritus vitalis ſuo quidem ingenio mirificè tenuis, delibatus quippè ex æthereâ ſubſtantiâ, qualis per infimam ſphæræ igneæ, aut potius ſupremam aëreæ ſphæræ regionem pervagatur, ubi in cerebrum pervenit, tum vernaculâ ejus tenuitate cerebri frigore retuſâ accommodatiorem quandam comparat ſenſibus craſſitiem (quâ de cauſâ cerebrum cordis gratiâ factum cenſuit *Ariſtoteles.*) Quid mirum igitur ſi à præcalido cerebro minimè tepefactus ſpiritus, ſed vernaculam retinens tenuitatem minus quam par ſit viſus ſenſui congruus evadat?

Spiritus hujus p. n. conſtituti ulterior inquiſitio.

Cauſæ προηγμέναι.

Age autem ejuſdem ſpiritus paucitas evidenter cùm eidem capitis calori intemperatiori nimium ac nimium reſolvere nato, tùm vero edacibus curis, quæ Nobiliſſimum Virum miris agitant modis, aſſiduæque lectioni meritò tribui

Et προκαταρκτικαὶ.

bui poſſunt. Quid denique impuritas? colluviei certè feroſæ capitis, impuritatis ſpirituum fomitis intemperiem ejuſdem capitis calidam eſſe indicem & parentem argumentum eſt propenſio in fluxionum omne genus annotata α *Galeno: ſcilicet quibus ſanguis fervidior eſt, iis ejuſdem Galeni obſervatione & anatomiæ fide vaſa inprimiſque arteriæ plurimo redundant ſero:* quibus vaſis quia innumeris caput eſt intertextum (gratiâ ſcilicet uberioris ſpiritus qui tot ſenſibus pro vitâ perpetuo excubantibus & tot ſufficiat motibus) neceſsè eſt certè caput perenni ſcatere aquâ.

Cur aqua ex capite in oculos potius quam alioſum deplucrit?

Sed rogabis quî fit ut aqua in capite perpetuò ſtagnans potius in oculos, quàm alioſum depluerit? ſcilicet oculorum præ cæteris ſenſibus in nobiliſſimo viro intemperanti addicto lectioni perpetuus motus perenni irroratione egens naturam alioqui cœcam tandem ſollicitavit ad aquam in calido cerebro redundantem in ipſos deponendam ſive per vaſa oculorum nutritioni dicata, ſive per nervum inſigni cavitate inſculptum, quanquam non deſunt aliæ cauſæ pleonexiæ quæ aquæ in capite ſtagnanti motum in oculos dare valeant ſive externæ, ſive internæ.

Curatio triplici ſcopo inſtituta.

Quibus ita conſtitutis ſcopi ſanè curationis haud difficili meditatione, nec moroſâ inquiſitione egent. *Spiritus nimirum nimia tenuitas ad mediocrem ſubſtantiæ modum incraſſatione quâdam, ſi fieri poteſt, reduci debet; paucitati ejuſdem ſuccurrendum; impuritas denique ac permiſtio aquæ è cerebro depluentis avertenda eluendaque eſt.* Quibus autem præſidiis ea poſſumus conſequi animus non eſt minutius velle perſequi, ſed intento duntaxat ad fontes digito ſumma capita indicare, nec paſſim obvia & ſatis clariſſimis medicis nota attingere, quia etſi non ſus Minervam (ut ajunt) tamen ineptè quiſquis Minervam docet, *ut ait Marcus Tullius.*

Scopus I. conſiſtit in correctione cauſar. antecedentium,

Ergo quod ad primum ſcopum attinet, quoniam nimia ſpirituum tenuitas eſt calidæ capitis intemperiei effectus, primum hæc intemperies quantum licet emendanda, certè ne capiat incrementum coërcenda; hoc autem conſequi optabilius eſt correctione cauſarum, quæ cerebrum ſuâ naturâ

α In arte parvâ.

turâ frigidum immoderatius calefacere poſſunt, quàm aſſiduo frigidorum uſu remediorum, à quibus ſpiritus ipſe detrimentum capere poſſet.

Quia ergo inter cauſas internas quidem præcipuè eſt ſanguinis appulſus ratione conſiſtentis ætatis jam atrabileſcentis: inter externas autem ſunt vinum, & curæ (vino ſiquidem vitali & propè actuali calore prædito nihil magis caput calefacere natum eſt, & à curis ſanguis in capite magis magiſque uritur) victus certè ratio ad moderatam frigiditatem vergere debet cum ſiccitate conjunctam, quæ ſanguinis phlogoſin, viſcerumque & lienis præſertim temperet, ſerique influxum ſiſtat; *ex quo uſus avium domeſticarum, carniſque vitulinæ, & hœdinæ, & extremitatum præſertim animalium utpotè craſſiorum partium unà cum juſculis endiviâ, bugloſſâ, portulacâ, lactucâ (quanquam vulgò & imprudenter damnatur) & ejus generis ſaporatis, omninoque aromatum & condimentorum acriorum expers familiaris & ordinarius deinceps debet eſſe; vini autem & generoſi præſertim uſus parciſſimus, maximéque in cœnâ, cujus vicem hydromel hyſopo alteratum, vel decoctum ſarſæ, aut ſinæ eſſe poterunt:* denique curæ acres, meditatioque animi, & ſeria omnis contentio maximè fugiendæ, quippè quæ ſanguinem ad caput trahunt & non mediocriter urunt; itaque altam tranquillitatem amabit hilaritatemque & otium. De lectione non quidem tollendâ, ſed moderandâ ſupervacaneâ mea fuerit admonitio.

Quæ perficitur tum victus ratione ad moderatam frigiditatem cum ſiccitate vergente,

Tum rerum non naturalium recto uſu;

Jam quoniam animalis ſpiritus paucitas ab eâdem cauſâ fluit, æſtuoſâ ſcilicet capitis affectione, ſuperior ſanè vitæ ratio accommodata tenuitati corrigendæ medebitur quoque ejuſdem paucitati. Ex quo rerum odoratarum uſus ſpiritibus reficiendis & augendis plurimùm commendatus & æſtui capitis temperando idoneus hic non erit inſalubris, è rebus naturâ ſuâ frigidis *ut ſunt citria mala, aqua roſarum & acetum*, petendus; nam odoratorum calidiorum uſu caput magis magiſque æſtuaret.

II. Scopus in correctione cauſæ continentis iiſdem remediis, additis tantum ſpiritus reficientib. & odoramentis frigidis.

Poſtremò quod ad tertium attinet caput, impuritatem ſcilicet ſpiritus, ejus providentia potiſſimùm habenda eſt, quip-

III. Scopus, in correctione cauſæ

I

antecedentis & deſtructione materialis.

quippe quæ hypochyſin fovet præſentem, & cataractam, ſeu guttam ſerenam interminatur. Quoniam itaque ea impuritas eſt seroſæ in toto & præſertim in capite ſtagnantis illuviei effectus, ea certè tanquam antecedens cauſa omni arte elui debet & corrigi, antequam conjunctæ cauſæ & ſpiritum in oculo obfuſcanti conſulatur. Illud ergo conſequemur tum ſiccâ victus ratione, tum diverſionum & evacuationum aquæ præſertim in capite reſidis omni genere: victus rationis momentum omne in parco uſu liquidorum, & potu poſitum eſt præcipuéque vini, quo nihil in implendo capite, ſeroſâque plenitudine augendâ pro inſito ejus ſurſum impetu, ſubſtantiæque modo aqueo potentius reperire eſt.

Quæ expeditur, 1. Siccâ victus ratione:

2. Univerſalibus remediis, ſeroſam colluviem ab oculis divertentibus.

Remedia autem, quæ ſeroſam ſive in toto, ſive in capite colluviem eluere nata ſunt, itaque potenter ab oculis divertere, varia ſanè ſunt quæ adhiberi poſſunt: quædam namque aquam manifeſtè evacuant, *hydragoga dicta*, ex quorum magna copia *Prudentiſſimis Medicis* eligenda relinquo, quæ *Nobiliſſimi Viri* temperaturæ & anni tempori accommodatiora videbuntur; ſuaſerim tamen ea ſæpius repetenda, ſi præſertim ſint benigniora, qualia ſunt *manna*, *ſyrupus roſaceus ſolitivus & mel*, *ut & ſyrupus de cichoreo cum rheo*, quorum uſum in calidis & bilioſis naturis maximoperè commendo. His autem adjungi magis particularia poſſunt, quæ è capite ipſo aquam trahere nata ſunt, ut ſunt *maſtice & paſſulæ*, quæ cum ſatis validè aquam eliciant, & ex oculis avertant, alvum præterea molliunt & ſuo vitali calore viſcerum fovent calorem, atque adeò ſpiritus roborant. *Cucurbitulæ* occipiti admotæ vel homoplatis, *cauterium* pariter occipiti, imò auricillæ imulæ, ut & *veſicatoria* ſuo jure ab omnibus probantur, ut & *ſectio venarum ad oculi angulos*; quæ omnia quia ſeroſam in capite colluviem eluunt, non dubito, quin à *Præſtantiſſimis Medicis* hactenus fuerint uſurpata. Idem momentum habent *ſudorifica* ſi tempus permitteret, quorum tamen uſum temporis inclementia mihi non videtur retardare debere, nam ſi ſudores non promovent, ſaltem inſenſibiliter aquam ſtagnan-

3. Particularibus.

4. Chirurgicis.

5. Sudorificis.

gnantem diſcutere & reſolvere poſſunt: viderint ſapientes medici, modo eligant quæ viſcera & ſanguinem non calefaciant. Huc denique pertinet exercitatio corporis manè inita, jejunoque ſtomacho in loco tranquillo & quotidiè repetita. *6. Nec non exercitatione corporis.* Porrò quòd ad diſcuſſionem ſpectat materiæ in oculo contentæ & primariæ cauſæ, (ſiquidem jam derivationis ab oculis ſpes omnis decollaverit, & in eum ſubſtantiæ modum humor concreverit, quod minus optandum, qui retroceſſum in vaſa aut nervos non permittat) certè diſcuſſioni ejus incumbendum, quam non injuria cum *Sapientiſſimis Medicis* metuerim non ſolùm, quia cum non niſi calidis admodùm perfici poſſit, ab eorum uſu inflammatio tabeſque oculi imminet, quam certè inflammationem ſucceſſiſſe ſemper comperi, ſed quia eadem calida nimiam ſpirituum tenuitatem μυωπίας continentem cauſam fovere nata ſunt. *Diſcuſſio materiæ in oculo contentæ procuratur,* Ut tamen *Magnorum Virorum* & præſertim *Ludovici Mercati* auctoritati dem aliquid, leviorum uſum aliquantiſper tentandum eſſe reor, & præſertim eorum quæ intrò uſurpantur, ſive maſticantur, ſive eduntur, ut ſunt v. g. *fœniculi ſemen, euphraſia, & quorum luculentam ſylvam Hollerius, Mercatus, & alii ſuggerunt:* *Vel medicamentis diſcutientibus levioribus, iiſque intro aſſumptis;* quòd ſi non ſucceſſerit brevi & feliciter, viam contrariam, id eſt, maturandam incraſſatione ſuffuſionem cenſeo, quæ via unà quoque ſpirituum tenuitati accommodatior futura eſt. *Vel incraſſantibus.* Atque hæc de naturâ affectus, & remediis pauca, judicio *Clariſſimorum Medicorum* qui *Nobiliſſimo ægroto* adſunt, facio lubens, voveoque eidem meliorem valetudinem ex animo, & pari cum voluntate hanc paucularum horarum lucubrationem dico dedico.

Ceterum notabis lector, Nobiliſſimum Virum convaluiſſe quidem ab oculis divino beneficio antequam per itineris longitudinem reſponſa accipere potuerit, ope ſcilicet medicamentorum caput à ſeroſâ colluvie liberantium: Morbi eventus. *eam autem fuiſſe munificentiam ejus, ut ter centum taleris imperialibus voluntatem egregiam ſex duntaxat Medicorum, qui ſive in turbâ, ſive ſeorſim, in quorum ego numero, reſponderunt quæſito, compenſarit.* Munificentiæ inſignis erga Medicos exemplum.

MORBI CAPITIS INTERNI A COLLUVIE SEROSA.

SECTIONIS II. PARS II.

CAPUT I.

De Hemicrania.

OBSERVATIO XI.

MEmini me nondum ephœbum Lutetiæ Pariſiorum ſtudiorum causâ morantem inſigni dolore capitis deſubito fuiſſe correptum, eique deinceps toto illo cum Muſis contubernio annorum quatuor ſupra decem periodicè circa omnes ferè temporum mutationes recurrenti vixiſſe obnoxium & mancipatum. Is dolor anticum caput frontemque graviter premebat, contundebatque aliquot per horas, & nunquam niſi ſuccedentibus copioſo aquæ lentæ quidem, ſed bile aliquando affuſæ vomitu, ac ſopore langueſcebat & ſolvebatur. Etſi autem is, poſtquam in Italiam ſeceſſi & potiſſimum demenſo per ineuntem autumnum æſtuoſum ut ferè fit Apennino ad nativum redii ſolum, primo evidenter miteſcere cœpit, ita ut in poſterum de acerbitate ejus nulla mihi querimoniæ juſta ſatis cauſa eſſet, nihilominus tamen vomitus aquæ building bilioſæ, inclinatioque in ſoporem exhibere periodicè negotium non deſtiterunt; ſed quod longè acerbius fuit hemicrania ipſa cum convulſivis ſæviſque admodum tum lumborum, tum totius abdominis cruciatibus commutavit, iiſque recurrentibus autumno & vere præſertim, non tantum quoties Aquilo deſubito ſæviret, ſed etiam ſerena aëris conſti-

conſtitutio in humidam ac pluvioſam faceſceret, imò quotieſcumque nimbus tempeſtaſve præceps de cœlo rueret, quorum dolorum hiſtoriâ in aliud tempus dilatâ, de hemicrania nunc philoſophari ſic liceat.

Enimverò cum brevitas fugacitaſque doloris capitis, & vomitus ex partebilioſus videatur inſinuare non aliam ejus extitiſſe cauſam, quàm vaporem quemdam ex ebulliente circa hepar bile, ſuâque caput ferientem vellicantemque acrimoniâ; ex adverſo tamen colluviem ut potiùs ſeroſam accuſem vel in capite ante ſtagnantem ac quieſcentem, ſed per ambientis commotionem ſive obſcuro quodam lunæ ſyderumque influxu, ſive à reciprocantibus ventis illatam, ſive aliter (*inferiora enim corpora à ſuperioribus omninò certòque reguntur, & moventur*) fermentatam, vel raptu quodam in caput delatam & ferveſcentem, ideoque cerebri membranas violenter diſtendentem divellentemque ſuadent, hinc dolor non acer ac pungens, ſed gravitate obtundens, non vigiliis diuturnis infeſtus, ſed in ſomnum dulcem ac demulcentem inclinans; illinc vomitus aquæ quidem ſemper etſi aliquando bili immixtæ, ſed ut plurimum ſinceræ puræque, lentæ tamen & albumen ovi quaſi congelati referentis; nam ſi aquæ vomitum ſolutio doloris hactenus ſemper ex voto ſubſecuta eſt, neceſsè eſt profectò dolorem in hemicraniâ ab aquâ ſuam repetere originem & incrementum. Ea autem aqua ſputo & ſalivæ tam germana quam lac lacti unde niſi è capite? imò ſi aqua hemicranicis evomi ſolita ipſiſſima eſt ſpecie, quæ à medicamentis validis & hydragogis tracta vomitu paſſim rejici conſuevit, hanc autem omnes ab uno fluere capite, non è venis autumant, quid cauſæ eſt, cur caput fontem aquæ vomitu in hemicraniâ redditæ non agnoſcamus?

Hemicraniæ triplex cauſa, (antecedens continens προκαταρκτική) ex ſuis ſignis proponitur.

Corollaria.

Equidem cum ratio diſſuadeat aquam ex ſe gravem è venis meſaraicis gaſtriciſque ſurſum aſcendere in ventriculum vaſis illis ſuperiorem poſſe, tum nunquam vidi, aut alium expertum eſſe crediderim, naturam ſeroſam totius habitus colluviem per ventriculum depoſuiſſe vomituque redditam fuiſſe, ſed per inteſtina in diarrhæâ aquoſâ: cum contra nihil frequentius quam

Aquæ ex inferiorib. & ſuperiorib. partib. profluentis diverſa excretio.

particularem capitis pleonexiam in ventriculum deponi.

Bilis ſero immixtæ diverſus ortus, idem finis.

Quod ſi quandoque bilis ſero immixta in hemicraniâ redditur, ea certè aut ex ipſo capite ſimul cum ſero diffluit (ſerum ſiquidem in capite ipſo bilioſum eſſe maximè mucus narium, ſeu mala pituita naſi viriditatem nedum flavitiem in pleriſque & in me ut plurimùm referens etſi parca admodum, & lippa oculorum auriumque cera manifeſtè arguunt) aut vero ex hepate primò in ventriculum eructare poteſt eo ipſo tempore, quo aqua è capite in eundem depluit. Nimirum interea dum membranæ capitis in excutiendo ſero moleſto ſponte contrahuntur, peritoneum certè ejuſque ſoboles omnes unà quoque convellantur oportet; itaque veſicam cholidochum convulſam bilem in ventriculum exprimere effundereque neceſſe eſt, quæ actutum è ventriculo pariter quoque convulſo aut etiam ſpontè reſupinato per bilis irritationem vomitu ſimul cum aquâ deorſum è capite fluente rejicitur. Certè eam aliquando meningum cerebri in hemicraniâ & præſertim in ipſo vomitu contractionem perſenſi, ut manifeſtè cranium à ſe ipſo divelli, ſuturaque coronalis aperiri mihi propemodum videretur non ſine atrociſſimo dolore, quanquam aliàs tamen ferè abſque ullo labore, & vix ullâ moleſtâ ventriculi ſurſum reſupinatione vomitus mihi ſuccedere ſoleat, quippè cum ventriculus tum ſpontè, irritatus ſcilicet à bile ſurſum moveatur, tum quaſi per vim, per α συμπάθειαν membranarum cerebri primo contractarum ſurſum trahatur & tractus offendens aquam è cerebro diſtillantem, eam inter delabendum in medio curſu circa proprium orificium necdum in fundum delapſam abripiat; cujus argumentum eſt ſalivatio crebra jamjam inſtantem vomitum præcurrens prænuncianſque.

Quod probant.

1. Convulſivi abdominis dolores.

2. Contractiones meningum cerebri dolorificæ.

3. Vomitus,

Quem inſtantem crebra ſalivatio prænunciat.

Nam quod ventriculus à contractis cerebri membranis vi ſurſum convellatur aliquatenus luculenter demonſtrant convulſivi & evidentes totius abdominis dolores, qui in me hemicraniæ ſucceſſere, ſed in aliis eandem comitantur, ut ex ſequenti obſervatione conſtabit.

Jam

α Conſenſum.

Jam autem ſomnus ſive ſopor quâcumque horâ diei omnibus hemicranicis ſenſim obrepens, doloris alioqui non injucundum carmen ſeu faſcinus, à quâ aliâ amabò cauſâ niſi ab humore ſeroſo ex ſe α ἀποίχ, id eſt, irritantis qualitatis experte ſuſcitatur, in meatus ſcilicet ſenſuum expreſſo à membranarum cerebri compreſſione, & ſenſus tam diu devinciente quo ad loci tepore fuerit reſolutus? ita ſanè eſt. Quoniam igitur ex quatuor humoribus ſanguinis in maſſâ contentis in capitis vaſis, bilis quidem vigilias potius infert ſuâ acrimoniâ & ſiccitate, reliqui autem tres humores unà cum excremento cerebri mucoſo præ inſitâ craſſitie haud facilè poſſunt reſolvi, itaque in meatus ſenſuum appulſi non levem, aut brevem ſomnum εὐδιέγερτον, qualis hemicraniam comitatur, ſed contumacem & verum ſoporem, certè δυςδιέγερτον adferunt, ſerum autem ſanguinis vehiculum cum naturâ ſuâ mulcebre ac frigidum humidum, tum præ tenuitate facile reſolubile, proindeque ſomnum primi generis natum eſt excitare, & eum qui ſit alioqui doloris præſtantiſſimum remedium (nam ſomno progreſſo cum calor vitalis coactus majores quam antè vires reſumat, neceſſe eſt omninò ſeroſam pleonexiam ab auctiore calore diſcuti diſcuſſâque faceſſere dolorem) ex aliâ autem parte idem eſt de vapore bilioſo atque de ipſâ bile judicium, relinquitur profectò ſeroſum in capite humorem ſomni in hemicraniâ eſſe occaſionem ac fomitem.

Serum inſipidum omnibus hemicranicis communis ſoporis cauſa.

Bilis & trium reliquorum humorum in maſſâ ſanguineâ contentor. effectus.

Serum ſomni cauſa.

(Somnus quomodo dolorem capitis demulcet.)

Poſtremò quoniam experientiâ teſte hemicrania epilepſiam, graviſſimoſque capitis affectus ſoporoſos præcurrere ſolet, hujuſmodi autem affectus, ut infra demonſtrabitur, ſeroſam in capite colluviem continentem habent cauſam, ſtatuere omnino oportet, *ſomnum hemicraniæ familiarem, atque adeo ipſam hemicraniam (ſiquidem amborum affectuum à ſe invicem inſeparabilium una eademque cauſa conſtitui debet) exoriri ab eâdem cauſâ, humore ſcilicet aquoſo in capite redundante, ſed agitato ac fermentato à ſubitâ aliquâ aëriâ tempeſtate & perturbatione.*

Atque hanc noſtram tametſi novam de cauſâ hemicraniæ

Confirmatio novæ

α Inſipido.

Autoris de hemicraniæ cauſâ ſententiæ.

niæ ſententiam confirmat ſanè non mediocriter inſtabilitas communis & vulgo receptæ opinionis à bilioſo vapore eam arceſſentis. Si namque à vapore è bile in hepate fermentatâ commotâque elato hemicrania ſemper excitatur, quid cauſæ eſt cur vel in principiis paroxyſmorum febrium tertiani generis & præſertim in eryſipelatis principio hemicrania ægros non vellicat ac pungit ſemper? Equidem cum eryſipelas ſi quis alius tumor ſit frequentiſſimus iſque cum bilis fervore neceſſario conjunctus, ut vomitus bilioſus, biliſque eruptio præter febrem indicant, tamen eum quanquam in faciem bilis impetat hemicraniæ non conjungi unquam, nec caput condoleſcere experientia quotidiana docet.

Enarratio cauſarum προκαταρκτικῶν Hemicraniæ, (quam auctor adhuc puer paſſus eſt.)

Atqui, ut ad hypotheſin veniam, ſeroſæque in me plenitudinis & cephalicæ præſertim cauſas quæ vim quoque ſigni cauſæ propoſitæ habent altius repetam, memini me adhuc puerum non tantum nudo capite de nocte quidem, de die autem pileolo ſeu ſplenio ne mediam capitis partem protegente, ſed reliquum etiam corpus levibus rariſque ſive veſtibus, ſive ſtragulis tectum incedere, dormireque ſolitum, & benigno alioqui lumine ſeu tepore foci, quem faſciculus aleret, rariſſimè recreatum (ea enim vita in collegiis paſſim tum vivebatur) primum hemicraniâ fuiſſe inopinatò percuſſum, ſcilicet denſatis toto habitu & capite præſertim poris ab inclementiâ aëris: tum ab eo tempore paulatim ſuppreſſum ſerum tandemque magnâ vi in capite congeſtum ſui ſinathriſmi manifeſta exhibere indicia & turbas dare cepit.

Ut & ſignorum.

Quid quod deinceps mihi totâ ferè vitâ ſpuitio uti & emunctio nulla aut certè rariſſima, & ſi ea aliquando, aut coryza dolorve dentium à decubitu aquæ è capite moleſtiam exhiberet, tum verò induciæ cum hemicraniâ, imò pax alta quoties præcipiti vere & æſtate univerſum corpus quotidianis & matutinis ſudoribus ſpontè manantibus diffflueret, an non hæc clara ſunt argumenta ſerum reliquis anni temporibus toto corpore & præſertim capite ſuppreſſum hemicraniæ occaſionem dediſſe, cujus levamentum

excre-

excretio alioqui adferret? Quid denique quod progreſſu ætatis hemicraniâ languente omnino vomitus & ſopor nihilominus repetere periodicè per temporum mutationes, & unà cum his convulſivi totius ventris dolores, iique acerbi urgere primò affligereque cœperunt?

Ita ſanè ſtatuendum aquam in capite reſidem, & ſuſque deque à repentinâ ambientis commotione concepto veluti fervore agitatam, & longè latèque deſpumantem primò membranas cerebri impetere, violentâque earum diſtentione dolorem infligere, quoad ebullitio ipſa ſenſim conquieſcere incipit per ſe, perturbatione externâ pariter ſedatâ, tum eandem ſive ſponte ſuâ, ſive compreſſione membranarum excuſſâ partim per palati latam viam rectâ in ventriculum decumbere, partim in nervi ſexti paris principium deerrantem, implentemque ac diſtendentem viſcera, præcordiaque, & partes abdomine contentas contrahere atque convellere non ſine acerbo quodam dolore, partim denique in meatus cerebri ſenſorios irruere: quare errabundo illo varias in partes motu diverſa ſymptomata paucas intra horas inferre, ſcilicet dolorem capitis hanc vel illam partem vellicantem, vomitum aquæ & bilis, ſoporem non difficilem ſed fugacem, dolorem denique alterutrius hypochondrii aut utriuſque. Notandum eſt tamen fieri poſſe ut non ſimul hæc omnia hominem infeſtent, ſed ex iis quædam uno tempore, alia alio, ut ex diverſis obſervationibus infrà explicandis conſtabit.

Aqua ſive ſerum tanquam cauſa: locus affectus caput ſtatuitur, & inde ſeri in ventriculum per certas vias derivatio: hincque diverſorum ſymptomatum ratio explicatur. Animadverſio.

Quoniam porrò convulſivos illos abdominis & hypochondriorum dolores capitis dolor prævertit ſemper, ut in me, aliiſque ſum expertus, & patebit in hiſtoriâ ſequenti, obiter hinc elici poteſt caput per α ἰδιοπάθειαν laborare, inteſtina autem, ventriculumque per β συμπάθειαν capitis.

Concluditur caput alio modo quam ventriculum laborare.

Age enim quanquam hemicrania reſpectu ventriculi & inteſtinorum ſtatui poteſt ἰδιοπαθητικὴ, tamen quoniam *fontes ſeri in corpore humano ſunt viſcera cum vaſis, ſed præ-*

Hemicrania à ſero ἰδιοπαθητικὴ fit,

 cipuè

α Affectum proprium.
β Conſenſum.

cipuè lien cum genere arterioſo , & caput , ut eſt ante demonſtratum, haud dubium eſt inprimis hemicraniam à ſero ἰδιοπαθητικὴν eſſe poſſe idque tum per [α] πρωτοπάθειαν; tum per [β] δευτεροπάθειαν: & per πρωτοπάθειαν duplici modo, ſive per appulſum ſcilicet cauſæ morbificæ ab iis quæ extrinſecus veniunt, ſive per generationem: primo quidem modo, ut cum intemperies ſimplex, aut cum materia ab aëreâ tempeſtate, aut inſolatione capiti inducitur:

Tum per πρωτοπάθειαν, vel externam, vel internam.

De Hemicrania per προτοπάθειαν extern.

OBS. XII. *Ut mihi ſuperiori autumno contigit: dum enim de meridie pro more ſuper lectulo jacerem, ſol per feneſtras ſenſim vertens, dormientiſque feriens caput hemicraniam dextri poſticique lateris induxit non fugacem, ſed plurium dierum, quæ terminata eſt in dolorem colli, & homoplatæ ejuſdem lateris totâ hyeme periodicè recurrentem.* Secundo autem modo per generationem cauſæ morbificæ in ipſo capite, aut potius ſynatrhiſmum ſeri ſenſim factum: *nam reverâ ſerum in capite non generatur, ſed ſenſim in eo ob denſitatem cranii aliaſque cauſas explicatas colligitur.*

Internam.

Tum per δευτεροπάθειαν, vel criticè, vel ſymptomaticè.

Jam per δευτεροπάθειαν fit, materiâ ſcilicet morbificâ per [γ] μετάπτωσιν tranſlatâ ab aliquâ parte ad caput relicto priore loco, ſive criticè & ſalutariter ([δ] διαδοχὴ dicitur hæc tranſlatio) ſive ſymptomaticè & inſalubriter (& [ε] μετάστασις dicitur.) Deinde vero certum eſt quoque hemicraniam à ſeroſo humore per συμπάθειαν eſſe poſſe, per [ζ] ἐπιγένησιν ſcilicet propagatâ cauſâ morbificâ ad caput per arterias potiſſimum: quibus duobus poſtremis modis hemicraniam frequentiſſimè contingere intelligere eſt ex febriculâ, quam pulſus ſitiſque indicant, agitationem ſeri & fervorem in arteriis conſequente ex alvi ſegnitie per ſeri raptum in caput, *ex ſudoribus, qui ſunt remedium, certe προφυλακτικὸν hemicraniæ præſentiſſimum*, ut ego in me ſemper ſum expertus, deni-

Hemicrania per συμπάθειαν quomodo accidat.

Hujus & præcedentis ſigna:

Præſervatio:

α Primarium affectum, ab alio morbo non dependentem.
β Secundarium affectum, a priori morbo dependentem.
γ Morbi in alium morbum permutationem.
δ Humorum de parte in partem tranſitus.
ε Periculoſa materiæ morbificæ ſolutio.
ζ Accidentiam.

denique ex eo quod hemicrania ferè præcedit epilepſiam, graviſſimoſque capitis affectus, qui paſſim à ſeroſa colluvie fiunt ſive per δευτεροπάθειαν ſive per συμπάθειαν, ut infra demonſtrabitur. Prognoſis.

Nam ſerum in toto habitu à perturbatione ambientis quomodocumque eveniente commoveri ſatis poſſe indicant fluxiones omnis generis prænunciæ mutationum tempeſtatum mox futurarum, & ſpeciatim ſeminis excretio involuntaria per [a] *ἐξονείρωγμον quæ in cœlibem vitam agentibus eſt certiſſima prænuncia mutationis è ſerenitate in uvidam & pluvioſam quanquam poſt viginti circiter horas futuræ.* Ex effectib. probatur aërem perturbatum cauſam eſſe ſeri commoti.

Quocumque autem modo hemicrania fiat parum intereſt ad præſervationem (curationi namque *exquiſitiſſima diæta & unius oxyrrhodini capiti admoti uſus* ſatis eſſe poteſt per brevitatem affectus) præſervatio enim ferè eandem methodum poſtulat quomodocumque fiat: ſcilicet *ut ſeroſæ totius colluviei prius conſulatur, quam particularis in capite colluviei ratio ineatur.* Utriuſque autem providentiæ quia media & rationes in ſuperiore conſilio tetigimus, & infrà minutius in conſilio de epilepſiâ explicabuntur, ad alios feſtinandum affectus, ſi ad clariorem naturæ hemicraniæ intelligentiam memorabilem aliam adjunxerimus hiſtoriam complicatam ſed cum affectibus majoris momenti. Hemicraniæ Curatio in genere: & ab eâ præſervatio per univerſalia & particularia remedia.

De Hemicrania complicata & periculoſa.

OBS. XIII. *Nobilem virgunculam temperamento calidam ſiccam, (cujus indices gracilis totius habitus & capillamentum nigrum) annum duodecimum ætatis agentem gravis capitis dolor deſubitò corripit nihil tale metuentem, qui dolor tempus ſiniſtrum, oculumque, & aurem ejuſdem lateris vehementer ſtringeret ac obtunderet: atque primum quidem ægra vertiginem præſentire, tum non ita poſt minimi ſiniſtræ manus digiti torpidum quendam ſenſum ac motum veluti quarumdam vagantium formicarum (qui eodem ferè inſtanti univerſum per brachium auræ cujuſdam inſtar aſcendentis efferretur) ac mox annularis, mediique, & ſequentium ordine & ſucceſſivè ſtuporem pariter, qui ſimitu integrum brachium comprehenderet, tum extemplo capitis in poſtica convulſionem ac torturam,* una- Cauſa προηγουμένη, Signa, & varia graviſſimaque ſymptomata paroxyſmum comitantia.

[a] Pollutionem nocturnam.

unaque oris & dentium aſtrictionem, denique eam corporis gravitatem & infirmitatem, ut ni menſam fortè proximam ipſa arriperet apprehenſæque inniteretur, protinus caderet, ac humi procumberet: vigilabant autem interni intereà ſenſus!

Paroxyſmi ſolutio, & reſtitutio ægræ.

concuſſa tum à domeſticis puella ſuccuſſaque ſæpius, & ſæpius per cubiculum circumducta, ac hauſto ex Medici conſilio hydrelæo redditâ plurimâ aquâ bilioſâ vomitu ſibi brevi reſtituta eſt.

Morbi ſævitia deſcribitur.

Atque hic primus hemicraniæ inſultus (*ut principia morborum omnium, quorum plenitudo humorum fomes, graviſſima ferè ſunt*) terrificus ſanè fuit & epilepticum ſapere, aut quid gravius interminari viſus eſt; ſed enim ab eo tempore etſi nihil ſimile terrificum comminatus fuerit, tamen & importunus admodum fuit ob dolorem in tempora recurrentem ac crebrò, quippè qui quoties aërea tempeſtas aliqua, nimbuſve ingrueret, & conſtitutio è ſerenâ in auſtrinam verteret & pluvioſam, toties puellam affligeret, & ad hoc uſque tempus ephœbam jam & annum decimum ſeptimum agentem etiamnum affligat, & ob adjuncta alia quædam acerba ſymptomata valdè infeſtus fiet.

Hiſtoriæ ulterior decurſus.

A primâ itaque impreſſione dolor ille capitis elanguit aliquatenus, ac de ſævitiâ aliquid remiſit, ſed gravitatem tamen ac ſtuporem in brachio & crure ſiniſtris reliquit ſemper, qui tamen duos vix dies detineret; circa tamen annum decimum tertium iis ſymptomatis novi acceſſere & ſe adjunxere dolores ventris & præſertim circa hypochondrium ſiniſtrum atroces illi quidem & vibrantes, ut ventriculus inteſtinaque, & uterus convelli ſurſumque vi trahi viderentur, nec mediocris ſpirandi difficultas & quædam veluti ſtrangulatio ſuboriretur.

Signorum antecedentium expoſitio.

Notare eſt porrò nobili puellæ familiarem & quotidianam totâ vitâ fuiſſe tum plurimam aſſiduamque ſpuitionem, tum excretionem per nares muci plurimi, ejuſque impenſè flavi & viridis, *ſed & eam fuiſſe ejus ἰδιοσυγκρασίαν ut nunquam impunè ferre potuerit rerum benè olentium ſive thuris, ſive moſci odorem.*

Ἰδιοσυγκρασία peculiaris.

Animadverſio.

Hujus generis hemicrania plurimis mu-

lieri-

lieribus, quæ habentur pro hyſtericis, ſolet eſſe infeſta, ut poſtea monebitur diffuſius ſuo loco.

CAPUT II.

De Vertigine Simplici, ſive Δίνῳ.

OBS. XIV. R*Everendum Patrem alias meditationi aſſiduæ intentum, ſeriiſque animi contentionibus, quas catecheſews & concionis frequentis munera exigunt, addictum à forti multâque mentis volutatione ſuper inopinato alterius Patris caſu inſignis gravitas capitis oppreſſit tandem, unaque ea viſus depravatio ut quæ circumſtarent univerſa, illa ſecum circumagi ſibi viderentur, & præſertim ſi corpus moveret, ac pronus quicquam rerum gereret. Corpus porrò vacillabat ferè nutabatque tibiis quaſi ſolutis, atque humi repentibus, ut ni fulcro arrepto ſe ſuſtineret, laberetur, & concideret. A quinque autem annis hæc capitis gravitas Reverendum Patrem per aliquot ſeptimanas ſed incerto cujuſque anni tempore detinuit: atqui quod memorabile eſt hoc anno intereà dum affectus magis urget, ſub finem Julii vomitus ſupervenit non ſolum cibi, ſed aquæ puræ liquidæque ac ſpumoſæ, ſeorſim citra cibum, iſque frequens & contumax plurium ſcilicet dierum, quo tempore tanta anorexia ut nihil cibi poſſet guſtare: à quo vomitu conſtantior illi viſio, firmiorque inceſſus eſſe cœpit.*

[Cauſæ προκαταρκτ. — Signa παθογνωμονικά. — Symptomatis duratio, — & ſolutio.]

Quoniam igitur ex phyſicis viſio fit luce externâ affectâ ſpeciebus non ſolum colorum, ſed reliquorum ſenſibilium, ſtatus, quietis, motus, & hujuſmodi per oculos ſeu feneſtras illapſâ, atque à ſpiritu animali deductâ in ſenſorium commune, hoc eſt, in interiores cerebri ventriculos, & in ſpiritu ibi reſide receptâ firmatâque, ac animæ oblatâ, viſio certè, quæ quieſcens objectum repræſentat motu circulari circumactum, fit quia ſpecies ipſa recipitur vehiturque in corpore aliquo quod circumagitur, quod neceſſariò vel medium eſt externum, vel oculus ipſe, vel ſpiritus animalis deliteſcens ſive in nervo optico, ſive in anteriori-bus ventriculis ubi tandem ipſa ſiſtitur.

[Viſio quomodo fiat.]

Viſioni quid in vertigine accidat.

Atqui quia ſilente vento, aëreque prorſus tranquillo vertigo etiam fit, certè in vertigine ſpecies viſilis non circumagitur cum medio externo. Jam oculi humores cum conſiſtant, firmamque teneant poſitionem, & multò magis membranæ, quæ oſſibus tenaciter adhæreſcunt, nec ulla cauſa externa oculum aut caput agitet, in vertigine certè dici nequit ſpeciem circumagi in ipſo in oculos illapſu ſeu trajectu. Reſtat itaque in gyrum volvi ſpeciem ab ipſo animali ſpiritu anterioribus cerebri ſinubus concluſo. *Vertigo ergo fit quia ſpiritus animalis turbulentè movetur.*

Vertiginis ſubjectum.

Quod confirmatur.

Id autem confirmat nutatio corporis, ſive inclinatio in caſum: nimirum, ut ex phyſicis conſtat, motus animalis ſtatus firmitudoque in ſpiritus animalis copiâ nervoſum genus pervadente ac toti levitatem inferente viget, *ut in noſtrâ Phyſiologiâ eſt demonſtratum:* ex quo imbecillitas in motu ſpiritus languorem aut perturbationem conſequitur: atqui quoniam in hac vertigine viſio non eſt acciſa, & nulla ſigna præceſſere exhauſtus ſpiritus, certè motus imbecillitatem rejicere oportet in ſpiritus animalis perturbationem ab alio illatam, aut certè in obſtructionem ab aliquo corpore ſed circumacto.

Vertiginis natura.

Quia autem vertigo ſubitò fit & ſolvitur quoque, tumultuarium ſanè illum ſpirituum motum fieri ab aliquo corpore oportet quod ſubitò influere poſſit ac impelli in ventriculos, & alioqui ſit facilis reſolutionis. Atqui hujus generis ſunt vapores, vel ſeroſus humor; nam ſanguis cæterique in ſanguinis maſſâ humores, & multò magis muçoſa cerebri excrementa etſi invadere ſubitò poſſunt ſinus cerebri, tamen non ita celeriter reſolvi penitus poſſunt ob innatam craſſitiem: quòd ſi dicas confertim excuti poſſe, inſtabo id non ſine contractione membranarum, motibuſque convulſivis eventurum, qui quia in vertigine propoſitâ non ſunt, neceſſè eſt vel vaporem vel ſeroſum humorem, utpotè tenuem & momento reſolubilem utrumque, eſſe corpus illud quod ſpiritui immixtum, horſum vorſum volvendo illum, repræſentat animæ objectorum quieſcentium ſpecies mobiles. Quo-

Quoniam autem hic manifeſta ſunt indicia colluviei ſe- Cauſæ continentis ſigna.
roſæ ut ſpuitio aſſidua, nulla autem vaporis è viſceribus ſubjectis demandati; vomitu porrò aquæ puræ liquidæque ſed ſpumeſcentis magnum affectus allevamentum accepit, denique *obſervatione Aretæi inter cauſas vertiginis eſt corpus minimè ſudore ut antè difflatum*, *hoc eſt*, *ſerum ſuppreſſum*, concludere eſt profectò *evidenter in vertigine animalem* Concluſio.
ſpiritum tumultuariè moveri à ferveſcente ſero in capite, *& ex parte in ſinus ejus repente.* Et confirmatur hæc opinio quod vertigo eſt prænuncia apoplexiæ vel epilepſiæ, & in eas facilè migrat, quas affectiones demonſtrabimus continentem cauſam habere ſeroſam colluviem: *quibus* namque ex [α] Hippocr. *capitis dolor*, *ſonitus aurium ſine febre*, *tenebricoſa vertigo*, *& vocis tarditas*, *hos vel apoplecticos*, *vel epilepticos*, *vel denique obliviofos fore expecta.* Quæ confirmatur ex ſignis prognoſticis & antecedentib.
Et certè cum vertigo his ferè ſit ſymptomatis ſtipata hemicraniâ ſcilicet prægreſſâ, febriculâ, dolore oculorum, tenebricoſâ viſione, vomitu aquoſo & id genus quas deſcribit [β] *Hippocrates* tamen ea omnia ipſe refundit in pleonexiam ſeroſam capitis; non enim deſcribit hydrocephalum ut ſentit *Clarus Mercatus*, ſed potius hemicraniam vertiginoſam.

Itaque vertigo eſt partim depravatus ſenſus communis, *ſive imaginatio circa objecta viſilia*, *quæ alias quieſcentia circumagi-* Vertiginis deſcriptio.

α Coac. præn. Aph. 161. Οἶσι κεφαλαλγίαι, καὶ ἦχοι ἀπυρέτοισι, καὶ σκοτοδινίη, καὶ φωνῆς βραδύτης, καὶ ναρκὴ χειρῶν, ἢ ἀποπλήκτους, ἢ ἐπιληπτικοὺς προσδέχου τούτους ἔσεσθαι, ἢ καὶ ἐπιλήσμονας.

β Lib. 2. de morbis Aph. 32. Ἢν ὕδωρ ἐπὶ τῷ ἐγκεφάλῳ γένηται ὀδύνη ὀξείη ἴσχει διὰ τοῦ βρέγματος καὶ τῶν κροτάφων ἄλλοτε ἄλλη: καὶ ῥίγος καὶ πυρετὸς ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε, καὶ τὰς χώρας τῶν ὀφθαλμῶν ἀλγέει, καὶ ἀμβλυώσσει, καὶ ἡ κόρη σχίζεται, καὶ δοκέει ἐκ τοῦ ἑνὸς δύο ὁρᾷν: καὶ ἢν ἀναστῇ, σκοτοδινίη μιν λαμβάνει: καὶ τὸν ἄνεμον οὐκ ἀνέχεται, οὐδὲ τὸν ἥλιον: καὶ τὰ ὦτα τέτριγε, καὶ τῷ ψόφῳ ἄχθεται ἀκούων, καὶ ἐμέει σίελα, καὶ λάπην, ἐνίοτε δὲ καὶ τὰ σιτία: καὶ τὸ δέρμα λεπτύνεται τῆς κεφαλῆς, καὶ ἥδεται ψαυόμενος. Si aqua in cerebro ſuborta fuerit, dolor acutus per ſinciput & tempora emergit, alias alio loco: & rigor ac febris aliàs atque aliàs, & regiones oculorum dolet, & cæcutit, & pupilla finditur, & ex uno duo ſe videre putat: & ſi ſurrexerit, vertigo ipſum prehendit: & ventum non ſuſtinet, neque ſolem: & aures tinniunt, & inter audiendum ſtrepitu offenditur: & vomit ſalivam, & pituitam, quandoque etiam cibos: & capitis cutis attenuatur, & contactu gaudet.

gi tamen videntur (cui imaginationi tamen quia æger aſſenſum non præbet, inde ea pro delirio minimè haberi debet) *partim debilitas in motu animali, quæ affectio ſequitur inæqualem, turbulentum, & inordinatum motum ſpiritus animalis ſusque deque agitati ab ebulliente ſeroſo humore in cerebri ſinubus.*

Curationis ſcopus multiplex.

Quoniam igitur vertigo fit ex fluxu ſeroſæ colluviei in anteriores cerebri ventriculos, *curationis certè in genere cardo vertitur cùm in correctione cauſarum impellentium, tùm potiſſimum in vacuatione totius corporis, revulſione repulſuque fluentis ſeroſi humoris, denique in diſſolutione jam fluxi, & corroboratione partis.* Quod igitur ſpectat ad correctionem cauſarum impellentium, motus animi & corporis violenti ſedandi ſunt quoad fieri poteſt, & vitanda apricatio, nam reliquæ cauſæ, ut conſtitutio aëris auſtrina, vel alia procelloſa noſtrâ poteſtate minimè ſunt.

I. Spectat ad correctionem cauſar. προκαταρκτ.

II. Ad Vacuationem totius, quæ obtinetur α. V. S.

Vacuatio autem totius tum venæ ſectione, tum purgatione obtinebitur. Venæ ſectio namque ſiſtet fervorem ſanguinis arterioſi, occaſionem ſcilicet impetus ſeri in caput, & averſionis beneficium ſimul conferet: itaque præmiſſo leniente, *melle ſcilicet roſaceo ſolutivo, vel caſſia cum ſpeciebus hieræ ſimplicis*, ſtatim & per epicraſin celebranda; quòd ſcilicet ex facili occaſione vertiginoſi concidant; mox ſuccedet purgatio *per hydragoga, ut ſemina carthami, ſenam, agaricum, pilulas coccias, hydragogum Fernelii.* Tum ſudorifica in uſum venient quia inter cauſas vertiginis Aretæus adfert corpus ſudore minimè difflatum. His ſuccedent fatigante paroxyſmo revulſiones *vinculis extremarum partium, frictionibus, glandibus tentatæ.* Interea autem quæ repellunt admoveri poſſunt, *ut oxyrodinum ex oleo roſaceo & chamæmelino completis addito aceto.*

β. Præparantib. Medicamentis.

γ. Purgatione per inferiora.

δ. Sudorificis.

III. Ad Revulſionem in ipſo paroxyſmo.

IV. Ad Particularem capitis purgationem.

Quibus peractis quæ plenitudinem capitis minuunt uſurpanda, ut gargariſmata ex *origano, pulegio, aceto, mulſo*; maſticatoria, ut ℞. *paſſularum exacinatarum* ʒ. 1. *hyſſopi, origani* ana ʒ. 1. *acori conditi, ſinapi, piperis* ana ʒ. 1. *maſticis, mellis* q. s. *fiat maſticatorium:* denique errhina ſive ſolida, ut *nucis myriſticæ, vel corticis citri pars naribus indita*.

dita,

dita, *vel urgente malo ſucci cyclaminis & anagallidis ex Aretao*, vel hoc, ℞. *ſucci beta*, *majorana*, ana ℨ. 1. *ſucci foliorum cucumeris aſinini* ℨ. ß. *nigellæ romanæ* ℨ. 1. poſtremò diſcutietur materia & ſimul capiti robur afflabitur tum internis, ut: *conſerva anthos*, *diambra*, *diacalamento*, *potu aquarum thermalium*, tum externis, ſcilicet odoramentis ex *menta*, *pulegio*, *nigellâ romanâ*, *caſtoreo*; inunctionibus ex *oleo rutaceo*, *laurino*; lotionibus & ſtillicidiis, *decoctis ſcilicet pulegii*, *ſerpilli*, *radicum ireos*, *aquis thermalibus*, *vel decocto ſuccedaneo ſalis*, *ſulphuris*, *aluminis*: tum pulveribus ex *ſtœchade*, *roremarino*, *roſis*, *garyophillis*, *coriandro*, *calamo*, *cypero*: denique *dropacibus*, *ſynapiſmis*, *cauteriis*. V. Ad Diſcuſſionem materiæ & capitis corroborationem.

Jam quod ad victus attinet rationem, ea omnino attenuans & ſicca eſſe debet, de quâ ſæpius ante & infra in conſiliis præſertim. Sed hîc accuratè videndum, ne quid capite inclinato aliquid conſpiciatur, deſpectus profundorum vitetur, rectæ, longæ, & lenes ambulationes inſtituantur, cætera exercitia vel pilæ ludus vitentur, ut & cantus, vel auditus vocum acutarum, & omnis animi perturbatio, tum vero radii ſolis, & lunæ, atque crepuſculi aura. VI. Ad Diætam. VII. Ad præſervationem à vertigine.

CAPUT III.

De Caro.

OBS. XV. H*Enricus Piſo filiorum meorum minor natu duos cum dimidiato agens annos anno* 1611. *circa Pleiadum occaſum*, *febre*, *ſimulque alto ſopore comprehenditur*, *& quem ferè* ἀδιέγερτον, id eſt, *non expugnabilem dicere poſſes. Illi oculi perpetuò clauſi*, *aures ad ſtrepitum & clamorem ſurdæ*; *nullis puer ſtimulis excitari*, *nec etiam admotis curcurbitulis ſenſum punctionis exhibere*, *nullam vocem*, *nullam edere querelam*, *nullum denique ſenſus alicujus vigentis indicium dare*: *incompoſitum præterea corpus immotumque ſtipitis ſeu ſaxi inſtar jacere*, *niſi quod applicatum labris ſive*

L *jule-*

julepum roſaceum, ſive decoctum gallinæ pinguedinis expers & refrigeratum non aliter atque maternæ mammæ papillam exugere videbatur; & una alioqui reſtabat reſpiratio libera, ſuique juris. Nono demum die à medicamento purgante eoque hydragogo in os volenti nolenti apertum naribus adſtrictis injecto, repurgato feliciter corpore, primum puer ante à mulieribus conclamatus aperire oculos ſenſimque ſopore illo excuſſo evigilare, & à febri paululum liberari cœpit.

Qualis hic morbus?

Carus exquiſitus ſc.

Quem autem putamus numdialem illum & adeò pervicacem ſoporem, niſi quem præeunte Galeno paſſim Carum indigitant? ita ſanè eſt; nam ex [α] Galeno in exquiſito Caro tum ſenſus, tum motus adeò aboletur, ut etiamſi patientes vel ſtimules, vel ferias, vel inclamites non ſentiant, quod tamen interpretandum reor, quod ſpectat quidem ad ſenſum, ut id intelligendum ſit vel de ſenſu non penitus ablato, vel tantùm de ſenſibus capiti adjacentibus, non autem de tactu per totum diffuſo, ſiquidem *Aëtii obſervatione* ſi ægri pungantur ſentiunt, in quo à Catocho differunt. Quod autem ad motum attinet, exquiſitè voluntarium liberumque tantùm ſtatuere oportet penitus ablatum, non autem eum qui coactus & naturali mixtus dicitur, ſiquidem reſpiratio ſervatur in caro, aut certè ſi læditur, tamen ſtertori non eſt conjuncta, in quibus carus conſenſu Medicorum ab Apoplexiâ diſtinguitur.

Ejus differentia à Catocho,

Ab Apoplexiâ.

Motus animalis læſionis cauſa.

Tametſi meâ quidem ſententiâ credibile motum animalem non lædi per ſe vitio inſtrumentorum, ſed defectu appetitus excitantis motricem ad motum, quæ facultate appetente minimè imperante motum ferietur neceſsè eſt: ſenſu enim omni ablato per illum ſomnum ἀδιέγερτον quid mirum appetitum langueſcere, ac in nihilum ferri quod ſit extraneum, itaque motum omnem voluntarium ad proſecutionem rerum externarum, aut fugam comparatum ceſſare: nam quod ſpectat ad motus internos & neceſſarios vitæ, ii certè in hoc affectu adhucnum vigent, quia natura non eſt ita ſepulta, ut ſuorum prorſus oblita ſit munerum, quæ ad animantis conſervationem neceſſaria exiſtunt,

Motus vitalis in hoc morbo ſtatus.

[α] Sect. 2. prorrh. 29.

ſtunt, ut ſunt pulſus, reſpiratio, imò deglutitio ipſa. Indicium autem hujus doctrinæ eſt quod caro deprehenſus ſi pungatur ſeſe commovet, qui motus eſt animalis facultatis excutere moleſtiam ſtudentis, & præterea deglutitio etiam vigens in noſtro ægro.

Enimverò quoniam in caro ſenſus quidem aboletur, ſaltem ſenſus quadruplex externus, qui in capite ſedem habet (tactus enim non prorſus deperditur) motus autem animalis pariter languet, aut potius feriatur ac quieſcit ob ſenſuum interceptionem: (nam reſpiratio motuſque cordis, labiorumque & œſophagi vigent) eſt vero in phyſicis demonſtratum à nobis principium ac fontem ſenſuum quidem externorum quatuor præſertim eſſe anteriorem capitis partem, motus autem animalis, uti & tactus per totum diffuſi poſticam; ſtatuere profectò in caro oportet anticam capitis partem eſſe malè affectam, ſoporiſque illius, quo ſenſus quatuor præſertim externi ſopiuntur prorſus, & motus per concomitantiam duntaxat feriatur, ſublatâ ſcilicet cognitione quæ eſt motus omnis animalis occaſio ſeu principium, cauſas in anteriore capite latere: *nam cum tot ſenſus ſimul prorſus labefactati ſint, nullumque in externis ſenſoriis vitium deprehendi poſſit, meritò principium eorum ſeu commune ſenſorium, ideoque anticum caput malè eſſe affectum concludere eſt.* In Caro ſenſus, qui, & quot aboleantur, Et quæ pars capitis malè afficiatur? Concluſio.

Atqui ex Phyſicis ſenſorii communis immediatum inſtrumentum eſt ſpiritus animalis in anterioribus cerebri ventriculis reſes, & ultrò citròque ex iis in ſenſoria externa confluens, aut viciſſim ex his in illos tanquam tribunal commune refluens, in quo quippe judicium omnium fit, ſenſuſque omnis externus perficitur: ſpiritus porrò animalis, qui idem eſt cum vitali, cum è corde in cerebrum influat, tum quoties in cerebri ſinubus juſta adeſt ejus copia, & veget, atque meatus ex illis in ſenſoria externa liberos & ultrò citròque meabiles offendit, & præterea ſenſoria ipſa integra & inculpata, is certè nunquam deeſt ſuo muneri objectis interpellantibus, ſed ſemper excubat vigilatque, ac ſuam operam præſtat, itaque ſenſus omnes actu efflo- Senſorii communis immediatum inſtrumentum ſp. an. ſtatuitur. Ejus motus & effectus in corpore ſano,

effloreſcunt ad ſalutem hominis tuendam, niſi forte anima avocetur ab aliquo objecto interno & urgentiori, qualis eſt dolor alicujus partis, cui natura ut conſulat, tum ſponte ſuâ ſpiritus omnes ad partem laborantem accurrere ſolent.

In morboſo.

Quò ſanè quia in caro externa vigent objecta, & in iis tamen ſpiritus animales minimè ſuam operam navant, integra porrò ſunt ſenſoria externa & cor in ſubminiſtrandis cerebro ſpiritibus vitalibus non deëſt, eorumque exhauſtus nulla ſigna, denique nulla pars in univerſo tùm ullo dolore uritur, qui ſpiritum à cerebro ad ſe vocare poſſit, neceſſe eſt ſanè *carum ſuboriri vitio aliquo in cerebri ipſius ſinubus meatibuſque in externa ſenſoria patentibus latente, cujus cauſâ ſpiritus è corde ad cerebrum mandati non admittuntur in ipſis ſinubus, quod vitium ad morbum anguſtiæ referri debet.*

Concluditur carum ad στενοχωρίαν id e. Anguſtiæ morbum referri debere.

Quænam ergo anguſtiæ ſpecies hîc accuſari poteſt? imprimis ſanè aſtrictionis nulla occaſio locum evidenter habet: quia autem penuriæ ſpiritus animalis, vel revocationis ejuſdem nullæ pariter cauſæ, uti eſt dolor temporum, alteriuſve partis inſignis, neque præterea convulſivi membranarum alicujus motus ventriculos ejus ſubſidere in ſe cogentis ulla manifeſta ſigna, ſubſidentia in culpa non fuerit.

Quæ anguſtia non ab adſtrictione,

An igitur compreſſio? hic certè externam cauſam criminari non licet, ut ſunt lapis, terebra inconſideratè verſa, quæ depreſſâ calvâ cerebrum comprimere, ſinuſque valeant in anguſtias adducere. An ergo vaſa cerebri multo turgentia ſanguine, ſive humore id præſtitere? Nam ſubſtantia ipſa cerebri quî tam ſubitò intumeſcere potuerit ut ventriculos in ſe compreſſerit, nulla hactenus ſigna ſe prodidere.

Neque à compreſſione, Vel turgentiâ ſanguinis & humorum;

Non abſurdum ſanè ſero ſive à febre, cui ſopor ille ſtatim ſe adjunxit comitem, ſive à tempeſtate aëreâ commoto ſuſque deque vaſa cerebri diſtenta in eam ſinus contraxiſſe anguſtiam, ut ne deinceps eâ copiâ, quam ſenſus poſtulat, ſpiritum admittere poſſent. Neque enim ſanguinis ipſius maſſa quatuor com-

Verum à ſero commoto vaſa cerebri diſtendente fieri probatur,

complexa humores tam facilè aut ab occaſione aliquâ externâ, qualis eſt aëris perturbatio, quæ huic morbo dedit principium, in vaſis turgere poteſt : ſed ſerum duntaxat, quippè quod facillimè & creberrimè ab hiſce cauſis commovetur, ut ex hiſtoriis antecedentibus, ac ſequentibus conſtare poteſt : quin etiam evenire poteſt, ut & ſerum in vaſis ebulliens ex iiſdem deſpumaverit irruperitque ipſos in ſinus, ac obſtructionem aliam anguſtiæ ſpeciem invexerit. & confirmant. 1. Ejus facillima commotio. & ebullitio,

Equidem cum ſopor unà cum febre puerum invaſerit, probabileque ſit hanc illi dediſſe occaſionem, tum vero illud certiſſimum habeo continentibus in febribus, cujus generis fuit hæc de quâ agimus, ſeroſam in ſanguinis maſſâ partem præcipuè effervеſcere: an non enim calor humidus & halituoſus, urinæ copioſæ & ceteroqui ſedimenti expertes ac omnino urinis ſanorum ſimiles id ſatis demonſtrant? ſi namque ſero ichor ſanguinis, alteriuſve humoris affunderetur per putredinem ſcilicet ſeparatus, ut ſemper ſeparatur, urinæ omnino deponerent ſedimentum concolor illi humori. An non denique fidem facit harum febrium ſolutio fieri ſolita ſive per ſudorem liberaliter è toto manantem corpore, ſive per ſomnum productiorem ſero ſcilicet penitus reſolvendo parem, quæ ſolutio puerili ætati eſt familiaris? poſtremò id confirmant dolores arthritici, & ejus generis, qui identidem ab orgaſmo ebullientis ſeri & hac illac deſpumantis ſuperveniunt ſynochis febribus, ut luculentius infra demonſtrabitur. 2. Signa ſeroſæ colluviei, affectus tales comitantia, 3. Atque eorum ſolutiones, 4. Dolores articulorum varii.

Quæ cum ita ſint *concludere eſt carum in puero ſeroſam capitis colluviem habuiſſe continentem cauſam, eamque vel ab externâ cauſâ aliquâ tempeſtate ſcilicet aëreâ, vel vi febris intumeſcentem & ebullientem, idque duplici modo, ſcilicet aut quia adhucnum in vaſis contenta eorum diſtentione ventriculos compreſſerit, aut quia exundans ex iis ſinus oppleverit. Quid ſi eadem jam antè toto redundans capite, ſive in ſpatiis inter cerebri membranas & cerebrum interjectis, ſive in poris cerebri deliteſcens, an non eiſdem ex cauſis commota potuit ſimiliter comprimere cerebrum, aut in ejus ſinus ſe effundere & ob-* Concluditur: Cari in præſente ægro continentem cauſam eſſe ſeroſam capitis colluviem.

 ſtru-

ſtructionem parere? nulla ſanè ratio fieri id poſſe diſſuadere videtur, præſertim cum reciprocantibus cerebri motibus ejus ventriculi nunc magis, nunc minùs dilatentur, in eoſque fuga vacui aqua irruere facilè poſſit.

Oppoſitio. Sed enim verò cum in puerili ætate quoties ſanguis incaleſcit, tum autem magnam vim vaporum ex ſe longè latèque effundere ſit natus, rationi magis conſentaneum eſſe inſtabit aliquis ſoporem hunc febris ſynochi comitem referri acceptum vapori è ſanguine fervente aſſiduè effumanti, ſurſumque ſuâ ſponte elato, & in ſinus cerebri irrepenti. Atqui ut id non gravatè fateamur, hoc tamen ultrò contendimus vapores eo eſſe ingenio, ut quandoquidem calor, qui eos ſuſtollit, occurſu cerebri ex ſe frigidi neceſſariò remittitur, ad aquæ ingenium ſtatim redeant, itaque neceſsè eſſe in caro cerebri ventriculos aqueo humore ſemper prægnantes eſſe: quod tamen in ætate puerili duntaxat & temperamento mediocri puellulo noſtro nativo conceſſerim, ſiquidem mediocris calor in pueritiâ multo obrutus humido excitandis quidem vaporibus par eſſe poteſt, ſed eiſdem ſimitu reſolvendis impar, ſecùs atque calor vel ceterarum ætatum jam liber, & ab obruente humiditate exolutus, aut etiam ipſius pueritiæ, ſed qui à mediocritate deflexit ad majorem caloris gradum, & cum ſiccitate conjunctum.

Ejus ſolutio. (Vaporum natura.)

Quò ſanè non omnibus ſynochis, aut omni ætati ſopor adjungitur individuus comes, ſed pueris duntaxat iiſque temperie à naturâ mediocri, aut verſus frigus & humiditatem inclinante præditis: adde quòd in pueris membranoſum nervoſumque genus omne longè mollius eſt & effœminatius præ cæteris ætatibus, ideoque caput in ſero quomodocumque appulſo à ſe excutiendo expellendoque ad meatus excretioni ejus à naturâ inſtitutos imbecillum admodum, ut nemini mirum videri debeat ab ejus ſynathriſmo pueritiæ familiari ſoporem in pueritiâ magis quam reliquis in ætatibus comitem ſeſe continentibus adjungere febribus.

Cur non omni ætati in febribus ſynochis ſopor adjungitur, ſed pueris duntaxat quibuſdam?

Seri in præſente ægro

Atqui ſanè ægellum noſtrum ad illuviem in capite seroſam

ſam à naturâ eſſe pronum ex his ſemper intellexi. Scilicet vernacula viſcerum temperies ei ad humiditatem propendet & mediocrem calorem, caput oppidò magnum eſt, idemque achoribus ſive ulcuſculis, quibus ætas ea ſcatere ſolet, nuſquam antea diffluxit; & contrà aſſidua illi ſpuitio multa, frequenteſque catarrhus in fauces, & diarrhæa cephalica: quid quod obſervavi per inſignes temporum mutationes inſueto ſopore earum ſcilicet mutationum prænuncio ſæpiculè detineri puerum? collectionis cauſa προηγεμένη interna, & Signa antecedentia.

Poſtremò hanc de continente cari in puello cauſâ ſententiam mirificè confirmat ſolutio ejuſdem, ſive illa medicamento nono die exhibito, ſive reſolutioni ſpontaneæ & inſenſibili tribuatur. Nam vi medicamenti hydragogi, *diaphœnici ſcilicet & ſyrupi roſarum ſol.* feroſa præcipuè immunditia è corpore & capite plurima illecta defluxit per alvum. Quis præterea alius à ſeroſo humor in capite vi febris ſenſim perfectèque reſolvi poteſt, nullumque reliquiarum veſtigium parotidem ſcilicet, aut abſceſſum ſimilem relinquere? nullus certiſſimè, ex quo quia propoſita febris ſopore illo alto accincta citra hæmorrhagiam, ſenſilemve excretionem aliam, & citra abſceſſum, ſed ſenſim reſoluto humore ſoporis fomite reſoluta eſt; perfecta autem reſolutio & inſenſilis in aqueum duntaxat humorem poteſt cadere, jure concludendum: *carum febri adjunctum à ſeroſo humore genitum totque in dies productum fuiſſe.* Cari continentis Cauſæ præſentiam confirmant: Affectus ſolutio, & nullum tumorum in capite veſtigium. Concluſio.

Nam quod caput externum obſederit abſceſſus, qui illicò apertus ulcus reliquit α δυσεπούλωτον, ejus certè criminis auctor non motus naturæ ſanguiniſve ſpontaneus, ſed externa cauſa fuit: nam applicata ei parti ſoporis excutiendi gratiâ *tum columba viva diſſecta, tum panis adhuc calens ſanguinem illuc concitarunt, ut rubor partis eximius ſatis indicavit, qui pro ſuo more extra vaſa conſiſtens ſuppuravit brevi, & ulcus non niſi exacto anno cicatrice donatum reliquit.* Abſceſſus oborti, ulcus relinquentis, cauſa.

α Quod cicatrice difficulter obducitur.

ÇA-

CAPUT IV.

De α Parapoplexiâ, ſive Febre β tritæoph. γ comatoſâ.

Ægri temperies.

Primus morbi Paroxymus plurimis ſymptomatis ſtipatus.

OBS. XVI. *ILluſtriſſimum Virum temperamento calidum humidum, annumque tertium ſupra ſexageſimum agentem circa ſolſtitium hybernum anni* 1606. *Boreâ derepentè ſæviente de manè horripilatio cum ingenti laſſitudine invadit, unaque ſiti vehemente, & oculorum caligine: facies inſolito rubore ſaturato ac livori propriore ſuffunditur, urinæ copioſæ tenues & aquæ inſtar pellucidæ: hiſce ſymptomatis totum diem urgentibus appetente nocte ſomnolentia graviſque torpor ac ſtupor, & in motu* δ *atonia, taciturnitas denique, oblivio, & deſipientia quadam obrepunt.*

Ille ſcilicet identidem oculos claudere moxque aperire, non niſi interrogatus loqui, & unum aut alterum verbum effari, obſtipo capite ac dorſo repando accedere, accumbereque menſæ, panem, dapes, inſtrumentaque cœnæ non niſi tremulâ manu contrectare, & è manibus quoque dilabi ſinere, fruſtula reliquiaſque non ſuper dapſide, ſed mappâ parum decorè abjicere, poculum denique ordinarium præ difficili ac tardâ reſpiratione nequaquam ebibere pro more poſſe: mirum porrò ſervare & inſolens totâ cœnâ ſilentium, atque ad interrogationes & rerum novarum magnarumque narrationes ne mutire quidem: jam è menſâ ſurgens vix ſtare in ſe, pedibuſque ſcilicet ſtlembus (ut Lucilius loquitur) incedere, pileum depoſitum in manu præter morem continere, abjicereque & redditum non niſi ſecundò admonitum capiti admovere: quid multa? mejere ſemel & iterum non in oblatam matellam, ſed ad parietem.

Atqui cum non ſine ſtupore omnium domeſticorum inſolentem

α Levi ſideratione.
β Ad Tertianæ febris naturam accedente.
γ Soporoſâ.
δ Imbecillitas.

item animi ſtuporem ac deſipientiam in Heroë mirantium nihil ſatagens ille, quidve rerum ageret prorſus inſcius, & multum ab illo Hectore mutatus tranſegiſſet duas horas, ecce derepentè evigilat, atque ad ſe redit, ſed attonitus & immemor, ignaruſque eorum quæ ſibi eveniſſent: tum vero primum è pulſu majore ac velociore, nec non crebro & inæquali, ſimulque igneo in toto habitu calore febris emicat, eâque acri comitatâ ſiti, & quæ plurimam noctis partem inquietam traducere cogeret. Ejuſque remiſſio. Febris, ejuſque ſigna.

Sequenti autem die aſſidua quidem & vehemens ſternutatio unà cum tuſſi & raucedine exercuit Magnum Virum, indèque febris deferbuit paulatim, ſed ea tamen ſequenti luce denuò ingraveſcere cœpit. Scilicet pulſus tum increbreſcere, extremaque frigore conſtringi, & urina plurima ſed tenuis perſpicuaque emitti, duas tandem ille poſt horas graviter æſtuare. Atque hunc curſum tenuit febris in decimum quintum uſque diem, niſi quod à ſecundo paroxyſmo in dies lenteſcens magis magiſque tandem prorſus elanguit. Et decurſus.

Atque hanc morbi primam impreſſionem partim ex domeſticorum narratione habeo, partim ex meâ ſedulâ accuratâque obſervatione ejuſdem denuò recurrentis quatuor ſupra decem exactis diebus, conſtitutione Boreali & ſiccâ jam tum in Auſtrinam pluviamque commutatâ: quo tempore primum advocatus diligentiſſimè ſingula momenta meditatus obſervavi ſecundum morbi recurſum à primâ invaſione, quam ex relatu aliorum habui, nil omnino diſcrepaſſe niſi quod hunc nulla quidem ſternuatio excretiove ſubſecuta, ſed alterius brachii, in quod caput repandum inclinabat, torpor & tanta imbecillitas, ut illud attollere, verbi gratiâ, in pallio humeris admovendo per aliquot menſes ei non fuerit integrum. Secundus Paroxiſmus.

Quin etiam me præſente tertiò febris repetiit ſub novilunio in Februario incidente, flante deſubitò Boreâ, ſed & quartum, quintum, ſextum & ſeptimum, imò toties quoties conſtitutio aëris mutaretur uſque ad annum octavum ſupra 1600. *recurrit (inquam) febris iiſdem quidem genere ſymptomatis accincta, ſed ſenſim miteſcentibus, & longè levioribus, quippè quæ extremis recurſibus exhiberent duntaxat umbram ſeu imaginem eorum, quæ primis periodis fuerant obſervata.* Febris creber recurſus.

M *Circa*

Tertius paroxiſmus.

Circa ergo deliquium lunæ quintæ anni 1608. prægreſſis per unum & alterum dies coryzâ, multâque ſpuitione, & inſigni colli gravitate febris recruduit longè terrificis magis quàm unquam antè ſtipata ſymptomatis, ſecundo ſcilicet deliquii die (hoc autem die fortè de more ſolemni, aditurus balneas plumberianas, hauſerat potionem purgantem ſed fruſtrà, quippè quæ vomitu duas poſt horas reddita unam duntaxat præter fæces humorum aquoſorum dejectionem promovit, ante decimam horam interea dum ægro jam dormituriente) ſecundo (inquam) deliquii die circa meridiem Boreâ jam primùm ſæviente cùm ab hac cauſâ ſeroſâ colluvie introrſum vi frigoris compulſâ plurimâ mictione vigente, & ſopore jam ſenſim premente ſeſe æger comminxiſſet, veſtimentaque alia loco Aquiloni expoſito induiſſet, ecce ſubitò horrore inſolitâque rigeſcit gravitate & pandiculatione, oſcitationeque & ſopore opprimitur, atque mentis quâdam hallucinatione; ea porro gravitas brevi adeo increvit ut ſpontè conciderit genibus labantibus, reducto autem in lectum a ſuis ſopor ſenſim, unàque oblivio, ac veluti deſipientia obrepunt; quorum ille quidem circa primam noctis vigiliam ſolutus eſt, hæc contrà evidentius auxere, & quanquam ad interrogata non abſurdè reſponderet, tamen nugaretur & garriret præter conſuetudinem. Tum autem ab eo tempore urens calor per univerſum corpus paulatim ſe prodere, ſitiſque urgere totam noctem unà cum ſequenti luce, urinis tenuibus alioqui ut antè, & inſtar aquæ perſpicuis copioſè fluentibus: eam diem excepit nox ſopore in turbido & inquieto traducta.

A quo evigilantem & de ſurrectione cogitantem gravitas ſtatim opprimit pariter cum oblivione & deſipientiâ, ut vel lectum commingeret, moxque ſopor, horrorque, & tanta in motu atonia, ut ſtatuam vel catalepticum ſedentem toto die in lecto diceres: ſub veſperum tamen primùm evigilare, nugari, æſtuare, ſimulque per aliquot horas ſitire, reliquam autem noctem ſopor ſed turbidus interruptuſque tenuit: febris ardor inde remiſſior.

Sub meridiem eadem ſymptomata ſed leviora brevioraque recurrere, ut tertiam exacerbationem dimidium ferè diem antecœpiſſe probabile eſſet; quod potius & venæ ſectioni manè celebratæ,

bratæ, & ſumpto cibo tribui debuit, & conſuetudini dormiendi circa meridiem, à quibus ſcilicet cauſis calore innato introrſum impulſo & inde ſponte exiliente ſed auctiore quam antè, ut ferè fit, torporis febriſque ſpecies ſeu umbra epiſimaſiæ febris ſimilis ſubſecuta eſt: nam licet tranſactâ primâ parte noctis in inſigni corporis jactatione & ardore (in omnibus ſcilicet febribus, ut modo dictum, quâcumque ex cauſâ calor intus revocatur ſi non eſt fractus & debilis, ſemper is acrior inde emicat) cum paucas horas evigilaſſet ſui juris, & benè compos.

Ecce paroxyſmus horâ conſuetâ & quinto morbi die, ſed longè graviſſimus repetit, inſignitus quippè ingenti extremorum refrigeratione, oblivione, deſipientiâque, commictione lecti, comate pervigili, aphoniâ, ſenſu ſepulto motuque abolito, & tantâ corporis gravitate, ut plumbeum crederetur, nec è domeſticis ullus quanquam valens, nedum ipſe ſeſe movere poſſet; neque verò quicquam deglutire, vel ad oblata generoſa, quæ ſomnum excuterent, ſive naribus admota, ſive palato illita ſternuere, ſenſuſque alicujus ſuperſtitis ſignum ullum dare, quanquam admotis etiam cucurbitulis corpus pungeretur: cæteroqui reſpiratio crebra difficiliſque admodum, & parva, pulſus è magno & renitente jam tum parvus, creber, ac mirè inæqualis, vultus magis quàm ante flammans, ſed oculi lacrymis prægnantes: quin à meridie ad nonam noctis urgentibus illis ſymptomatis largus interea ſudor ſeſe adjunxit, tandem circa decimam noctis æger ſenſim ſomnum excutere, ad ſe redire, adſtantes agnoſcere, eorumque ſermonibus aures præbere; ſed inde æſtus quàm ante vehementior, qui tamen lenteſcere cœpit declinante die. Quartus paroxyſmus.

Hoc autem die de manè ab ægro primæ de natium dolore querelæ: nam cum corpus illi à naturâ vaſtioris molis à ſopore illo graviſſimum redditum, durante per quindecim horas veterno, totum in nates procumberet & devolveretur, contuſio certè inſignis carnoſæ illi parti impreſſa eſt, & inde paucas intra horas nativo calore vi febris prægreſſæ penè exhauſto gangræna, cujus cacoëthiâ adjunctâ vehementiæ paroxyſmi quarti anticipantis Morbi Eventus.

 ſive

ſive rigori, qui ex [α] Hippocrate *in continuâ febre corpore jam debili lethalis eſt, oppreſſus natura ceſſit, & heroicam animam Deo Principum Optimus reddidit.*

Morbi relati

Atque hæc eſt vera breviſque morbi non tantum diuturnitate, ſed gravitate & varietate ſymptomatum præſertim cephalicorum magni & inſignis hiſtoria, de cujus ſpecie & naturâ, ut paucis dicam, ſic ſtatuo, ut ſi parapoplexiam vel apoplexiam levem, ſive febrem τελαιοφυέα, eamque comatoſam indigitemus, parum intereſſe & à veritate nos minimè aberrare credam: etenim ſi attentè penſitatèque hanc *Optimi Senis* orationem quâ breviter quidem & graphicè pro more ſuo apoplexiam levem circumſcribit, [β] *qui icti & ſiderati dicuntur cum cerebrum multâ immunditiâ vitioſorum humorum repletum fuerit, anterior pars capitis primò dolorem ipſis infert, & ſuſpicere non poſſunt aliqui ambobus oculis, aliqui altero, & ſopor ipſos tenet, & deſipiunt, & tempora ſaliunt, & febris tenuis habet, & corporis impotentia:* ſi (inquam) hanc *Hippocraticam Apoplexiæ circumſcriptionem* conſideremus, nullus dubitationis locus relinquitur febrem hanc omnino eſſe eandem cum *Hippocratis levi apoplexiâ;* atque ſi circumlocutione uti placet, & latius definire, *eſſe eam febrem continuam naturæ tertianarum, ſed cum comate pervigili complicatam.*

Species & natura,

Definitio.

Seroſæ colluviei in capite p. n. congeſtæ ſigna clara in paroxyſmo,

Nam quis immunditiæ multæ cerebri, id eſt ſeroſæ colluviei mucoſis cerebri excrementis conſpurcatæ clariora deſideret indicia, ſternutatione aſſiduâ plurium dierum, tuſſi cum cantu, raucedine perpetuâ, oculis ſine cauſâ manifeſtâ collachrymantibus, & id genus primâ ipſâ morbi invaſione, & poſtremâ ſeſquianno pòſt ſeſe prodentibus?

quis

[α] In lib. Sect. IV. Aph. 46. Ἢν ῥίγος ἐπιπίπτῃ πυρετῷ μὴ διαλείποντι, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι θανάσιμον. Si rigor incidat febre non intermittente, ægroto jam debili, lethale eſt. In Coac. præn. Aph. 9. ῥίγος ἐν συνεχεῖ, τοῦ σώματος ἀσθενέος ἤδη ἐόντος, θανάσιμον.

[β] Lib. 2. Aph. 50. & Lib. 3. Aph. 5. de morbis. Οἱ δὲ βλητοὶ λεγόμενοι εἶναι, ὁκόταν ὁ ἐγκέφαλος πληθῇ πολλῆς ἀκαθαρσίης, ὀδύνην παρέχει τὸ πρόσθεν τῆς κεφαλῆς πρῶτον, καὶ ἀναβλέπειν οὐ δύνανται, οἱ μὲν ἀμφοῖν τοῖν ὀφθαλμοῖν, οἱ δὲ θατέρῳ, καὶ κῶμα μιν ἔχει, καὶ ἐκφρονές εἰσι, καὶ οἱ κρόταφοι πηδῶσι, καὶ πυρετὸς λεπτὸς ἔχει, καὶ τοῦ σώματος ἀκρασίη.

quis certius argumentum requirat ſopore ſingulis epiſemaſiis exacerbationum periodicarum conjuncto, & adeò contumace, ut niſi quindecim horis exactis ſolveretur? *Hanc certe aqueam in capite impuritatem confirmavit reperta aqua plurima in toto capite ſtagnans, & adhuc in cadavere reſes, nec ab ardore febrili deſiccata.*

Et poſt mortem evidentiora.

Deſipientiam autem (nam à *Viro magnanimo* querelam de anteriore dolore capitis non eſt quòd quiſquam expectaſſet, qui cruciatum nephriticum ſemper ſine ullâ queritatione, & magis quàm ſtoicè perferret: & verò vi ſoporis depreſſi ſatis erant oculi commiſſæque palpebræ, quod etiam comatis utriuſque pathognomonicum ſignum, ut neutro ſuſpicere poſſet) deſipientiam, inquam, ſatis ſuperque teſtificata ſunt oblivio, garritus, nugæque à ſerio homine expreſſæ, & interruptionibus ſive intervallis comatis pervigilis intermixtæ.

Deſipientiæ notæ.

Nec vero temporum ſaltus in noſtro ægroto obſcurus eſſe potuit, cum febris non tenuis, ut aliàs ferè (nam in ſenibus ob penuriam caloris nativi ſubjecti ſcilicet febrilis caloris febris ſuâ ſpecie magna videtur parva, tenuiſque ad tactum & latet ſæpius) ſed ſatis magna adjuncta eſſet: quî enim febris tenuis eſſe poſſet & obſcura vere jam præcipiti in corpore vaſto, calidoque impensè & humido à naturâ, & in ſanguine ob vini generoſi merique uſum paulò liberaliorem aduſto hærens? Scilicet ille ſive vitio ætatis, quæ ſibi plus ſatis *obſervatione Ariſtotelis* indulgentior eſt, & magis incontinens, ſive potius ſiti perpetuâ, quam febricula aliàs tenuis, & à primâ illâ impreſſione totâ hyeme latens aleret, cogente vino meraciori & duplo majori quàm ſuperioribus ætatibus quantitate ingeſto aſſueverat.

Febris magnæ indicia: (Animadverſio.)

Ejuſque cauſæ προκαταρκτ.

Quid denique corporis impotentia & ſopor? utrumque ſanè vel primus morbi inſultus à nobis deſcriptus (ne dum gangræna paulò ante mortem à contuſione corporis veluti plumbei & præ impotentiâ graviſſimi in ſe ſpontè concidentis importata) tam luculenter ſignificavit, ut è domeſticis nullus exigui adeo judicii in *Illuſtriſſimi Viri* habitum, oraque, & facta converteret oculos, qui non actutum

Signa prognoſtica, deſumpta 1. A morbi primo inſultu, & ultimâ declinatione.

tum metueret vitæ ejus ab aliquo catarrho ſive apoplexiâ jamjam capiti inſtante, nedum talis ſuſpicio perſpicacis ſed attenti Medici non pungeret animum.

2. Ab ægri naturali conſtitutione.

Quis enim adeo infirmo judicio, quem & contemplantem attentè hinc habitum Viri athleticum, caput magnum brevi cervici innixum, vultumque inprimis ſaturo rutilantem rubore, & oculos in eo lacrymis turgidulos ſine triſti occaſione, aſſiduamque ſpuitionem, & id genus argumenta capiplenii; illinc ætatem annum ex climactericis potentiſſimum attingentem, imò ferè complentem, & verò refricantem memoriâ *Nobiliſſimi Viri Illuſtres Abavum* quidem, & *Sororem* attonito morbo olim tanquam ſydere percuſſos derepentè concidiſſe; *Liberos* autem affectibus à ſeroſâ colluvie dependentibus balbutiei, alvi profluviis, vomitibuſque aquoſis, arthritidi, variiſque fluxionibus, febribus catarrhalibus, hyſtericis ſymptomatis vivere obnoxios, juſtus non inceſſat metus morbi formidoloſiſſimi omnium morborum?

3. Ab ætate annum Climact. potentiſſ. attingente.

4. A morbis ejus familiæ propriis.

5. A paralyſi alterius brachii.

Haud vani ſanè illius metus argumentum fuit evidens paralyſis alterius brachii, in quam ſecunda mihi obſervata acceſſio, ſive etiam fortè prima ex metaſtaſi humoris aquoſi è cerebro in nervos commutavit relicto tamen priore foco, ſiquidem ſingulis deinceps lunis pluribus idem affectus recurrit periodicè. Equidem cum & ſanguis in *Illuſtriſſimo Viro* partim ratione lautiſſimi victus in uſu dapſilium & aliàs euchymarum dapium poſiti, partim ratione otioſæ ac deſidis vitæ plurimum redundaret in toto corpore, & verò idem concipiendi alieni caloris cauſas non leves haberet ex rerum ſex non naturalium genere petitas, quas non eſt neceſſe pluribus explicare, ſed præcipuè hybernam conſtitutionem (nec enim domi ſe continuerat, ſed itabat ſæpè rus, nec corpus ſatis ab injuriis aëris defendere illi conſuetum) quâ hybernâ conſtitutione pori ratione ætatis jam denſi aſtringerentur magis magiſque, & ſanguis aliàs vehementer in viſcera compelli ſolet, compulſuſque fervere ac ſpontè tandem accendi, cui mirum videbitur ab hujuſmodi cauſis ſanguinem in vaſorum magnis ſtipiti-

Febris tertianæ obortæ, cauſæ προκαταρκτικαί.

bus

bus inflammationem ſeu calorem præter naturam concepiſſe, atque ab eo inflammato febrem tertianam exortam brevi, cum ſanguis inflammatus ſtatim bileſcere ſoleat?

Qualis ſanguis in tali febre ex diſſecto cadavere patuit.

Nam febrem in ſanguine inflammato hæſiſſe argumentum eſt quod ſanguinis maſſa ardore febris penè exſiccata exhauſtaque eſt, ut diſſectio cadaveris docuit, *cum in vaſis vix libra ſanguinis reſtitiſſet in demortuo.*

Cui etiam mirum videbitur eodem tempore coma pervigil febris epiſemaſiæ ſtatim ſe adjunxiſſe? coma, inquam, ſive quod è ſanguine in capite pariter ut in toto ebulliente vapore plurimo elato, aut ſero in ipſo expreſſo ſinus cerebri complerentur, ac commeatu reciproco ſpiritum interdicerent; ſive quod vaſa ipſa ſanguine ferveſcente magis diſtenta quàm antè obſtiparent eoſdem ſinus; ſive quod aqua in capite ægri ſeorſim à ſanguine jam ante deliteſcens tum fervore concepto irrueret in ventriculos obſtrueretque, ſive potius quia ſerum cum ſanguine ebulliens in ipſis vaſorum ſtipitibus ſurſum concitato quodam raptu impeteret cerebrum; ſive denique vapor duntaxat iſque craſſus humidus plurimus è ſanguine in toto confertim effumaret in caput: tot enim ſanè modis haud dubiè caput aquoſo humore in principiis febrium, vel certè vapore aqueo ſimul ac ſemel compleri poteſt, qui tamen vapor neceſſariò oportet in capite aqueſcat, ut ſuperiore obſervatione docuimus: ſed pervigil coma, ſcilicet à bilis ichore ſero mixto, aut fuliginibus è ſanguine aduſto permixtis ſero ſopore identidem interrupto.

Comatis pervigilis cauſæ.

Quæ cum ita ſint hunc affectum varium & terrificum non temerè vel apoplexiam ſed levem, vel parapoplexiam ſi potior ratio habeatur ſymptomatum febri adjunctorum ad caput attinentium, quàm febris; vel certè continuam tertianam eamque comate pervigili ſtipatam appellare licet, ſi contrà febris potior judicari debet. Etenim ut delirium aliud perpetuum, aliud intermittens, quod lucida habet intervalla, ita & apoplexia alia perpetua, alia intermittens eſſe poteſt, quæ præcipuè fit ex materiâ non in cerebro antè congeſtâ, ſed illuc affatim aliundè tranſlatâ, *ut in puerperâ cujus mentio*

Hic affectus pro diverſo reſpectu varia ſortitur nomina.

Delirium duplex:

Apoplexia duplex: Ejus cauſa.

apud

apud Clariſſ. Virum α *Ludovicum Duretum, quæ translatione ſanguinis ſuppreſſi in puerperio in caput applectica interiit.*

Apoplexiæ febri complicatæ focus.

Neque enim crediderim de naturâ Apoplexiæ eſſe ut in cerebro ſemper præfuerit focus, ſaltem focus qui excitat febrem, ſed poteſt eſſe vel in viſceribus, vel in vaſis magnis, & aut ſtatim primâ acceſſione ferri in caput, aut aliquo alio die deinceps ex iis quibus ſolet moveri materia febris ſive ſanguis: nec enim dubium eſt febrem Apoplexiæ comitem poſſe alicubi, quàm in cerebro latere, ut horror à quo ſæpè incipit Apoplexia inſinuat, & præterea febris in capite focum habens cum delirio & vigiliis potius conjungitur; itaque fieri poteſt febrem Apoplexiæ comitem quaſdam habere exacerbationes licet ratione ſoporis obſcuras, quod ſcilicet cerebrum perfectè non liberatur, ut evenit in hoc caſu paralyſi ſuperveniente primæ invaſioni, quæ quatuordecim duravit dies, & periodicos manifeſtè motus habuit.

Diverſa licet febris, curatio tamen ead.

Quod ſi placet potius referre ad febrem continuam eamque pervigili complicatam comati, parum intereſt, quia curatio non variat, ſiquidem ubique & febris, & capitis ſymptomata ob gravitatem & periculum à dignitate partis dependens curationem ad ſe trahere videntur, modò conſtet apoplexiæ differentias à nobis conſtitutas non eſſe imaginarias, cum & à nobis deſcripta intermittens & periodica vere fuerit, ſingulis quippè motibus lunæ & tempeſtatum mutationibus recurrens, & *Avicenna* hujuſmodi conſtituerit differentias, eaſdemque *Galenus* inſinuaverit.

Signa malignitatem morbi oſtendentia.

Malignitatem porro hujus morbi ſequentia ſatis oſtenderunt ſigna ex ſe prava, ſcilicet non agnoſcere familiares, & oblivio juxta β *Hippocratis* ſententiam; tum vero juncta rigoribus in ſomnum propenſio, & facies flammæ modo excandeſcens cum ſudore juxta eundem γ *Hippocratem* ſed & junctus rigoribus torpor, quin ſermonis defectio ſimiliter

ter

α Comm. in Holl. lib. 1. de morbis int. ad Cap. 7.

β Lib. 1. prædict. Aph. 64. ut & Coac. præn. Aph. 6. Μετὰ ῥίγεος ἄγνοια κακὸν, κακὸν δὲ καὶ λήθη.

γ Coac. præn. Aph 7. Τὰ κωματώδεα ῥίγεα ὑπολέθρια· καὶ τὸ φλογῶδες ἐν προσώπῳ μεθ᾽ ἱδρῶτος ἐν τούτοισι κακόηθες.

ter juxta [α] *Hippocratem:* poſtremò exitum affectus habuit ab eodem [β] *Hippocrate* prænunciatum. Exitus.

Age itaque cum febris quidem ſubjectum eſſet ſanguis iſque ratione victus & denſitatis habitus ab ætate contractæ bileſcens, in ſtipitibus ſcilicet magnorum vaſorum ebulliens & accenſus, comatis autem pervigilis ſeroſus humor bile atque fuliginibus bilioſis nonnihil perfuſus caput opplens univerſum, prudenter ſanè à *Sapientiſſimis Archiatris*, qui *Illuſtriſſimi Viri* curæ præfuerunt, conſultum fuit febri quidem partim venæ ſectione, partim purgantibus ſerum & ichores bilioſos, qui à ſanguine efferveſcente ſeparantur neceſſariò, partim refrigerantibus & cohibentibus ſanguinis æſtum & fervorem; comati autem conſultum partim compeſcentibus ſeri raptum vaporumque omnis generis aſcenſum ut frictionibus, ligaturis, partim repellentibus, ut oxyrrhodyno, partim aquam è capite elicientibus, ſeu vaporem diſcutientibus, partim denique ſopitam facultatem excitantibus, denique virium conſervationi, quæ ſanè remedia ab [γ] *Hippocrate* loco citato inſinuata ferè primâ invaſione, ſed & ſecundo atque ultimo quippe graviſſimis recurſibus fuere iterata, quorum remediorum formulas ſatis obvias non fuit tanti à Pharmacopœo repetitas hic inculcare, cum conſilium noſtrum ſit hic in naturas affectuum à ſeroſâ plenitudine prodeuntium inquirere.

Sanguis bileſcens ſubjectum febris eſt.

Hinc curatio inſtituta: 1. Ratione febris. 2. Ratione Comatis.

Cur Autor medicamentor. formulas plerumque omittat.

OB. XVII. Huic cæterum febri comatoſæ ſimilem & germanam omnino vidimus menſe Auguſto ejuſdem anni *in Splendidiſſimâ prudentiſſimâque matronâ Catharinâ Go, ætatis tum 63. annorum, & aliàs habitu* [δ] *euſarco: ſimilis (inquam) fuit in omnibus, ſive ideam febris, ſive ſyndromen* Priori ſimilis.

N *ſymp-*

[α] Coac. præn. Aph. 14. Τὰ πολλὰ ῥίγεα νοθρώδεα, κακοήθεα. Coac. præn. Aph. 34. Αἱ ἐν πυρετῷ ἀναυδίαι κακόν. Coac. præn. Aph. 56. Νάρκη ἐς ἀμφότερα ταχὺ μεταπίπτουσα κακόν. Torpor in utramque partem citò delabens, malum.

[β] Lib. 3. de Morbis Aph. 5. οὗτος ἀποθνήσκει τριταῖος ἢ πεμπταῖος, ἐς δὲ τὰ ἑπτὰ οὐκ ἀφικνέεται. Hic moritur tertiâ aut quintâ die, & ad ſeptem non devenit.

[γ] in Lib. de morb. L. C.

[δ] Bene carnoſo.

ſymptomatum ſpectes, in his tamen duobus diſcrepans quod & epiſemaſias tempus ac initium exacerbationum non adeò pertinax cum novem duntaxat horas deſipientiaque premeret, & calor citius emicaret, & verò non fuit producta, aut recurſibus diſtincta, ſed in quinti paroxyſmi principio fatalis extitit mulierum optimæ; vaſa ſimiliter ſanguine exhauſta in cadavere reperta, & caput plurimâ ſcatens aquâ, ſed ſpeciatim veſica cholidochos diſtenta prægnanſque pluribus calculis fabæ molem excedentibus iiſque viridantibus.

Inventa in hocce cadavere.

De eod. affectu.

OBS. XVIII. In ejuſdem etiam generis febrem inci- diſſe mihi relatum eſt *quendam vinitorem vici de* Uvande*leinville Ioannem* Uvachi *nomine* 45. *circiter annorum, pridie ſcilicet Kal. Auguſti anni* 1616. *(quo die ingruente procelloſâ tempeſtate annotavi laborantes febre tertianâ duplicem præter ordinem paroxyſmum perſenſiſſe, altero ſcilicet ſub veſperam præter ordinem ſeſe ordinario adjungente) ejus igitur febris paroxyſmus tertianarius invadebat cum comate tam alto & pertinace (pervigil certè non fuit) ut nullum verbum ab ægro extorqueretur, oculi penitus clauſi univerſaque membra tanquam cadaveroſa ſenſu motuque omni deſtituta prorſus jacerent, nec niſi exactis* 14. *horis evigilaret, ſibique reſtitueretur. In epiſemaſiâ quarti paroxyſmi audivi ruſticum obiiſſe diem extremum.*

De eod. affectu.

OBS. XIX. Poſtremò *Anno præſente decimo ſeptimò ſupra ſexcenteſimum milleſimum ſimilem affectum ſoporoſum ſuperveniſſe ſecundi ſeptenarii tertianis exacerbationibus continuarum febrium quæ viguerunt circa novilunium menſis Octobris pluvioſum admodum obſervavi in tribus ægrotis diverſæ ætatis, eumque cum ſtupendâ ſenſuum motuſque proſtratione, & loquelæ interceptione, atque ultra duodecim etiam horas produci ſolitum, cui quia conſtitutio aëris occaſionem fortè dedit, eò minus funeſtum exitum habuit hactenus, atque ut ſpero cum Deo habiturus eſt, ſiquidem viget adhucnum morbus:* de iis enim plura dicere vetat Typographus interrumpere opus prohibens.

CAPUT V.

De Apoplexia levi.

OBS. XX. *Claudius Dionyſius, civis & ſartor Pontanus, homo gracili habitu, capillamentoque nigro, lautiori victui, & imprimis otio aſſuetus* (ut ferè urbanorum artificum genus omne genio paſſim indulget, tribuitque abdomini in diem ſaginando quicquid lucelli aut manuum induſtria aut corporis labor parit adfertque) *anno tertio ſupra* 1600. *cum largius vinum bibiſſet derepentè concidit ſine ſenſu ac motu: obmuteſcere ille quidem tum ſed adhuc ſpiritum trahere eumque inæqualem, inordinatum, & intermittentem, non tamen ſublimem aut ſtertori adjunctum. Cum quatuor dies ita obmutuiſſet ut apoplecticum nemo non putaret, quarto die ſponte evigilavit divinâ adjutus potius gratiâ quam remediis, ſiquidem ea ferè aut non ingeri ac deglutiri poſſunt, aut certè nihil promovere ſolent per facultatis ſentientis oppreſſionem: rediit ergo ad ſe, ſed depoſito humore morbifico per* [α] *diadochen non inſalubrem, tum in mediam ſpinam, à quo decubitu reſoluta fuerit corporis media pars, tum in propagines ſeptimi paris ad linguam pervenientes: ita ut balbuties reſtiterit, ac paralyſis caloris beneficio paulatim emendata eſt, ut poſt aliquot menſes exire, & præ foribus templorum ſtipis cogendæ gratiâ ſtare poſſet. Verum miſellus ſeſqui altero poſt anno ob infirmitatem pedum cum humi procidiſſet, lectoque ſe reddidiſſet, neſcio quo febris genere oppreſſus, brevi extinctus obiit.*

Ægri nativa conſtitutio.

Urbanorum artificum Galliæ mores.

Apoplexiæ cauſæ προκαταρκτ.

Invaſio, ſigna, Et demiſſio.

In paralyſin alterius lateris commutatio:

Eventus.

OBS. XXI. Vivit hoc tempore *Henricus civis & faber non ignavus in hac Urbe, qui anno* 3. *ſupra* 1600. *ſub initio menſis Septembris rediens è vicino oppido madidus in medio concidit itinere ſine ſenſu ac motu, & ſub dio proſtratus jacuit humi per tres dies. Hic repertus tertio die domumque reductus ſenſum quidem recuperavit, ſed motum mediæ partis corporis ejuſque dextræ perdidit, nec adhuc reſtitutus quarto licet anno ab ejus amiſſione, balbutit, ægrèque incedit: advertendum au-*

Similis Affectus.

Membrum reſolutum ſudore madeſcit.

 tem,

α Humorum de parte ad aliam tranſitus.

tem, illi reſolutum membrum ephidroſi ſemper madeſcere.

Similis Affectus.

OBS. XXII. Memini etiam, *ante decem annos in confinio ditionis Epiſcopatus Metenſis Nobilem Matronam Uxorem Nobilis Viri D. Helmeſtat*, ſi bene recordor, *ex apoplecticâ paralyticam factam, ſed ea poſt aliquot menſes recurrente graviore apoplexiâ oppreſſa naturæ ceſſit.* Solum ſanè Lotharingicum feraciſſimum eſt hujuſmodi morborum, raraque ſunt oppida ſeu urbes, in quibus hyems circa inſignes mutationes tempeſtatum non aliquot è civibus percutiat ac proſternat ex improviſo.

Hic Lotharingiæ populis Epidemicus affectus eſt.

Apoplexiæ cauſæ προκαταρκτ.

An autem eum apparatum creberrima crapula, uliginoſáve ſoli cœlique natura ad vim ambientis adferat, an potius utraque ſimul cauſa, quod eſt vero ſimilius, non eſt hic diſputandum, ſed potius in continentem cauſam inquirendum, idque paucis. Repetenti namque memoriâ ratiocinationem ſuprà in cari obſervatione contextam, facilè eſt intelligere in apoplexiâ levi caput univerſum malè affici tum anticum tum poſticum, ſed ita tamen ut aliquæ propagines ſexti ſeptimive parium, quæ ad cor perveniunt ſint integræ atque incolumes, nam in quocumque motu animali & quavis actione liberâ ſeu à voluntatis juſſu dependente ſive ea fiat κτ̃ προαίρεσιν, id eſt ab electione, ſive καθ' ὁρμὴν ab inſtinctu, omninò præſentia animæ, ſpirituſque animalis influxus deſideratur, utcumque neceſſitas motus muſculorum vim ad illum excitet, ſiquidem ex phyſicis cujuſque motus animalis anima ſentiens & ſpiritus principia ſunt.

Pars affecta.

Motus animalis principia.

Quia igitur metropolis animæ ſentientis eſt caput, & ejus vector ſpiritus animalis, ſpiritus autem canales ſeu tubuli ſunt nervi, quæ omnia in phyſicis ſunt demonſtrata, ſanè quia in levi apoplexiâ vigent adhucnum cordis & diaphragmatis motus, certè licet impediti, non tamen ablati prorſus, ut in forti, neceſſè eſt animam & ſpiritum in cor & diaphragma per nervos iis partibus proprios influere.

Animæ ſentientis metropolis.

Nimirum cum in quâvis ſpecie apoplexiæ læſa ſit reſpiratio, quippè in quâ ſpinalis medullæ anguſtia eſt perfecta,

In omni apoplexiâ reſpiratio læditur.

fecta, ſed præterea in forti quidem apoplexiâ propagines ſexti & ſeptimi aliquam patiuntur anguſtiam, ſed eam tamen minimè perfectam, in levi autem nullam; nam in forti cum anguſtia horum nervorum magis & magis augeſcat, indè difficillima quidem eſt reſpiratio à principio & cum ſtertore, eaque brevi prorſus unà cum cordis motu adimitur: at in levi quia nervi duntaxat, qui è ſpinali medullâ producti thoracem movent, perfectam patiuntur anguſtiam, inde reſpiratio læſa quidem eſt ac difficilis, ſed non tamen ablata, ſiquidem per propagines ſexti paris integras adhuc & liberas ſpiritus influit.

Age autem quoniam ex repentino caſu affluxus humoris tanquam cauſa mali, non nuda intemperies arguitur; & porrò ex ſolutione, ſeu mutatione levis apoplexiæ in paralyſin colligere eſt apoplexiam obſtructionem potiùs quàm compreſſionem ſinuum cerebri conſequi; ſiquidem difficillimum eſſe videtur, ne dicam impoſſibile, humorem per totum cerebri corpus diſperſum ſimul & ſemel totum excuti in medullam ſpinalem & præſertim dimidiatam, cum id contrà proclive ſit humori in ventriculis deliteſcenti, ratum hactenus ſit apoplexiam levem ſequi inſignem obſtructionem ventriculorum omnium cerebri.

Cauſa mali ex repentino caſu & ſolutione dignoſcitur;

Quæ in Apoplexiâ levi, obſtructio ventriculorum omnium cerebri eſt.

At de ſpecie humoris obſtruentis non ita facilè eſt certò definire: ut uno verbo tamen concludam, tametſi aſſentiar in hoc omnibus Medicis craſſum viſcidumque humorem ſive pituitoſum, ſive melancholicum (qui eſt ipſe ſanguis craſſus & feculentus) apoplexiam ſubitumque caſum obſtructis compreſſiſve cerebri ſinubus poſſe afferre, tamen id de apoplexiâ forti duntaxat ut concedam, & de levi quæ in paraplegiam ſive hemiplegiam mutari ſolet, ſecus ut ſentiam, mihi perſuadet ſolutionis iſte modus, reſolutio ſcilicet totius corporis vel medii: quî enim poteſt viſcidus humor lentore ſuo ſeu firmo glutino parietibus ventriculorum cerebri tenaciter adhæreſcens momento propè detergeri, ex iiſque excuti, & excuſſus in diſtans principium nervorum compelli? quî poteſt humor craſſus unaque glutinoſus in nervorum cava præ anguſtiâ ſenſum

In Apoplexiâ forti eſt craſſus & viſcidus humor;

Quod probatur.

fallentia ſeſe inſinuare, imò decurrere eorum extremas uſque fibras tantâ cum celeritate, quantam permutatio illa præ ſe fert?

(Paralyſis nunquam in alium morbum mutatur.)

Quî denique poteſt idem humor decurſus perfectè penituſque reſolvi? Nam paralyſis nuſquam mutatur in alium morbum, ſed ſenſim ſolvitur etſi non omnis, ſed aliqua ut intra paucos menſes, vel etiam dies priſtinis ſenſui motuique corpus reſtituatur: quî poteſt (inquam) humor craſſus perfectè reſolvi, cum perfecta humoris reſolutio non niſi vi caloris obtineri queat, à calore autem humor craſſus & lentus magis & magis incraſſari & indureſcere ſit pronus, ut ex phyſicis conſtat, & ex calculis ab hujuſmodi humoribus in animantium corporibus genitis, tum ex cruſtis narium ab induratis cerebri excrementis aggeſtis? Quæ ſi vera ſunt, ut ſunt veriſſima, in eâ ſum ſententiâ Apoplexiæ levis continuæque conjunctam cauſam eſſe ſeroſam colluviem in cerebro multò ante redundantem, ſed longè majori copia, & vero mucoſo humori ſæpenumerò confuſam adeò, ut non intra paucas horas hic humor poſſit reſolvi, in quo illa à parapoplexiâ differt, cum propter illas cauſas plures quidem dies cunctetur in cerebri ſinubus, in quos ſcilicet fervore concepto vi tempeſtatis aëreæ, aliterve ſponte influxit; ex iis autem ſinubus, fervore depoſito & veluti jam quieſcens per ſeſe in ſpinalem medullam, hoc eſt, ex anterioribus in poſteriores ob communionem meatuum in ſe mutuò patentium decrret decumbatque, & ratione tenuitatis ſimulque tantillæ licet gravitatis (aqua enim ſimpliciter eſt gravis) cava etiam nervorum ſubeat decurratque ad extrema uſque eorum, itaque brevi apoplexia non inſalubriter in paralyſin terminatur.

(Cauſa in levi eſt ſeroſa colluvies in cerebro redundans.)

(Apoplexiæ levis in paralyſin permutationis cauſa.)

Cur in paralyſi nunc motus cum ſenſu: nunc motus ſolum tollatur?

Eamque hujuſmodi, ut vel motus unà cum ſenſu tollatur, ſive humor ſpatia membranas nervorum interjecta, (unuſquiſque ſiquidem nervus duabus è membranis contexitur) ſive in cavum medullitùs inſculptum ſeorſim, ſive in utraque ſimul depluat, vel motus ſolùm intercipiatur ſervato ſenſu, cum humor in ſpatia membranarum decumbat

cumbat tantùm: nimirum nervorum membranis emollitis atque effœminatis motus tollitur, ſervatur autem ſenſus cavo medullitus inſculpto integro & libero ſpiritui ſervato.

Atque hæc paralyſis pro humoris conditione magis minuſve pertinax eſſe poteſt. Si namque ſeroſus humor ſincerus eſt, paucos certè intrà menſes is reſolvi poteſt, ut in *parapoplexiæ hiſtoriâ* monitum, imo intrà hebdomadam & paucos dies, ut in puellis obſervatum *capite de Hemicraniá*, & infrà in *hyſtericis capite de Epilepſiâ:* ſin vero ſeroſus humor ſit etiam mucoſo cerebri excremento perfuſus ita tamen, ut ſerum exuperet mucum, & miſcella fluxilis ſit, tum hæc paralyſis vix remedium patitur, mucoſus ſiquidem humor à ſeroſo deductus extremos in nervos præ craſſitie perfectè reſolvi nequit, quanquam ſerum poteſt: ex quo plures annos imò totam vitam quanta quanta eſt adæquat, & non niſi ægris commoritur, cujus indicium eſt quod in his contractæ ſunt extremæ partes ut manus, nec aperiri poſſunt retractis in ſe digitorum phalangibus, nec crura flecti, lento quippè & mucoſo humore magis magiſque indurato, ut obſervare eſt in *fabro illo Pontano*, cujus antè mentio facta. Paralyſis pro humoris conditione magis minuſve pertinax eſt.

Ita profectò meâ quidem ſententiâ ſtatuere oportet, cum tres ſint apoplexiæ ſpecies *fortiſſima* ſcilicet, quæ ſtatim ſpiritum adimit, interimitque, *fortis* quæ violentum, intentumque & ſublimem ſpiritum reddit, cujus duæ differentiæ à nonnullis conſtituuntur, & *levis* quæ difficilem adhuc & explicatum antè ſpiritum trahit, ita (inquam) ſtatuere oportet *fortiſſimam* quidem à mucoſo humore ſive ſolo, ſive potius ſero immixto ſed eâ proportione, ut ille hoc multùm exuperet; *levem* contrà à ſero ſive ſolo, ſive mucori permixto ſed in paucâ admodum quantitate, ut ſerum longè muco prædominetur; *fortem* denique à miſcelâ utriuſque non valde diſpari menſurâ coaleſcentis produci, cujus ſanè doctrinæ argumentum habeo ſingulare hoc experimentum: *Anno nimirum circiter milleſimo ſexcenteſimo Stephanus de Ruiſſeau Pariſinus, Nobilis Advocati filius, puer annorum* Apoplexiæ tres ſpecies. I. Fortiſſima; II. Levis: III. Fortis. Obſervatio.

norum duodecim in Collegio Patrum ſtudioſus, circà ſolſtitium hybernum concidit ſine ſenſu motuve derepentè niſi convulſivo reciprocante, quo brevi admodùm tempore concuſſus fuit ſed quem ſtertor mox ſubſecutus; hic tentatis dicis cauſâ paucis remediis, quippe pro conclamato ſtatim à nobis denunciatus, præ violentiâ morbi ſuffocatus duodecimâ morbi circiter horâ merum mucum ſed ſpumoſum cum animâ per nares non ſine omnium ſtupore reddidit, ſpumeſcentem (inquam) longè latèque, & conſertim, non ſtillatim, quemadmodum excerni vidimus olim affectis pulmonibus, ne quis è thorace veniſſe credat: nam etſi è naribus in peripneumonicis vi ſtertoris purulenta quoque materia reddi poteſt; non tamen ea ſpumeſcens adhuc redditur & affatim, ſed veluti conſiſtens & guttatim diſtillat experimento noſtro, fortè per viæ longitudinem & acclivitatem agitatione citiùs quieſcente quàm in mucoſo humore è capite decidente.

Differentia inter mat. e narib. in peripneumonicis ejectam & apoplecticis.

Age verò non negarim etiam apoplexiâ obrui & corruere poſſe athletica corpora non tam reciproco ſpirituum animalium è ſenſorio communi in externa, & viciſſim ex his in illud commeatu intercluſo, quàm aditu ſpiritus vitalis in cerebrum è corde per vaſa jugularia aſcendentis intercepto prohibitoque à ſanguine ſcilicet craſſiori nec amplius meabili, ſed veluti fixo, quæ α *Apoplexia Magno Hippocrati ab interceptione vaſorum dicitur*, cujus vehementiâ memini *Clariſſimum Archiatrum Sereniſſimi Ducis* CAROLI *Deſiderium Philbertum extinctum anno circiter* 1602. *circa memorabilem illam Kalendarum Februarii procellam nivoſam Aquilone crudeliter ſæviente, ut multi tum fortè peregrinantes nive obruti perirent. Ergo is agens annum climactericorum principem vaſto alias à naturâ corpore & plethorâ laborans repentino & vehementi horrore comprehenſus, ac fruſtrà largioris foci calorem expertus lectoque redditus, ſui impotens, ſomnoque oppreſſus, vultum lividus, oculos turgidus, vix horam ſtertorem morbique vehementiam ſuſtinere potuit, ſed ſtrangulatus confeſtim naturæ ceſſit, ſpeſque ſuorum fati celeritate fefellit*

Apoplexia ab interceptione vaſorum.

Obſervatio.

α De rat. victus in morbis acutis Aph. 37. Vid. P. 15. hujus lib. Piſonis.

ſellit optimus & aliàs robuſtiſſimus Vir, quanquam fortè hunc caſum verius ad ſphaceliſmum cerebri [a] *Hippocrati* deſcriptum referre licet.

Non neſcimus quoque vel à ſanguine in capite liquato nedum concreto præ copiâ apoplexiam ſuboriri poſſe: ſic audivimus *quendam cum ad focum obverſo pronoque capite dormiret apoplecticum concidiſſe illicoque mortuum: & antè tres annos vidimus multum honorati civis Pontani Arnulphi Richardi filium, cum is die intermiſſionis à febre tertianâ, ſe diutius expoſuiſſet ardori ſolis per dies caniculares, apoplecticum derepentè factum, & altero die ejus vehementiâ extinctum.* Apoplexiæ à ſanguine obſervationes duæ.

CAPUT VI.

De Lethargo periodicè repetente, ſive hydrope cerebri.

OBS. XXIII. *ILluſtriſſ. ac Reverendiſſ. Præſul, acerbiſſimæ arthritidi cum febre continuâ & magnâ ſemper conjunctæ, & periodicè ſæpiùſque quotannis recurrenti* (cujus utriuſque hiſtoria à nobis loco ſuo fuſius declarabitur) *jam à decennio obnoxius hiſce aliis inſuper opprimi ſymptomatis cœpit, nimirum tametſi uno aut altero die poſt febris primam impreſſionem arthritici dolores brachium, cruſve alterutrum aut ut ferè ſemper utrumque, & modo hunc, modò illum in iis articulum de more tum invaderent, tamen iis nec ita atrocibus, ut ſuperioribus annis nec ita pertinacibus, ſed intrà paucos dies miteſcentibus inſolentes ſuccedebant alii & crudi, qui* Morbi inſultus primus.

O *nunc*

[a] Lib. 2. & 3. de Morbis Aph. 5. in medio. Ἢν δὲ σφακηλίσῃ ὁ ἐγκέφαλος, ὀδύνη ἴσχει τὴν κεφαλὴν, καὶ διὰ τοῦ τραχήλου φοιτᾷ ἐς τὴν ῥάχιν, καὶ αὐτὸν ἐπιλαμβάνει ἀνηκουσίη, καὶ ψῦχος ἐπέρχεται ἐπὶ τὴν κεφαλὴν καὶ οἰδέει ὅλος, καὶ ἐξαίφνης ἄφωνος δείκνυται καὶ ἐκ τῶν ῥινῶν αἷμα ῥέει, καὶ πελιδνὸς γίνεται. τοῦτον ἢν μὲν ἡ νοῦσος χαλαρῶς λάβῃ, τοῦ αἵματος ἀπελθόντος ῥαΐζει. ἢν δὲ σφόδρα εἰλημμένος ᾖ, θνήσκει τάχα. Si cerebrum corruptum fuerit, dolor caput tenet, & per collum procedit ad ſpinam, & ipſe non audit, & frigus ad caput devenit, & totus intumeſcit, & derepentè voce privatur, & ex naribus ſanguis fluit, & lividus fit; quod ſi morbus leviter corripiat, ubi ſanguis diſceſſit melius habet, ſi vero vehementer correptus fuerit, cito moritur.

nunc jugulum, nunc maxillam, nunc linguam fauceſve impetebant, ut nec loqui, nec vel fragum eſitare poſſet; & verò brevi iis langueſcentibus non ita poſt gravis ſopor ſenſim obrepebat circiter ſeptimo die febris, qui ſopor vel à luce meridianâ derepentè affulgente nuſquam interturbaretur, & adeò pertinaciter urgeret, ut non niſi exacto uno vel etiam duobus ſeptenariis expelli is excutive poſſet; & æger mentis ſenſuſve compos fieri & vigilare poſſet, nam quandoque clamore aut aliter excitabatur, etſi ægerrimè, ut cibi v. g. capax eſſet, aliàs ſopori indulgere ei ſemper ferè conceſſum, eo credo conſilio, quòd ſomno veluti benigno pharmaco dolores demulcerentur alioqui intolerabiles, & aſſidentium aures perpetuis querelis diverberantes. Huic autem alto ſopori accedebat & ſe adjungebat comitem tremor quidam ſive potius convulſivus quidam motus toto corpore, & brevibus intervallis infeſtans ſed latenter adeò, ut hactenus omnes aſſiſtentes fefelliſſet, ſeſeque pulſu duntaxat convulſivo prodidiſſet. Obſervavi eos ſanè ego ſemper motus apertis primùm meo juſſu feneſtris (anteà ſemper clauſis partim ſomni conciliandi gratiâ, partim vitandæ inclementiæ aëris, æſtas ſiquidem ardentior vigebat) *apertis inquam à me feneſtris eos compeſcendi motus infeſtos gratiâ, quòd animadverterem illos in vigilante conquieſcere, in ſopito perpetuo excitari, & præterea obſervavi ſemper tum oculos inconniventes & immobiles ſed madentes tamen, tum autem univerſam faciem prætumidam & decolorem quidem primis diebus, ſed febre magis magiſque incandeſcente circum genas ac præſertim ſiniſtram rubentem non mediocriter, corpus autem minimè rigebat, ſed enerve ac elumbe, & alioqui admodùm grave jacebat: denique ingens mentis ſtupor, miraque ſui negligentia ac oblivio rerum maximè neceſſariarum, & ea oppidò celer, ut niſi perpetuò excitatus atque compellatus quicquam æger annueret aut ageret vel perficeret.* Ejuſque recurſus, *Poſtremò horum ſymptomatum ſyndrome omnes arthritidis recurſus quatuor circiter annos ſemper comitata eſt,* & eventus. *& non niſi cum arthritide vitâque ipſâ commortua.*

Præced. affectus ulterior, & ad quod genus. Atque hæc eſt brevis & vera affectus hiſtoria, quem quâ ratione & quo auctore aſſidentes referrent ad melancholiam, *une humeur ſombre*, haudquaquam potui reſcire, cum

cùm omninò illum potius ad aliquod ſoporis genus referri debere tam clarum eſſet, quàm clari radii ſolis eſſe olim cùm ſudum eſt ſolent. morbor. referend. inquiſitio:

Age itaque quoniam *quatuor Soporis genera* à Medicis ſtatuuntur, *Carus*, *Coma pervigil* ſive *typhomania*, *Catalepſis* ſeu *catoche*, & *Lethargus*, in primis ſanè carum non eſſe tum minimè continens & inexpugnabilis dormiendi neceſſitas, tum oculi non clauſi ſed potius ſemiaperti ſatis loquuntur. (Quot genera ſoporis & quæ) Neque ad Carum.

Ac catalepſin quanquam oculi ita aperti & inconniventes inſinuare videntur, tamen reclamat mollities corporis totius in ægro rigori in catoche perpetuo contraria: ſed & non inſuperabilis ſopor: reſtat igitur ut Coma pervigil, vel lethargum concludamus eſſe. Neque ad Catalepſin: An ad Coma pervigil?

Sed hunc potius, quàm illud ſuadet ſanè perpetua in ſomnum propenſio, & vigiliæ non niſi vi extortæ. Nam quanquam evigilare eum aperti oculi indicare viderentur, tamen non tam erat oculorum vigilia, ſeu voluntaria apertio, quàm convulſio & rigor quidam: oculos enim clauſos in lethargo non intelligere oportet perfectè conniventes ac depreſſos, quemadmodum in caro; ſed ita ſemiclauſos, ut quanquam palpebra deprimitur, tamen quia oculus ſurſum revellitur & convellitur, pupilla certè non pateat objectis, ſed tegatur à demiſſâ palpebrâ, itaque album oculorum duntaxat videatur; convulſis namque muſculis æqualiter duobus in utroque angulo collocatis, ac palpebram ſuperiorem moventibus apparet ſanè album oculi lethargicis dormientibus non ſecùs ac leporibus, unde Lagophthalmia dicitur. Num potius ad lethargum? Probatur:

Neque verò defuêre quæ lethargum ſigna circumſcribunt ſive pathognomonica, ſcilicet ſopor, qui non facilè poteſt evinci, mentis ſtupor, ac celer oblivio; ſive aſſidentia, rara nimirum ſed magna reſpiratio, oſcitatio crebra, facies turgida atque decolor, *face bouffie*, uno aut altero ſaltem die, manuum tremor, ſeu potius convulſorii toto corpore motus, σπασμώδεα πάθη, & ἐφίδρωσις ſupernarum partium, liquidæ denique dejectiones. Hanc namque ſym- Hujus ſigna pathognomonica, & aſſidentia:

 pto-

Symptomatum juxta Hipp. coitio.

ptomatum in lethargicis coitionem expreſſit *Magnus* α *Hippocr.* hiſce verbis: *Lethargici manibus intremiſcentes, ſomniculoſi, malè colorati, ſubtumidi, pulſu ſegni, quæ ſunt ſub oculis inflatis & ſudores ſuperveniunt, & alvi tument bilioſis, & meracis:* quæ ſigna univerſa in noſtro ægroto expreſſa quis non videt?

Qualis hic lethargus, hujuſque vera cauſa:

Quod ſi ex iis quædam minùs expreſſa evidentiaque ut v. g. pulſum minimè tardum, genas non decolores poſtremis diebus ſed rubentes quis pertenderit, haud quaquam certè contraierim lubens, ſed admonitum tamen velim propoſitum lethargum non eſſe revera eum ipſum quem paſſim Medici à pituitâ craſſâ lentâque aut ſanguine potiùs meâ quidem ſententiâ crudo & pituitoſo in capite putrente primò fieri, ſimulque febri & delirio conjunctum eſſe ſtatuunt: ſed alteram lethargi ſpeciem à ſeroſo humore in toto primùm, tandemque in capite univerſo ebulliente dependentem, quem ſi hydropem cerebri nominare cum β *Hippocrate* placet, haud repugno.

(Quî ab Hipp. nominatur?)

Etenim cùm hæc ſymptomatum, quibus definitur lethargus, congeries febri arthritidi conjunctæ non niſi jam aliquatenùs progreſſæ ſub finem ſcilicet primi ſeptenarii, vel etiam ſeriùs ſupervenire & nunquam prævertere conſueverit, eam ut tanquam primigeniam capitis affectionem conſtituamus ratio juſta prætexi nequit; ſed per propagationem materiæ capiti communicatæ aliundè ſuperſtite tamen priore foco ſuccreſcere fatendum: niſi potiùs dicamus non tam materiam ipſam transferri in caput, quàm qualitatem ſive alterationem & ebullitionem in vaſis magnis conceptam, latentis inſtar ignis ſenſim è viſceribus ad caput ſerpere.

Num ex primigeniâ capitis affectione; num potiùs per propagationem materiæ aliundè ortum duxerit?

Inquiritur. (Febris continens in quo conſiſtit?)

Scilicet ſerum ſanguinis (detur enim mihi in præſentiarum & febris continentis, arthriticarum fluxionum parentis, focum in quadam ſanguinis ſeroſi ſive ebullitione, ſive

α Coac. præn. Aph. 139. Οἱ ληθαργικοὶ τρομώδεες ἀπὸ χειρῶν, ὑπνώδεες, δύσχρωτες, οἰδηματώδεες, σφυγμοῖσι νωθροῖσι, καὶ μετάρσια τὰ ὑποφθάλμια καὶ ἱδρῶτες ἐπιγίνονται, καὶ κοιλίας ὑποιδεῖσι χολώδεας καὶ ἀκρατέας.

β Lib. 2. de morbis Aph. 32.

ve putredine conſiſtere & dolores arthriticos ſolutionem continuitatis articulorum ab ejuſdem ſeri impetu cum orgaſmo in eos irrumpentis, & violenter diſtendentis illatam conſequi, quæ partim ſupra in caro, partim infrà ſuo loco à nobis pleniùs demonſtrabuntur) ſerum, inquam, ſanguinis primùm in vaſis magnis ebulliens unà cum ſanguine febrem in toto accendit ſimulque è vaſis exundans affatim magnâ vi articulos irruit, invadit, quæ ebullitio fervorque cum brevi conſequutione quadam neceſſariâ ad ſerum in capite redundans plurimum perveniat, tum hoc novo fervore concepto longè latéque deſpumans, partim extrorsùm maxillam, linguam, fauces, jugulaque impetit, & dolorem iis infligit, partim introrſum deerrans ſenſus devincit, imaginationemque labefactat, & ſimul univerſum corpus perpetuis motibus obſcuris licet quatit atque percellit.

Hoc ſanè decretum de propoſitâ continente lethargi cauſâ probant cùm affectus ſolutio, tùm univerſa ſymptomata aſſidentia. Quî enim amabò veternus ille ter quaterve, & ſæpiùs quotannis, & jam à quatuor & fortaſsè pluribus annis (niſi peripneumonia ægrum immaturæ morti fortè damnaſſet, ut ſuo loco à nobis enarrabitur) periodicè recurrens ſponte ſuâ & ſine ullis artis præſidiis (nam totum certè negotium uni naturæ & congruæ victus rationi tum committebatur) ſolvi toties poſſet, ſi is à craſſâ lentaque materiâ, qualis eſt, & perhibetur mucoſa capitis pituita, duntaxat foveretur?

Propoſitam Lethargi præſentis cauſam fuiſſe continentem probatur. 1, Ex ſolutione:

Age quanquam non dubito lethargum à pituitâ in capite putrente ſuboriri poſſe, & memini *Clariſſimi Archiatri Deſiderii Philberti filium natu maximum antè* 24. *annos lethargo oppreſſum multam pituitam viſcidam ſpumeſcentemque unâ cum animâ naribus efflaſſe*: tamen lethargum ab hujuſmodi cauſâ minimè periodicum eſſe, nec ſolvi poſſe ſæpiùs perfectè ac viciſſim recurrentem præ indomitâ pituitæ naturâ nec perfectæ reſolutionis capace arctè teneo, accuratéque defendo.

Obſervatio.

Quoniam igitur qui à nobis modò deſcriptus lethargus mini-

minimè lethalis, ſed perfectè ſolutus fuit, neque etiam in alium morbum tranſmutatus, quæ tranſmutatio fieri poſſet etiam à craſſi humoris in vicinas partes decubitu; in capite autem nullum humorem licet aſtruere, qui cum ſenſus externos, quacumque ratione devincire, & imaginatione labefactatâ reliquos imminuere, varioque motu varias in capite partes, vel etiam vicinas lædere, & multiplicia inferre ſymptomata; denique brevem & perfectam reſolutionem pati poſſit præter ſeroſum in ſanguinis maſſâ humorem, concludere eſt profectò: *lethargi à nobis deſcripti* Concluſio. *cauſam continentem eſſe ſeroſam colluviem in capite ebullientem, fervore ſcilicet ei communicato à ſero & ſanguine in toto ebulliente.*

2. Ex ſymptomatis variis aſſidentibus, quæ ordine recenſentur. Quid annon crebra oſcitatio, *madorem muſculi digaſtrici à maſtoide exorti maxillæque inſerti ab aquâ è capite depluente conſequens*, huic favet dogmati? ſed longè clariùs tumor totius faciei decolor, & aquæ concolor, atque dialis ferè, ſi revocamus in memoriam parotides & id genus tumores ſuprà declaratos?

(In Lethargo pituitoſo qualis urina?) Annon ἐφίδρωσις, ac urinæ copioſæ illæ quidem & aqueæ prorsùs, non urinis jumentorum ſimiles, ut in lethargo pituitoſo, & præcipuè dejectiones liquidæ hanc ſententiam confirmant? dejectiones namque aqueæ bilioſæ colluviei in toto redundantis ſoboles, & ſpeciatim ſpuma iis mixta cephalicæ plenitudinis ſigni, ejuſque minimè lethalis, ut in lethargo pituitoſo, ſed ſalubris potius vim exhibuêre, imò vim cauſæ utilis obtinuêre; ſeroſâ quippe totius & capitis colluvie per alvum toto morbi decurſu abundè repurgatâ, & cum [a] ἀδιφορίᾳ dolores arthritici antè atrociſſimi ſi non conquievêre penitus, ſaltem miteſcere ut & reliqua ſymptomata faceſcere cœperunt.

(Qualis pulſus?) Nec enim moror pulſum non ita tardum, ut in lethargo à pituitâ, quia febris à ſanguine in magnis venis accenſo pulſum velocem & minimè lentum inferre nata eſt, & mollities magnitudini & celeritati conjuncta ſignum eſt ſeroſæ in venis plenitudinis.

Quid

[a] Tolerantiâ.

Quid denique convulſorii in toto corpore motus, nedum manuum tremor? (tremor namque legitimus veruſque intelligi nequit, ſed convulſivus, in quo manus potius diſſiliunt, & quodammodo convelluntur, in dormiente quippè, non vigilante:) quid convulſorii (inquam) motus ſi non à ſero fervore ſuo variè membranas cerebri impellente ac diſtendente, & in ſe contrahente, ideoque nervoſum genus ſaltem convellente & concutiente, etſi non membra ipſa ſive ob contractionis parvitatem, ſive mollitiem nervorum vetuſtate morbi jam effeminatorum? ſcilicet hos motus convulſivos ejuſdem generis credere oportet cum illis convulſivis motibus, qui primis inſultibus arthritidis ægrum adeò vehementer agitabant, *gouttes crampes* vulgò dicuntur, ut inviti membra artuſque ſuſtollerent, ni ab aſſidentibus continerentur in ſuâ ſede & conſtringerentur. *Ratum igitur eſto hujus lethargici affectus adhærentem cauſam eſſe humorem ſeroſum, eumque in capite ferveſcentem.*

Sed age in lethargo quonam affectus genere ſenſus à ſeroſo humore devinciuntur? equidem ex *communi Medicorum ſententiâ omnem lethargum ad compreſſionem ventriculorum cerebri potiùs quàm ad obſtructionem non temerè poſſe referri & debere crediderim, cujus opinionis quanquam nulla ratio quod ſciam à Medicis exponitur, ut pleraque alia paſſim gratis ſumuntur, hæc tamen mea quidem ſententia demonſtrativa eſſe videtur.* Etenim ſic philoſophari licet, quoniam in lethargo ſopiti quidem ſunt ſenſus at non omninò (nam ab objecto ſaltem vehemente excitantur,) ſpiritus ſanè non penitùs abeſſe, nec omninò iis denegari commeatum ultro citróque in ſenſoria, ſed tamen impediri graviter neceſſe: quia ergo ſpiritus quotieſcumque inculpati affatim è corde influunt in cerebrum, atque in hoc nihil occurrit iiſdem vehementer alterandis ſive extinguendis, aut ad motum tardioribus reddendis idoneum; & præterea inſtrumenta ſunt libera ſeu viæ, uſu poſtulante, id eſt præſentibus objectis non ſolùm vehementibus ſed etiam moderatis, atque anima ſui compos eſt, nec aliò diſtracta neceſſariò accurrunt

Communis Medicorum de Lethargi genere ſententia, nullis rationibus confirmata, ab Autore vera eſſe demonſtratur.

runt ſuamque naviter navant operam; nulla porrò hic indicia ſpirituum laborantium penuriâ, aut alicujus in cerebro latentis toto genere ſpiritibus infeſti; & verò objecta non deſunt, lux v. g. ſermo domeſticorum, & id genus, atque anima ſui juris eſt, reſtat profectò impeditum eſſe ſpirituum commeatum ob aliquod inſtrumentorum vitium.

(Motus ſpirituum termini qui? ſpatium intermedium quod?)

Quia autem motus ſpirituum termini quidem ſunt vaſa & ventriculi, ſpatium autem intermedium ſunt pori ſubſtantiæ cerebri, itaque poros & ventriculos patere neceſſe eſt, & omninò eſſe vacuos, ut ſpiritus per illos liberè trajici & commodè in his excipi poſſint; patent autem ambo beneficio alternantium cerebrî motuum dilatationis ſcilicet & conſtrictionis, (quorum motuum principia ſunt membranæ) & ſi modò fortè nihil aliundè in eoſdem præter naturam influere & prævertere ſpirituum remeatum incipiat, impedimentum ſanè influxus ſpirituum repetendum vel ab imbecillitate membranarum, vel ab aliquo anguſtiam ventriculis poriſve inferente: illa autem membranarum cerebri imbecillitas vel eſt illis eſſentialis, vel fit ratione mobilis improportionati, illud verò contingit nimiùm atque diutiùs humectatis præter naturam & emollitis, hoc autem quoties acceſſu materiæ gravis cerebrum ſe ipſo fit gravius, ut non liberè dilatari conſtringique à membranis contractis in ſe aut explicatis poſſit.

Anguſtiæ ventriculor. cerebri triplex cauſa.

Anguſtiam porrò ventriculi pariterque pori patiuntur ab alio influente, vel *quia comprimuntur*, vel *quia conſtringuntur*, vel *quia implentur*, *obſtruunturve*.

Spiritûs in cerebro denſati cauſa.

Denique ſpiritus vehementiâ frigoris alicujus corporis in cerebro actu frigidi poſſunt ſi non extingui, certè denſari, & ad motum pigriores reddi.

Atqui haud dubium eſt pluribus ex hiſce modis ſeroſum humorem poſſe moram & impedimentum ſpiritibus adferre è vaſis in ventriculos per poros confluentibus, & ex iis in ſenſoria commeantibus, aut viciſſim ex iis in ſinus refluentibus, ſi fortè conſtrictionem à frigore excipias, quod actu in capite tantùm vigere nequit, ut conſtringere poſſit: nam & ſerum membranas plus ſatis emollire poteſt,

&

& ſenſim exundans è vaſis magnâ vi irruere vel in poros, vel in ventriculos, & illo modo vel aggravare corpus cerebri, atque ad motum dilatationis ineptum reddere, vel diſtendendo implendove poros ventriculos comprimere ipſos, hoc verò modo eoſdem obſtruere: quia namque ſerum calidum eſt admodùm, imò fervet, ſpiritus fortè nec omninò extinguere, nec tardiores reddere poteſt; nam ut lumen ſolis & ignis ejus aſſecla cætera trajicit elementa, ita & ſpiritus ſtagnantem in corpore aquam modò limpidam ſinceramque fortaſsè pervadere poteſt.

Ut ut ſit autem quoniam lethargus propoſitus ſpontè ſolvitur perfectè & inſenſibiliter licet non niſi lapſu temporis, minimè autem cum ſenſibili excretione per meatus naturales; neque commutatur porrò cum paralyſi, quæ ſolutionis ſpecies familiares ſunt morbis ab obſtructione ventriculorum pendentibus, ſiquidem ventriculi patent in meatus oris, atque narium, & in quartum in ſpinali medullâ inſculptum, conjicere eſt profectò: *lethargum fieri madefactis cerebri membranis, ejuſque corpore prægnante multo ſeroſo humore, itaque ventriculis potiùs compreſſis quàm verè obſtructis:* quia denique ſenſus non omninò ſunt obruti, *eam certè compreſſionem ſive gravitatem corporis cerebri mediocrem eſſe, non ſummam ut fortè in apoplexiâ fateri oportet.*

Ex perfectâ ſolutione concluditur, Lethargum hunc à ſeroſo humore ortum habere, ventriculis cerebri mediocriter compreſſis.

Jam verò quoniam in propoſito caſu cerebrum multò inundat ſero, eoque ferveſcente, quid mirum membranis à ſero tumente inæqualiter & amplioris ſpatii indigo diſtans nervoſum genus ſibi appenſum contrahere, itaque univerſum corpus convulſivis motibus quati & percelli, quanquam obſcuris, quippe cum mediocris fervor non niſi mediocrem tumorem, & diſtentionem inferre ſit natus, & verò momentaneis ac brevibus, bullis utpotè in ſero fugacibus & ſtatim in auras evaneſcentibus, ſed repetentibus tamen, ebullitione ſcilicet alias ſeroſi humoris particulas invadente.

In propoſito caſu convulſivorum motuum cauſa.

Etenim convulſorios hujuſmodi membranarum cerebri motus veræ convulſionis ſpecies vi morbi, hoc eſt, reple-

 tione

tione fieri, non autem motu naturæ irritatæ & excutere quid moleſtum, verbi gratia, vapores ſive ichores bilioſos ſero immixtos conantis, haud dubium eſſe poteſt conſideranti, ſive ſeri ingenium lene miniméque acre, ſive exacerbationem horum motuum vigentem ſoporis duntaxat tempore non vigiliarum: nam ſopore alto animam detinente, quî poteſt tactus membranarum irritari, & ſi irritatur, cur excuſſo ſomno & jam animâ vigilante ii motus conquieſcunt, & non potiùs urgent ſollicitántque animam tum ſuæ ſpontis?

Cur dicti motus ægro ſopito duntaxat, minimè vigilanti acciderint?

Quod ſi quis cauſam quærat, cur ſopito duntaxat ægro convulſivi hi motus bellum indicunt, vigilanti inducias indulgent, non obſcura certè ratio hæc reddi poteſt: ſcilicet per ſpontaneum ſpirituum, caloriſque influentis introrsùm recurſum in ſomni principio fieri ſolitum ſerum non ſolum in vaſis magnis novum concipere fervorem poteſt, & ferveſcens ſimitu in caput ferri, ſed in capite ipſo quoque pariter ebullire & intumeſcere, itaque membranas impetere & pulſare poteſt; cum autem humor hic ferretur è cerebro in membranas externas quippè, haud mirum ſi convulſiones hujuſmodi fuerint innoxiæ, quales α *Hippocrates deſcribit in frigido & humido ſtatu aëris contigiſſe.*

Ratio proponitur.

Har. convulſionum natura.

Atque hæc de naturâ affectuum ad ſenſum motumque attinentium, ſenſum ſcilicet imminutum, ſed motum depravatum, qui lethargi periodici nomine exprimi poſſunt & debent. Quoniam autem hujuſmodi affectus à Medicis neglectus fuit, & pro utili potiùs ſive ægro ſive aſſidentibus ſemper habitus, illi quidem quod per eum acerbitatem dolorum arthriticorum minimè perſentiſceret, his autem quòd gravibus ægri querelis ac clamoribus minimè ut antè aures eorum obtunderentur, itaque nulla remedia corrigendis iis ſymptomatis præſcripta, non eſt ſanè quòd quis à nobis eorum curationem exſpectet, ſed ſuſtineat dilatam in Cap. de Arthritide, ubi eorum particularis providentia à nobis habebitur unà cum complicatorum affectuum curâ.

(Medicor. error.)

Curatio ſymptomatum differtur.

α Lib. 1. Epid. Sect. 2. Aph. 26.

C A-

CAPUT VII.

DE EPILEPSIA, CONSILIUM,

Quo Symptomata hyſterica quidem vulgò dicta ad Epilepſiam referuntur: Epilepſia autem ipſa capiti idiopathica eſſe demonſtratur, non per ſympathiam uteri, aut viſcerum; ejuſque porrò cauſa continens detegitur, ſeroſa ſcilicet colluvies fervore quodam concepto impetens violenterque diſtendens principia nervorum præſertimque ſpinalis medullæ & ſexti ſeptimique parium: denique methodica curandæ ejus ratio aperitur.

Inquiſituro mihi in cauſas principiaque variorum juxtà, atque gravium affectuum præter naturam, quibus valetudo *Nobiliſſimæ Virginis* miſerè adflicta fuit hactenùs, & adeò pertinaciter interturbata, ut vix mediam vitæ partem ſalubriter & jucundè transegerit, ratio ſuadet, ſeu potius jubet, v. c. ut nativâ ejus temperie antè omnia declarâta, ſymptomatum affectuumque præter naturam, quorum inveſtiganda principia, variam indolem, conditiones occaſioneſque & quæcumque alia ad naturam eorum latentem detegendam pertinere videbuntur fideliter recenſeam, quantum (ut eſt in veteri formulâ) ſciam poteroque: quòd ſanè eò attentiùs facere æquum eſt, quia eo nos illa huc conſilio vocavit, ut Vir Clariſſimus C. P. cujus fidei & ſingulari prudentiæ pro ſpectatâ ſatis ſuperque in illo ingenii judiciique facultate ſuam credidit valetudinem, ex nobis accuratam intelligeret & acciperet hiſtoriam multiplicium eorum affectuum, quorum ſævitiæ antè annos viginti quatuor, & deinceps poſtea ſpectatores ſæpius fuimus.

Ad hujus affectus hiſtoriam præfamen.

Ægræ nativa temperies eruitur, tam ex iis, quæ in eâ ſecundum naturam;

Principiò igitur, ut quæ de idioſyncraſiâ ſeu nativâ temperie *Illuſtriſſimæ Dominæ ægrotantis* definiri certò poſſunt, uno verbo concludam, ejus certè ad calorem & ſiccitatem vergentis propenſionis clariſſima habeo argumenta, hinc mentis altitudinem, heroicam magnanimitatem, & ſingularem prudentiam conſtantiamque in omni vitâ, & præſertim in arduo illo & angelico vitæ, cui ſe ſpontè adſtrinxit, inſtituto ſuſcipiendo perſequendoque virilem; illinc habitum corporis gracilem quidem, ſed procerum altumque & cum vaſorum amplitudine conjunctum, nigroque diſtinctum capillamento, in eo denique ſanguinem æſtuoſum rutilum ſcilicet & atreſcentem, plurimoque ſemper ſero perfuſum.

Quam quæ præt. nat. ſe habent.

Quod ſi ad hæc memoriâ repetere placet varias febres, palpitationem cordis, tinnitus aurium, pulſationes temporum, & hypochondrii ſiniſtri, atque hæmorrhoidum fluxum, qui affectus & præcipuè hæmorrhoides ſpontè & à levi cauſâ exorti valetudinem ejus identidem de bono ſtatu dejecerunt, haud temerè certè temperiem in eâ cordis, & ſplenis præſertim, capitiſque è mediocri evidenter ad calidam ſiccam deflectere licet affirmare, ut prætermittam præcipuos eos affectus, de quibus conſilium nobis ineundum, de quorum quippè naturâ & ſpecie cum nondum conſtet, fruſtrà temeréque à nobis indicia temperaturæ incognitæ peti poſſent; neque verò otio veſtro abuti me æquum eſt in ſigillatim demonſtrando, ut ea quæ raptim percurri, verè indicent & arguant deſignatam à nobis temperiem à naturâ ad calorem & ſiccitatem vergentem, cum expreſſiora ejus ſigna nulla alia ex conſenſu omnium Medicorum dari poſſint: etſi porrò talem agnoſcere eſt vernaculam illi temperiem in ſolidis ſcilicet membris, tamen humiditate aqueâ ſcatuiſſe vaſa, & præſertim capitis inſinuarunt fluxiones modò in dentes, modò in pectus crebris ex intervallis decumbentes.

Horum affectuum hiſtoria in V. capita dividitur.

Ergo, ut ad hiſtoriam affectuum præter naturam, quorum præcavendorum inpoſterum ergô huc convenimus, veniam, ne quid ad eorundem principiorum cauſarumque laten-

latentium notitiam poſſit deſiderari, *ea quinque capitibus mihi diſtinguenda videtur*, quot è rebus ſignorum fontes erui poſſunt, *natura ſcilicet ſeu ſpecies cujuſque diſertè exprimenda, tum indoles ſeu proprietates ſingulares, deinde occaſiones, nec non ſolutionis modus, denique earum rerum genera annotanda, quæ adjumento fuêre aut nocumento:* hæc namque ſingula penſitatè conſiderata facilè partem affectam ſive malorum originem unà cum conjunctâ cauſâ & materiali fomite demonſtrabunt.

OBS. XXIV. *Quod igitur ad ſpeciem naturamque affectuum ſpectat, ea varia & diverſa ſymptomata, quorum ſymdrome majorem ne admirationem an terrorem Medicis etiam in praxi valdè exercitatis injicerent incertum erat, univerſa, ſi benè memini, cùm ad ſenſum ablatum, tùm ad motum animalem, ſed depravatum omninò pertinebant. Viſus namque imprimis abolitus evidenter in paroxyſmo: imò auditus, ſi quidem nullis vociferationibus ſeu clamoribus excitabatur, nullius eorum quibus aures diverberatæ fuerant, meminerat excitata: hieram vel theriacam palato illitum minimè ſapiebat, fœtidis naribus admotis non niſi acutis admodùm & vix ac ne vix commovebatur, ut non tàm olfactum quàm tactum evigilare tùm probabile eſſet, niſi potius credibile ſit diſcuſſâ ab his materiâ ſenſus devinciente, omnes ſimul tùm evigilare: nam nec vellicationibus, duriſve corporis frictionibus, aut digitorum compreſſionibus, torturis, aut ejuſmodi lancinata ſenſus vix ullum ſignum edebat.* I. Caput. explicat varia ſymptomata, conſiſtentia partim in ablatione ſenſus tam externi,

Senſum autem internum ſimiliter ablatum fuiſſe in ſopore illo alto liquidò conſtat: certè hoc unum animadverſione dignum eſt etiam quòd à paroxyſmo liberatæ mens ſui juris ſuæque ſpontis erat. quam interni:

Jam motus animalis mirè perverſus non ſolùm in externis membris, ſed in internis membris omnibus: oculi inconniventes, & ita inverſi, ut niſi album conſpicere eſſet: brachia cruraque contracta adeò, & concuſſa brevibus ex intervallis, ut illa in quiete continere, aut diſtenta per vim explicare facilè non eſſet, ἄπνοια adjungebatur iis certè intercepta reſpiratio & ſuſpirioſa, nec non ἀναυδία, imò ἀφωνία niſi quòd in partim in motus animalis depravatione.

 pri-

primâ impreſſionis invaſione quiritabatur, & in voces querulas imò cachinnos veluti quoſdam effundebatur. Quid plura? cor violenter concuti & ad ſternum allidi, ventriculus & inteſtina vibrari, uterus denique vario divelli motu perſentiebatur; micabant tamen arteriæ etſi cum crebritate, & nullo ordine.

II. Eorundem conditiones.

Quod ſi conditiones horum ſymptomatum repetamus, cùm alternis urgerent inæqualis illa membrorum concuſſio, & eorundem rigor ſeu diſtentio, hic certè rigor longè vehementior, diuturnior, pertinaciorque quam conquaſſatio illa ſemper fuit, ut affectus catalepſin ſive tetanum ſapere videretur quàm convulſivum motum, qui niſi à principio paroxyſmi vix urgebat, cum rigor aliquando vel etiam horam integram perduraret, nec niſi admotis diſcutientibus exolveretur & laxaretur, ita denique pertinax fuit horum affectuum recurſus & periodicatio, ut annum ferè integrum vix reſpiraverit Nobiliſſima ægra ab his affectibus: & vehementia ſymptomatum tanta, quæ ſpectantes in ſtuporem traheret: nam frangi poſſe potiùs quàm aperiri manus vola, aut diduci phalanges digitorum à valente quamvis homine facilius videbatur: quæ tamen violentia ſenſim quidem remiſit ab exacto primo anno, non tamen prorſus quievit, ſed ſæpè ſæpiùs eadem recurrerunt ſymptomata toto vitæ tempore in hunc uſque diem 25. circiter Ianu. anni 1616.

III. Occaſiones repetitionum cujuſque paroxyſmi.

Mirum autem dictu quam à levi occaſione externâ (quod tertiò conſiderandum recepimus) recrudeſceret paroyſmus tametſi fugax & ſæpè brevis: nam à quâvis animi ſubitâ perturbatione ſive terrore ex conſpectu, verbi gratiâ, araneæ, aut muris ſtrepitu, ſive repentinâ lætitiâ ex conſpectu, vel auditu rei ridiculæ, aut jucundæ, ſive meditatione acri, ſeriâve animi contentione exinopinatò tum acerbationem capiebat, pariterque à quocumque capitis corporiſve motu & agitatione, quam vel temeraria lecti ſuccuſſatio, aut lecticæ jactatio à mulo vectore fortè impingente ad lapidem & titubante, vel capitis obtuſio a ſtrepitu per cubiculum ambulantium, à ſonitu campanarum inferret, recurrebant ſymptomata: quid quòd primo illo ægritudinis anno quo decubuit nunquam cibum aſſumpſit,

ſumpſit, certè nunquam vinum guſtavit vel longè à paſtu, quin novus inſultaret paroxyſmus? quod licet dictu incredibile, verum tamen eſſe ex animo teſtor.

Atqui quod ad modum invaſionis & ſolutionis ſpectat, cùm deſubitò & ex improviſo nihil tale metuenti aut cogitanti ſymptomata ingruerent, impreſſioque morbi in temporis puncto indiviſibili facta ſeſe proderet, & ab eo deſubitò liberaretur inſperatóque ad ſe rediret, uno verbo viciſſim brevibus ex intervallis & inordinatis repeterent ſymptomata & conquieſcerent prorsùs: tum verò illud affirmare poſſum nunquam paroxyſmum & rigorem illum ſolutum, ſenſuſque reſtitutos, quin eodem tempore vel ſcreatu multo aquam ſpumoſam, vel etiam vomitu ſed longè majorem ejuſdem copiam reddidiſſet. Memini ſanè cùm ſub finem triſtis illius anni ſæpiùs aquam lentam ad plures libras profuſiſſimè & non ſemel ſive ſpontè, ſive arte vomitione rejeciſſet, tum deinceps, ut & reliquo toto vitæ tempore ſæva illa atrociaque ſymptomata longè leviora & remiſſiora facta. IV. Modum invaſionis & ſolutionis.

Poſtremò quæ levamen præſidia afferebant, ea ferè aut manifeſtè aquam è capite eliciebant, uti hiera, theriaca, aut mithridatium palato illita, & ſternutatoria naribus admota, vel ſenſibiliter diſcutiebant, ut ruta, origanum, & præſertim fœtida valdè odorata: contrà autem quæcumque caput replerent ut ſuaves & benigni odores, ea affectum irritarent. Atque his præmiſſis de ſpecie ſymptomatum, de conditionibus eorum, de cauſis ſive occaſionibus externis, de invaſionis & ſolutionis modo, denique de juvantibus & lædentibus: tempeſtivum eſt jam in principia ſeu cauſas tot malorum inquirere. V. Præſidia, quæ levamen, Quæ nocumentum attulère.

Principiò ergo quoniam ſenſus quidem externi omnes manifeſtè ſunt aboliti in hyſtericis, ut antè inſinuatum, idemque de internis judicandum eſt, ſiquidem mulier hyſterica excitata ſomnium nunquam ullum enarravit, ſed altus ſopor urget ſemper; nullus porro affectus præter naturam in ſenſoriis externis ſe prodit, certè ſenſorium commune, ſive principium ſenſuum omnium in his affectibus lædi neceſſe eſt. Eſt autem in phyſicis demonſtratum ſenſorii Reſolutio Capitis I. In his affectibus ſenſus communis læditur.

Hujus organum. ſorii communis organum immediatum eſſe ſpiritum animalem in ventriculis cerebri reſidem, & ex illis ultrò citróque confluxilem in ſenſoria externa, è quibus ſpecies ſenſiles extrinſecus hauſtas ſpiritus ſimùl deferunt animæ ſentienti judicandas componendaſque, ſedenti ſcilicet in illis ventriculis tanquam tribunali quodam regio; itaque in alto illo ſopore ſenſuum & veluti juſtitio indicto neceſſe ſanè eſt ſpiritus unáque animam è cerebri ſinu quaſi de ſolio dejectos aliò ſeceſſiſſe. Quia porrò anima non libenter hunc ſeceſſum ſibi paravit, ſed alienæ violentiæ volens nolens ceſſit, aut potius ſpiritus animalis è ventriculis cerebri diſceſſit, veroſimile eſt profectò ab alieno corpore potentiore & per vim & injuriam invadente deſubitò (nam hic ex inopino & nihil tale cogitanti ingruit ſopor) ſedes ſpirituum animalium animæque ſentientis occupatas eſſe.

Animæ Sedes. Ea quî unâ cum Spirituibus de loco dejicitur.

Vel ab alieno corpore potentiore,

Quis igitur novus hic ſucceſſit ſedibus hoſpes? eum certè mobili quidem ingenio, ſed tamen viribus ſuperiorem ſpiritibus dejectis aut aditu intercluſis eſſe oportet. Ex quo quoniam humores & vapores in humano corpore fluxilitate ac tenuitate quidem vernaculâ deſubitò per meatus cerebri ultrò citróque ferri & moveri poſſunt, ſuâ autem mole ac craſſitie facilè ſpiritus aliò detrudere ac compellere, vel etiam ſuffocare imò qualitate infeſtâ extinguere & diſſipare, & omninò perniciem inferre, colligere eſt certè in alto illo ſopore cerebri ventriculos meatuſque omnes ad ſenſoria externa pervios & permeabiles ab humore, aut vapore aliquo deſubitò irruente in hyſtericis obſideri.

aut ab humore, aut vapore deſubitò irruente.

Jam quod ad depravatum motum attinet, in primis notare eſt illum utplurimùm quidem ſimùl cum ſopore, aut paulò antè invadere, ſed non tamen neceſſariò, nam viſæ mihi ſæpè mulieres hyſtericæ in quibus ſenſus priùs abolerentur, quàm motus in toto depravaretur.

Motus depravatus, utplur. ſimul cum ſopore, aut paulò ante invadit;

OBS. XXV. *Generoſa matrona uxor Illuſt. Baronis de Chaſteaubrehan ex familiâ de Naſſau inſtante hyſtericâ paſſione, unam horam ante convulſivos totius motus vociferabatur, ſibi caliginem quandam ob oculos obverſari, eorumque uſum ſuſtuliſſe.*

OBS.

OBS. XXVI. *Nobilis monialis Franciſca de Houſſe antequam ſuffocatio hyſterica premeret unum & alterum diem, auditum ſibi ſenſim præripi querebatur, tum ſuccedere ἀφωνίαν, & mox oculorum cæcitatem, tandem difficultatem ſpirandi & convelli toto corpore ac ſine pulſu eſſe:* quam ſeriem *α Hippocrati* annotatam his verbis; *viſus obſcuratio cum animi deliquio inſtantem convulſionem ſignificant, & acuta vox & lugubris, & oculorum obſcuratio convulſionem accerſunt,* in ſucceſſivâ lentâque horum ſymptomatum incurſione non ſemel obſervavi in multis & in *Nobile Virgine* cùm domi meæ diverſari inclementia hyemis coëgiſſet illam. *Hoc autem me abſente ei aquis plumberianis utenti contigit, ut feretro includeretur pro mortuâ habita, & niſi ſpontè excitata eſſet interea dum exſpectatur Generoſi parentis voluntas ſuper præſumpto cadavere adhuc jacente in ædibus, actum prorſus fuiſſet de ejus vitâ, ab inſciis telluri mandato vivo adhuc corpore.*

Quoniam itaque ſimul cum ſenſu univerſo ablato motus animalis in toto corpore pervertitur & derepentè, certe vel nervoſum genus toto in corpore vel ſaltem principium ejus affectum eſſe malè eſt neceſſe, non eſt autem probabile in corpore paulò antè ſano & firmo, validoque à naturâ nervoſum genus toto corpore revera per ſe lædi à cauſâ internâ; atque ex aliâ parte externa cauſa nulla noxia circumſtat; ex anatomiæ porrò fide nervi in toto corpore tanquam funiculi quidam continui ſunt cerebro, & ita continui ut cerebri membranis tanquam principio nervorum præter naturam contractis concuſſiſque aut rigidis factis neceſsè ſit τὰ πεφυκότα, hoc eſt nervoſum genus appenſum ſive totum, ſive magnâ ex parte contrahi pariter concutique aut rigeſcere, ut ex analogiâ rerum externarum evidenter conſtare poteſt; & verò ea contractio nervorum fit verſus caput, hoc eſt verſus principium nervorum, efficitur profectò in hyſtericis reliquum à capite cor-

Genus nervoſum hic malè affectum eſt.

Nervorum conformatio.

Quî & ad quem locum contrahuntur?

α Coac. præn. Aph. 226. Ὀμμάτων ἀμαύρωσις ἅμα ἀψυχίῃ σπασμῶδες συνῆκως. Coac. Aph. 257. Ἡ ὀξυφωνίη κλαυθμώδης, καὶ ὀμμάτων ἀμαύρωσις, σπασμῶδες.

Quid inde Hyſtericis accidat? corpus convelli ſive concuti, aut rigere diſtendique violenter, non quia ipſum cauſâ morbificâ obſeſſum ex ſe laceſſitur, ſed quia principium nervorum, hoc eſt meninges capitis, quarum propagines ſunt nervi omnes, quatiuntur, aut rigent.

Quanquam enim nervi omnes ſibi ſunt continui, particulatim tamen ſinguli eam vim minimè habent, ut & reliquos, aut ipſummet principium nervorum in conſenſum trahere ſemper valeant, etſi fortè vicinos & contiguos poſſunt: iis quippè non eſt innata tanta durities ad id neceſſaria, ſed potiùs mediocritas quædam, per quam vicini cedunt trahique ſe patiuntur, ſed ea tractio minimè univerſum genus poteſt percellere, niſi ſit oppidò vehemens. Nam experientiâ teſte multa in corpore membra arbitrario agitata motu, nec aliter quàm per nervos à cerebro derivatos, non tamen reliquas trahunt in hunc conſenſum partes, vel etiam convulſa aut reſoluta, ſed ſæpe videre eſt crus, verbi gratia, immodicâ plenitudine contrahi, reliquo crure, cæteriſque partibus ſuperioribus incolumitatem retinentibus. *Quoniam igitur in hyſtericâ ſuffocatione totum convellitur & rigeſcit corpus, principium ſanè nervorum patiatur neceſſè eſt.*

Concluditur principium nervorum hic pati.

Mechanica corporis in hoc affectu ſtatus deſcriptio.

Ageſis motus ille depravatus principii nervorum nervoſique generis ſive conquaſſatio principium ferè paroxyſmo dare ſolita eſt vel motus naturæ irritatæ membranarum cerebri ſeſe concutientium & inordinatè moventium, ut moleſtum ac triſte corpus, ſive adlambens ſolùm, ſive altiùs ſibi infixum excutiant & à ſe amoliantur, reſpondens ſcilicet proportione ventriculi ſingultui, vel eſt ſpontanea quædam contractio ſeu breviatio longitudinis corporis, quæ neceſſariò ſequitur latitudinis ejuſdem augmentum & extenſionem ab implente aliquo corpore factam, eamque mixtis omnibus corporibus laxis & tractilibus ſeu ductilibus à naturâ familiarem, quales ſunt membranæ, corrigiæ, lora, vel funiculi ſeu cordæ ex inteſtinis fibroſiſque animalium partibus concinnatæ, quas experientia edocet madefactas aquâ, aut aëre uvido turgidas tantundem in

ſeſe

ſeſe contrahi ſpontè, & de longitudine deperdere, quantum alienus humor occultos poros ſubiens ac replens addidit augmentum latitudini. Utra autem cauſa ſit ex ſtatu ſeu rigore conſequente judicare eſt, ſiquidem & motum & ſtatum unius ejuſdemque cauſæ effectum neceſsè eſt eſſe: atqui rigor ſeu inflexibilitas conſequens motum eſt duntaxat effectus violentæ diſtentionis à cauſà implente, non motus naturæ irritatæ, ut ex ſe evidens. *Quamobrem concludere eſt depravatum omnem in hyſtericis motum animalem ſive membrorum contractionem ſæpius repetitam, ſive conſtantem rigorem inferri omninò à cauſà, ſive corpore alieno ſuâ plenitudine replente nervorum principium, ejuſque latitudinem ſeu cavitatem diſtendente*; hoc eſt dum cerebrum quodammodò corrugatur, ſeſeque ipſo brevius efficitur, ſecum trahere omnia adnata, appendicem ſcilicet nervoſum genus, itaque fieri totius corporis convulſionem non proportionatam materiæ, quoniam non omnes partes juſtam & proportionatam ſuæ convulſionis cauſam intrà ſe continent, ſed ex eventu convelluntur. Itaque veroſimile eſt mihi ſtatim atque principium nervorum ab opplente corpore diſtendi contrahique incipit, ſurſum trahi quoque appenſum nervoſum genus ob deceſſionem longitudinis, quæ ſequitur neceſſariò acceſſionem latitudinis & altitudinis, & ita rigidum corpus manere convulſumque: ſed cauſâ magis magiſque implente ſive quia copioſior irruit & depluit, ſive potiùs quia quæ jam decubuerat ebulliens de novo & deſpumans, atque contineri loco minùs quàm antè potens magis magiſque diſtendit latitudinem, inde longitudine imminutâ per vices trahuntur membra antè rigida & quaſi concuti videntur in hyſtericis mulieribus.

Concluditur dicti motus cauſa eſſe plenitudo, nervorum principium replens ejuſque cavitatem diſtendens.

Hinc convulſio totius non proportionata materiæ:

Utramque autem ſive conquaſſationem identidem factam, ſive rigorem conſtantem diſtentionis à cauſâ implente illatæ duntaxat effectum eſſe ex eo confirmatur, quòd ſenſus tactus in hoc affectu prorſus deperiit, ut antè eſt inſinuatum: nam cum ſenſus prorſus ſint ſepulti, naturam non eſt probabile irritatam contractionem eam membrorum & concuſſionem moliri, ut excutiat noxium aliquid & moleſtum.

Naturam ad pravam qualitatem excutien-

damn irritatam, concuſſionem membrorum minime moliri,

ſtum. Etenim ſi movens ad movendum niſi ab appetitu vel ſalutare proſequendi, vel noxium fugiendi impellitur; appetitus autem prævio alterutrius ſenſu ducitur excitaturque, quî fieri poteſt, ut ſenſu omninò in Epilepſiâ ſæpè primâ impreſſione ſaltem in medio paroxyſmo ablato facultas movens intemperanter inordinatéque moveat membrum, ut excutiat quid moleſtum cujus ſenſus nullus præcedit?

Demonſtrant: 1. Excretiones omnis generis. (Excipitur ſudoris)

Certè id abſurdiſſimum eſſe vel ex eo intelligere eſt quod per ſomnum excretiones omnis generis à naturali etiam facultate, nedum ab animali perfici ſolitæ ſiſtuntur, ut experimento conſtat, ſi ſudorem excipias, hic namque ſuccedit non tam à facultate aliquâ animæ, quàm rarefactione & attenuatione materiæ motuque ejus extrorſum facto, ſcilicet à calore naturali ſeparante heterogenea per poros cutis ejuſdem vi caloris tum patentes.

2. Convulſio in hyſtericis ſæpe diu permanens.

Quid quod convulſio in hyſtericis ſæpè permanens eſt plures horas nec ullis interrupta motibus reciprocantibus ſive in toto ſive in parte ut in gutture? ſæpe namque videre eſt urgente ſuffocatione contractos muſculos laryngis diu manere rigidos (tumor ſane colli conſpicuus ſatis id arguit) & tamen nullis concuti reciprocantibus motibus.

3. Epilepſia, ſive in Tetanum, ſive in Apoplexiam, facilis lapſus. Conquaſſatio membrorum in Epilepſiâ ſequitur diſtentionem: Hujus duplex cauſa; Et reſolutio.

Et ſanè comprobat hanc propoſitionem facilis lapſus epilepſiæ ſive in tetanum, *ut obſervavi in honeſto cive Pontano Guerino*, ſive in apoplexiam, *ut in pluribus obſervavi*, qui certè affectus plenitudinis materiæ, non pravæ alicujus qualitatis ſunt effectus. Itaque illa in epilepſiâ conquaſſatio vibratioque membrorum identidem ex intervallis quaſi rigorem interrumpens ſequitur diſtentionem ex intervallis factam eamque majorem ſive propter novum materiæ influxum, ſive potiùs propter ebullitionem novam: quo ſanè ea tam diu cum rigore pertinaciter durat, quoad cauſa implens ferè attenuata ſit & in ſpumam reſoluta ſpontè diffluat, liberumque relinquat principium nervorum; quæ reſolutio ſive ſpontanea, ſive à diſcutientibus illata prout procedit, ita accelerat paroxyſmi ſolutio, hoc eſt membrorum intentorum relaxatio ſeu remiſſio, unaque quies ſeu ceſſatio vibratio-

tionum concuſſionumque ex intervallis repetentium, denique ſoporis ſolutio (certum eſt namque ab unâ eademque cauſâ & ſoporem excitari, & motum animalem perverti) ſive ea primùm externa invadat ſenſoria, impleatque meatus è ſenſorio communi patentes in eadem ſenſoria, ſive potiùs invadat primùm quartum ventriculum ſeu principium ſpinalis medullæ, quo diſtento contractoque motus tàm variè depravatur, & mox aut propagata anteriùs impleat obſtruatque anteriores ventriculos, aut certè eos ſubſidere faciat vi contractionis, itaque ſpiritus animales exprimat aut potiùs intercludat, quibus averſis ſive expreſſis ſenſum omnem impediri neceſſum eſt.

Utrùm autem per veram à propagatâ materiâ illatam obſtructionem ſenſum tollat, an per ſubſidentiam ventriculorum factam vi contractionis inſignis non facilè ſtatui poteſt: etſi probabilius dici poteſt per ſubſidentiam ut plurimum ſenſum tolli quoque, quia paſſim motus perverſio ſenſuum obolitionem præcedit, & ſenſuum læſio minor eſt, quàm depravatio motus, cum etiam quædam hyſtericæ meminerint auditorum, & vociferationibus excitentur, & viſus ipſe tolli potiùs videatur in pleriſque ob convulſionem oculorum, quàm interceptum influxum ſpirituum: & certè ſi motus depravatur in hyſtericis cauſâ principium duntaxat nervorum occupante, & in eo ſubſiſtente, non autem ſubeunte altiùs, & invadente nervorum genus univerſum, veroſimile eſt ſenſus externos aboleri communi ſenſorio læſo & ſubſidente tantùm, non autem impletis cavis nervorum animalis ſpiritus canalium; depravari namque motum cauſâ tantùm deërrante & implente ſpatia interjecta duas inter membranas ex quibus nervi nervorumque principium contexitur, vel etiam quartum duntaxat ventriculum, nec totum percurrente & dilabente in nervoſum genus conjicere eſt tum ex facili reſolutione affectus, tum ex eo quòd paralyſis aliàs relinqueretur in toto nervoſo genere. Ut ut ſit autem, parum intereſt ſenſuſne lædatur oppletis nervis per epigeneſin, ſeu propagationem materiæ à poſtico cerebro in anticum factam, an per ſubſiden-

Senſus tollitur ut plur. per ſubſidentiam ventricul. cerebri:

Niſi vis cauſæ & copia major ſit: tum nervi per epigene-

ſin opplentur.

ſidentiam ventriculorum, niſi quòd illo modo cauſæ vis copiaque major arguitur: quod ſanè non diffitemur, quoties hyſterica ſymptomata ex ſe ſunt graviſſima & valdè terrifica, ut in caſu propoſito, magna namque eſt varietas horum affectuum penes magnitudinem & gravitatem.

Differentia horum affectuum in quo conſiſtat?

Atqui cùm de origine hyſtericorum affectuum, & loco primario & per eſſentiam affecto ita liceat appoſitè ex naturâ & proprietatibus eorum philoſophari, tum verò cauſæ tot turbas moventis & cerebrum primariò affectum tot motibus concutientis conditiones evidenter eluceſcunt ex earumdem proprietatum conditione. Nam in primis quæcunque ſit materia quæ cerebrum vacuis alioqui diſtinctum ſpatiis, & ſinubus quibuſdam implet, implendoque ita diſtendit vehementer, ut ſecum trahat totum nervoſum genus, eam profectò materiam in primis molem corpoream tot ſinubus ſuperiorem, & ampliorem ac proinde longè latéque expanſam obtinere æquum eſt, ſive à naturâ, ſive beneficio novæ ebullitionis ſeu rarefactionis eam comparare poſſit; quia verò eadem cauſa deſubitò & tantas turbas movet & ſedat, præcipiti quidem illud faciendo impulſu ab alio, vel motu ſpontaneo, aut certè ſubitâ ebullitione ſeu fervore; hoc autem celeri diſceſſu ſeu effluxu, aut ſaltem facili reſolutione ſeu diſſipatione, neceſsè eſt quoque illam materiam cerebrum percellentem ad molem illam latè effuſam ingenium mobile, & tenuitatem ſingularem habere adjunctam.

Inquiſitio cauſæ materialis cavitates cerebri implentis;

Quæ mobilis atque ſingulariter tenuis evadat, neceſſum eſt.

Adhæc quoniam non ſolum in hyſtericis cerebrum miſeris afficitur modis, ſed cordis etiam afflicti clara ſunt indicia, & in primis manifeſta quædam totius corporis perfrigeratio, ſeu algor interceptum caloris vitalis influxum conſequens, quæ interceptio cùm cauſam externam & evidentem non habeat ſive ſuffocantem ſpiritus, ſive diſſipantem, ſive extinguentem, ſive diſtributionem eorum per arterias impedientem, ea certè cauſa interna ſit neceſsè eſt, quæ ſpiritibus aliquo ex his modis perniciem inferat, aut certè cordis motum tollat ſive primariò, ſive ſecundariò per ablatam reſpirationem, ſive utroque. *Quoniam igitur*

In Hyſtericis non ſolum cerebrum, verùm etiam cor miſerè affligitur:

quo

quo tempore cerebrum concutitur, eodem & perfrigeratio illa perſentitur toto corpore, veriſimile eſt profectò eandem cauſam quæ cerebrum concutit atque ſtupefacit, una quoque cor atque ſpiritus affligere, itaque eam vel ſpiritui à naturâ omninò adverſam eſſe, & deleteriam, vel certè natam aptam cor ſuo motu derepentè privare. Enarrata cauſa utrique deleteria eſt.

Age autem quænam ſit hæc materia partibus nobilibus adeò infenſa, & num in capite aut corde tam evidenter afflictis primam generationem, certè collectionem accipiat, an aliunde irruat ſedulò expendamus. [α] *Hippocrates & Galenus, aliique Medicinæ proceres*, cùm obſervaſſent in mulieribus univerſum corpus ſanguine, aliàs utiliter prolis perficiendæ educandæque gratiâ ad uterum ſolito confluere, & citra conceptum ſuperfluo, ſtatis temporibus naturæ lege & ſalubriter per eundem repurgari; ſemen pariter in prima generationis fœtus lineamenta diſtinguendum circa uterum colligi, atque utroque aut alterutro minimè in generationem fœtus impenſo, ſed retento & ſegniter cunctante circa uterum, ut in viduis aut grandioribus puellis vitam caſtam agentibus, vel etiam ſanguine refluente ac recurrente in vaſa ſeu officinas unde primum fluxit, corpus quidem gravitatem, confractionem, inquietudinem, æſtum, faſtidium cibi, aut etiam malaciam, febrem lentam, ſive albam, varios viſcerum tumores, & cachexiam atque hydropem invadere atque conficere; animum autem gravem mœſtitiam, ſocordiam, ſtuporem, milleque tædia macerare: & præterea comperiſſent eos affectus ſedari ac quieſcere ſive fluentibus liberaliter menſibus, ſive ſemine quomodocumque excreto: denique experti ſæpius eſſent ab ictu, vel morſu venenatarum ferarum, ut ſcorpionis, phalangii, & ejuſmodi, ſimiliterque ab aurâ malignâ ulcerum cujuſvis partis naturalem corporis œconomiam everti, ſibi perſuaſerunt cardialgiam, difficilem reſpirationem, vel potiùs ἄπνοιαν, tremulum cordis motum, aut potiùs nullum,

Inquiritur cauſa, & locus in quo ea primùm generatur.

I. De priore. Medicinæ procerum ſententia proponitur.

α De morbis mulierum lib. 1. pp. & in libro 2. Aph. 233. De virginum morbis. Aph. 5.

lum, ſenſuumque ſtuporem, convulſiones refrigerationeſque totius corporis, & alia ejus generis terrifica ſymptomata, quæ ſuffocatione hyſtericâ correptis mulieribus derepentè accidunt & periodicè repetunt, ab iiſdem ſuccis ſanguine ſcilicet menſtruo, & ſemine, ſed jam à morâ longiore in loculis mulieribus corruptelâ quadam fœdâque putredine ac naturæ infeſtâ conſpurcatis (pro ingenio corporum calidorum humidorum, quæ loco calido humido detenta nec difflata facilè putreſcunt) multoque halitu tetro, malignoque ſurſum effumante præcordia, & caput ferientibus ſuccreſcere. Quæ Magnorum Virorum de cauſis hyſtericorum affectuum ſententia ad hæc uſque tempora tantum obtinuit pondus, ut ab omnibus Medicorum Scholis recepta probataque uno conſenſu, nullo, quòd ſciam, repugnante, hodie adhuc vigeat floreatque.

Hanc omnibus acceptam ſententiam.

Quo ſanè mihi de tantorum Virorum auctoritate nihil pro modeſtiâ meâ detrahere meditanti, ex aliâ autem parte graviſſima tum experimenta, tum argumenta quæ aliorſum trahant conſideranti attentiùs, bonum factum videtur v.c. ſi hæc impræſentiarum veſtri judicii facio, contendoque ut vel his ſedulò & ex æquo penſitatis, & excuſſis ignoſcatis ſi ab eorum pondere depreſſus me à communi ſententiâ nonnihil dimoveri & pro libertate quæ Philoſophos decet deflectere aliorſum patior, vel potiùs ut humaniter eos ſcrupulos ex animo meo pro veſtrâ ſapientiâ eximatis.

Minimè tamen ſtare poſſe probatur:

Ergo ut à *Sanguine menſtruo* exordiar, hypotheſis certè propoſita uno verbo à nobis facilè concludi poſſe videtur ſi meminerimus toto illo anno, quo *Nobiliſſimam Virginem* primùm invaſit detinuitque hyſtericus affectus adeò pertinaciter, ut vix reſpirandi locum frequentia ſymptomatum permitteret, tamen menſes illi fluxiſſe legitimo tempore & modo, ac pro conſuetudine, & poſtea ſemper, imò præter menſes hæmorrhoides identidem & ſatis liberaliter. Quæ ſi vera ſunt, ut ſunt veriſſima, omnino ſanguis menſtruus extra culpam fuiſſe dicendus eſt, nec niſi temerè in eum regeri affectus hyſtericus poteſt: nam quod annotavit Clariſſimus Medicus valetudini ejus præfectus inſtante

1. A ſanguine menſtruo,

Et quidem α. Ab hujus fluxu legitimo tempore.

men-

menſtruo fluxu aliquando illam viſam ſibi hiſce ſymptomatis tametſi levioribus affici, moxque iiſdem fluentibus liberari, & auditum mihi nuper *idem contigiſſe multos annos cuidam paupercula Pontanæ, de quâ in hydrope uteri*, non arguitur inde neceſſariò ſanguinis in utero redundantiam his malis occaſionem dediſſe, ſed hoc unum, quo tempore ſcilicet univerſum corpus plenitudine ſanguinis laboravit, eodem etiam tempore prægnans fuiſſe caput plenitudine humoris ſive vaporis terrifica illa ſymptomata commovere ſoliti; menſes namque non fluunt niſi toto corpore à plethorâ gravato, cui caput quoque compati ſimulque opprimi eſt admodùm probabile, aut potiùs neceſſarium. (Menſes quo tempore fluant)

Verum ad theſim aſcendamus. Enimverò ſi ſanguis ſuppreſſus circa uterum tot malorum eſt fomes, quî fit ut tot ſive puellulæ nondum ſubactâ ferre jugum cervice valentes, quibus antè abſolutum juſtum corporis incrementum ſanguis exuperare non poteſt, ſive ſenes & ſexagenariæ, quibus ſanguinis penuria ob effœtam naturam adeſt potiùs quàm ubertas, vivant nihilominus hiſce ſymptomatis, experientiâ teſte, obnoxiæ? quî fit contrà ut tot mulieres (ne mares commemorem, quibus eâ copiâ ſanguinem in vaſis turgere vidimus, ut ſpontè eruperit ad libras circiter viginti, nullis tamen prægreſſis hujus generis ſymptomatis) quî fit (inquam) ut tot adultæ quibus tamen vel antè exactum vigeſimum quintum annum nondum menſes eruperant, eæque non à naturâ viragines, ſed ex earum genere, quas *Hippocrates* γυναικοπέρας vocat, & alioqui deſides ac cibis delicatis veſcentes, itaque plethorâ laborantes, multoque turgentes ſanguine, immunes tamen ab hiſce terrificis ſymptomatis vivant, ſimiliterque quæcumque febre albâ, & pulſatione arteriarum dorſo incumbentium affliguntur, quos affectus ſanguinis ex utero [α] palindrome ad viſcera medicorum omnium conſenſu parit, non experiantur tamen eadem ſymptomata?

(β. A conſtitutione tum quarundam puellularum, & vetularum, quæ hiſce ſymptomatis obnoxiæ ſunt: Tum mulierum adultarum, quæ ab iis immunes vivunt.)

Reſpondebis fortè in illis quidem ea ſoboleſcere capite primario affecto, cur non igitur & in omnibus? in his au- (Inſtantia.)

[α] Humorum illapſus. Vid. Hipp. lib. 2. prædict. Aph. 60.

tem ſanguinem eam nondum contraxiſſe cacoëthiam, quæ horrendis illis ſymptomatis excitandis par eſſe poſſit: itane verò? Sed amabò quæ corruptela major & deterior eſſe poteſt quàm illa quæ in pure ex ſanguine genito ineſt, aut quæ in lochiis ſive puerperarum purgamentis ſanguinis menſtrui tot menſes in utero commorati? quæ denique in ſanguine fœdior malignitas, quàm quæ in variolis febribuſque aliis epidemiis, & peſtilentibus toto corpore latitans? atqui tamen mulieres ſynocho ab uteri phlegmone exorto, aut febre hecticâ, quæ empyemati ejuſdem ſucceſſerit detentæ, etſi raró convulſivis quibuſdam motibus tentantur, & præſertim paulò antè mortem tamen epilepſiâ & hyſtericis affectibus prædictis minimè corripiuntur.

Solutio:

Et Autoris ſententiæ per experientiam confirmatio.

O B S. *Memini equidem ante annos viginti honeſtam mulierem Elizabetham des-Bordes uxorem panarii principalis abſceſſum in rene ſiniſtro per plures annos geſtaſſe tam immanem, ut totam abdominis capacitatem impleret coæquaretque, ſurſum viſceribus, ventriculo & inteſtinis revulſis & coarctatis in pectus ita ut nihil ferè cibi continere poſſet, & nihilominus illam ab affectibus hyſtericis affinibus immunem vixiſſe, cum tamen halitus teter ex immani abſceſſu (pendebat enim libras quatuordecim) ceu baratro longè copioſior, quàm ab utero ratione viciniæ & magnitudinis tam prodigioſæ effumare vel in caput poſſet; cui ſimiles ſanè in aliis abſceſſus renum memorare poſſum febriculâ ſolâ & vomitu aſſiduo, minimè autem ſævis illis ſymptomatis comitatos.*

Quot autem vidiſtis unà mecum empyemate thoracis obſeſſas ab iiſdem ſymptomatis tamen prorsùs liberas lento contabuiſſe fato mulieres nedum viros, in quibus multa è pulmone putrida expiratio mentem perturbans continenter caput feriret?

Quid puerperas? quid variolis febribuſque epidemiis ac peſtilentibus percuſſas recenſere opus mulieres, in quibus inſignis viget ſanguinis corruptela & malignitas toto genere naturæ humanæ adverſa? equidem etſi ex raptu ſanguinis in caput puerperas mania divexat quandoque, & peſte correptos phrenitis, ac motus quidam convulſivi appetente morte laceſſere poſſunt, tamen epilepſia, affineſque hyſtericis affe-

ctus

ctus non neceſſario eos prehendunt, ut experientia docet.

Cæterùm quanquam raptus ſanguinis ea poſſit parere mala, tamen non niſi injuriâ, ſi quid rectè ſentio, id vitium tribui utero debet, *cùm revera uterus præſtantiſſimo operi natus, generationi ſcilicet hominis, parùm prudenter, ne dicam iniquè malè vulgo audiat tanquam ſentina ſanguinis in toto excrementitii, quod officium uni pudoris ſinui à natura eſt demandatum;* nam experimento plurium anatomicorum, *& noſtro in puellæ quo tempore menſes fluerent ſtrangulatæ cadavere ſuperioribus annis hic publicè diſſecto ſolus ſinus pudoris obſervatus ſanguine perfuſus tinctuſque menſtruo, uterus autem prorsùs ſiccus, & arctè connivens;* & certè parum probabile per anguſtam admodùm uteri cavitatem continendæ fabæ Ægyptiacæ imparem à jacente & dormiente muliere tantam vim ſanguinis abſque evidente corruptelâ aut nimiæ humectationis præter naturam ſive uteri, ſive orificii ejus interni conceptui aliàs præjudicioſæ periculo præterfluere, ſi modò tum aperitur orificium, aut periculo concretionis carnoſæ & informis cujuſdam ſubſtantiæ, quæ uteri cavum implendo obſtruendoque innumera mala adferret, qualem concretionem & vidimus *in Nobilis Matronæ Anthoniæ le Feure uxoris Ampliſſimi Viri D. de Malvoiſin Magiſtri libellorum ſupplicum corpore ſimilem parenchymati hepatis cavoque uteri adnatam, à partu poſtremi liberorum & æqualem fabæ Ægyptiacæ, ſterilitatiſque reliquâ ejus vitâ cauſam*, & qualem ſanè puellæ reddunt ſæpè ſub finem menſtruæ purgationis progenitam quippè ex ſanguinis menſtrui portione aliquâ, quæ moram traxerit in externis ſinus pudoris cavitatibus, alioqui in calore, craſſitie, & ſoliditate carni hepatis prorsùs exquiſiteque vel ſenſus viſus judicio ſimilem.

γ. A præſtantiſſimo uteri officio, cui is à naturâ deſtinatus eſt. Obſervatio.

Obſervatio.

Poſtremò quanquam in uteri cavo, vaſiſque ejuſdem fateamur ſanguinem putreſcere poſſe, & fœdè corrumpi, tamen è tantulo ſanguine quantum capere poſſit uteri cavum ex anatomiâ adeò anguſtum, vaſaque ejus gracilia quoque admodùm, expirare tantam vaporis copiam, quæ univerſum nervorum principium ſuâ multitudine diſtende-

δ. Ab exiguâ ſanguinis quantitate in uteri anguſto cavo, & vaſis ejus gracilibus contentâ.

re & contorquere poſſit, videtur omninò eſſe ἀδιώϊλον. *Quæ ſanè ſi certa ſunt, ut ſunt certiſſima, quàm parùm probabilibus conjecturis communis medicorum ſententia tot tamque ſæva capitis accidentia utero non probè ſanguinem menſtruum repurganti imputantium innitatur & firmetur vobis v. c. judicandum relinquo.*

Hoc tantum addo coronidis loco hanc ſententiam Magno ª Hippoc. incertam & ἀμφίδοξον fuiſſe ita enim ſcribit: *menſtrua non ſupprimi utile. Comitiales morbi ex iis fiunt arbitror*, addit enim οἶμαι (ait perdoctus interpres) quia ἀμφίδοξον.

II. A ſeminis copiâ circa uterum collectâ:

Age verò ſi *Semen* neque ea copia circa uterum colligi poſſit, ex quâ vapor capitis diſtentioni reliquum corpus concutienti par efferri poſſit, neque viæ occurrunt per quas liberè & in inſtanti caput impetere; neque porro eum ibi putorem, ſive fœtorem contrahere, qui ſpiritibus toto corpore vitalibus certam perniciem inferre queat, *quid opinionibus improbis criminamur alteram generationis noſtræ principium?* quî enim amabò tantulum ſemen vaſtam adeo pectoris & capitis capacitatem vapore poteſt complere? aut per quas vias illuc pervenire & efferri? neque enim per nervos minimè patentes, aut certè exiguis oppidò poris hiantes, neque per venas aut arterias, quia ſubitum adeò influxum ſanguis non permitteret; neque verò per ſpiracula partium internarum cùm diaphragma ex ſe denſum interciperet; nec denique niſi ſucceſſivè hæc ſymptomata ingruerent, unamque partem poſt aliam adorirentur, cum tamen vel nictu oculi omnes ſimul & ſemel partes affligantur, & percellantur.

Quæ exigua eſt. Viæ per quas ſeminis vapor in caput pervadit, quo modo conſtitutæ?

Objectio I. deſumta, à veneficâ ſeminis qualitate.

Sed veneficâ dices potiùs qualitate ſemen quanquam paucum, quàm copiâ naturam irritat, vibratque corpus. Atqui cùm antea demonſtratum ſit depravatos eos corporis capitiſque motus non ab irritatâ naturâ qualitate ullâ moleſtâ ſed principio nervorum oppleto, diſtentoque & contracto in ſe, atque adeò ſecum reliquum nervoſum genus con-

Ejus ſolutio;

ª Coac. præn. Aph. 522. Τὰ δὲ γυναικεῖα μὴ ἐπισῆναι χρήσιμον. ἐπιληπτικὰ ἐκ τῶν τοιούτων· οἶμαι.

contrahente incurſare, quorſum ſemini deleteria malignaque imputatur qualitas quæ horum affectuum cauſa non eſt?

Et verò ſi ſeminis ſubſtantiam & hyparxin attentè conſideremus, propenſio ſanè illa in veneficam naturam ſemini imputata vanitatis ſuſpicione non carebit: quid enim eſt ſemen niſi ſanguinis miſcella utriuſque tenuis & craſſi invicem coaleſcentium ulteriore excocta elaboratione, dealbataque, & lentorem ſive perfectiorem ſubſtantiæ modum delineationi membrorum ſpermaticorum magis accommodatum adepta? à quâ miſcellâ ſi ſpiritalem ſubſtantiam ſecernamus; quæ venerii congreſſus tempore è principiis vitæ liberaliùs influens ei ſeſe penitùs immiſcet, ſubigitque & in ſpumam attollit, *unde Venus è ſpumâ maris oriunda à Poëtis perhibetur* (alio namque tempore quo anima generationem minimè intendit, haud ita affatim ſpiritus ad genitales partes incurrunt) craſſamentum certè in ſemine reliquum ſuâ naturâ terrenum aqueum ex prædominio ex [a] *Ariſtotelis* doctrinâ ut cætera corpora terræ & aquæ communia, qualia ſanguis, & lac, à calore ambientis vehementi quidem uri, à mediocri autem exſiccari magis natum eſt quàm diffluere, & in tabum putridum colliqueſcere; quod experientia confirmare videtur, ſiquidem ſemine à corpore excreto luti aut amyli inſtar concreſcente lintea imbuta brevi ſereſcunt, & lutulento craſſamento ſordent.

Et ulterior comprobatio à Seminis ſubſtantiâ & hyparxi;

Et ſanè ſemen quia in corpore retentum è naturalibus vaſis ſeu conceptaculis non exilit, ſed in iis ſervatur tanquam theſaurus naturæ alter & ſanguine ipſo carior, quî putreſcere in iis magis quàm ſanguis poſſit non facilè video, præſertim cum calidum in eo naturale ſit altiùs inſitum & vegetiùs: certum namque eſt quo quæque corpora calorem nativum ambientis calore ſuperiorem habent, eò minùs eſſe putredini obnoxia, ut conſtat ex vinis hiſpanicis, aromatis & ejuſmodi. Quod ſi à ſanguine præ ſemine ad putredinem procliviori hyſterica ſymptomata non prodire antè uberiùs eſt demonſtratum, cur ſemini eadem imputemus juſta ratio nulla prætexi poteſt.

Et ab ejus in naturalibus conceptaculis conſervatione.

[a] 4 Meteor.

Objectio II. A frigiditate ſeminis fæminini. Ejus ſolutio.

Sed eſt ſemen in fœminis ſubfrigidum objicies, ideoque calor in illo nativus ac debilis commutari facilè poteſt cum exitiali frigore ſpiritui ſcilicet in nobis vitali prorsùs adverſo infeſtoque? fateor equidem utplurimùm ſubfrigidum eſſe muliebre ſemen, quia à debiliore fœminarum calore minus coctum, cujus indicium quòd aqueum magis & fluxum, ſed & in univerſum ita eſſe id verò nego, & lentor ejus reclamat coctionis ſcilicet exquiſitæ index. Et eſto, ſemen in fœminis propius ſit lacti, quàm ſanguini, lac tamen cùm grumeſcit in mammis adeò vicinis cordi, non tamen frigus illud deleterium comparat, aut unquam caput & cor gravibus illis ſymptomatis, motibuſque depravatis laceſſere viſum eſt.

Nam quæ ex totius corporis perfrigeratione arguitur conjectura deleteriæ adverſæque humanæ naturæ in ſemine vis frigoris, ea certè nullius eſt momenti: perfrigeratio namque illa hyſtericis familiaris vel eſt catalepticum quoddam ſymptoma, ſive horripilatio levis, & momentanea rigoris corporis comes atque ægris ſenſibilis, vel eſt inſigne & evidens frigus in toto, Medico tangenti ſenſibile: Quia enim nervi revera ſunt à naturâ frigidores carnoſo genere inſtrato, retracti certè in hyſtericis & convulſis ſi ſenſus adhuc aliquis viget, ſenſum cujuſdam auræ frigidæ totum corpus prætercurrentis neceſſariò carnoſo generi inducunt, concuſſioni illius corporis ex intervallis factæ æqualem in duratione. Quia ergo convulſionem membrorum nequaquam à ſemine invehi eſt demonſtratum, perfrigerationem illam neque à ſemine imprimi eſt vero ſimile.

Frigiditas ſeminis non eſt cauſa perfrigerationis totius corporis;

Quod autem attinet ad veram corporis refrigerationem tangentibus etiam evidentem, & affectus alicujus præter naturam ſive cordis, ſive ſpirituum ſobolem, quanquam ea in hypotheſi locum non habeat, ſiquidem memini ſemper in paroxyſmo corpus Nobiliſſimæ Virginis potiùs tepuiſſe quàm alguiſſe, & vultum rubore non pallore ſuffuſum, tamen ſi theſis rationem habeamus, in univerſum demonſtrabitur infrà hunc algorem non penuriam & exhau-

Sed hanc conſequitur diſtributio

hauſtum ſpirituum à quacumque cauſâ ſequi, ſed diſtributionem eorum impeditam per ἀσφυξίαν ablatum cordis motum ſive corde primariò malè affecto, ſive ſecundariò compatiente reſpirationis inſtrumentis læſis, ſive utroque modo: nam revera pulſus reſpiratioque abolentur, aut pervertuntur in hyſtericis nervo ſexti paris occupato ab eadem cauſâ, quæ principium nervorum occupat, ut infrà latiùs explicabitur. *Ratum igitur eſto firmatumque rationibus è rei naturâ hauſtis in ſemine vim hyſtericorum affectuum efficientem ineſſe non poſſe.* ſpirituum impedita.

Quibus rationibus non inferiora argumenta experientia rerum magiſtra abundè nobis ſubminiſtrat. Enimverò experientiæ fide multæ puellulæ vivunt hyſtericis tentatæ ſymptomatis ante duodecimum, decimum quintum, nedum decimum octavum ætatis annum, quo primùm anno benè temperatæ ὡς ἐπὶ τὸ πλὺ ſemen generare incipiunt præter experientiam ratione id indicante, ſiquidem antè decimum octavum ætatis annum incrementum corporis ſubripit omnem ſeminis materiam: contrà autem adultæ raræ admodùm vivunt ſive viduæ, ſive moniales hyſtericis affectæ ſymptomatis, quanquam in iis ratione otii & vitæ delicatioris & plenioris non poteſt non ſemen ſuccreſcere, & vacuæ alioqui vivunt ab iis occaſionibus ad excretionem ejus naturam ſolicitantibus. Sententia hæc affirmatur: 1. A puellulis hyſtericis ſymptomatis ſæpè tentatis. 2. Ab adultis non conjugatis iiſdem rarius obnoxiis.

Scilicet natura docta ſine doctore ſibi ſufficiens eſt, & excrementa omnis generis utcumque ſuperflua ſi maturè digerere nequit, certè expellit non minùs in fœminis quàm in maribus, & præſertim tempore quietis, quò anima nullis diſtracta objectis externis ſolet ſuum contemplari domicilium, *(ut loquitur [α] Hippocrates)* & primâ coctione perfectâ ad partes generationi dicatas ſpontè accurrere, cui cùm ſe comitem adjungat ſpiritus vitalis, hujus calore ſemen ebulliens & turgens naturam ad ſui excretionem ſolici- 3. A naturâ, omnis generis ſuperflua excrementa;

α Lib. de inſomniis in pp. Ὁκόταν δὲ τὸ σῶμα ἡσυχάσῃ, ἡ ψυχὴ κινευμένη, καὶ ἐπεξέρπουσα τὰ μέρη τοῦ σώματος, διοικεῖ τὸν ἑαυτῆς οἶκον &c. Quum autem corpus quieſcit, anima in motu eſt, & corporis partes perreptans, domum ſuam gubernat.

& in ſpecie ſemen turgens ſponte expellente.

licitat, quam [a] ἐξονείρωσμον *Hippocrates* vocat. Nec verò hoc tantum tempore ſemen excernitur à mulieribus, ſed & interdiu quotieſcunque vaſa eo prægnantia ſunt & diſtenta, utpotè cùm fluxum ſit & aqueum, deponitur tanquam excrementum ſine ullo acrimoniæ ſenſu etiam interdiu & per ſeptenarios, aut tardiùs, idque ſpontè; quandoque enim non niſi exacto menſe uno poſtmodùm excernunt & ſæpiculè vel uno die, quod reſcire facilè eſt à grandioribus natu, ſi modò non de ſpermate ſed de fluore albo interrogentur, quanquam ſilentii in hac re amantes & pudoris plenæ: hic namque fluor albus eſt genuini ſpermatis excretio, ut ex ſubſtantiæ & exeundi modo conjectare licet.

4. A comparatione ſexus maſculini cum fæmineo.

Quanquam autem ſæpiùs retinetur vel per tres quatuorve hebdomadas, toto tamen eo tempore nullâ corporis gravitate, nullis faſtidiis, nedum horrendis, quæ falsò utero imputantur ſymptomata, laborare eas experientia teſtatur. Et certè mirari ſubit ſi natura in ſexu maſculeo tam expeditè ab hoc ſeſe liberat excremento, cur in fœmineo langueſcat prorsùs, cùm tamen illud magis ſit fluxile, & ad excretionem proclive: quàm rari enim aut potiùs nulli in noſtro ſexu qui naturæ pigritiam in hoc accuſent? teſtis citetur Sacer Ordo, qui potius nimiam naturæ in eo non amat diligentiam, ſed ægrè fert quod in feſtorum dierum pervigiliis (ut & quoties immutatur conſtitutio ſerena in pluvioſam) ἐξονείρωσμος illis ferè ſit importunus; nimirum iis incœnatis toto quietis tempore natura ſolis partibus genitalibus incubat & invigilat.

Atqui ſi retentum in maribus ſemen hyſterica dicta ſymptomata nunquam importare viſum eſt, aut fando auditum, cur in mulieribus idem tantorum malorum auctor accuſatur, cùm tamen & in genere marium ſemen ſæpè frigidius & aquoſius ſit, & contrà in genere mulierum viragines, & quæ à naturâ calidæ ad ea ſymptomata ſint propenſiores, ne quis prætexat maſculeum ſemen nativo calore eſſe muliebri ſuperius, ideoque minus ad putredinem pronum?

Poſtre-

[a] Pollutionem nocturnam: ſomnia venerea ut in lib. de genitura Aph. 4.

Poſtremò ſi ex adverſo experientia docet plures in genere mulierum hyſtericis tentatas ſymptomatis antequam nuberent, eas nihilominus poſtquam nupſêre, & ex viri contubernio prolem ſuſceperunt, eadem experiri accidentia vel in mediis virorum amplexibus, quàm juſtis de cauſis hyſtericorum affectuum accuſari ſemen poſſit, Medici viderint. 5. A mulieribus conjugatis.

At enim α *Galenus* obſervavit, objicies, hyſtericâ ſuffocatione viduam quandam ab excreto ſpermate liberatam: ſit ita ſanè, an ex particulari exemplo effatum univerſale pronunciari debet? an non judicium de ſolutionis morborum cauſâ β *Hippocratis decreto eſt difficile?* quid ſi enim potiùs ſpontè, aut aliam ob cauſam diſcuſsâ morbificâ materiâ, quæ cauſa *Galenum* latuerit, ſolutus fuit affectus? Objectio, & ejus ſolutio.

Quid ſi, quod credibile eſt, univerſim omnibus epilepticis cujuſcunque ſexus & vel in adoleſcentiâ familiaris eſt involuntaria quædam excretio ſeminis, aut affinis certè cujuſdam ſubſtantiæ (quâ ſcilicet ſecundùm naturam genitâ uretra ſolet muniri contra urinæ acrimoniam) imo etiam excretio urinæ, & fecum ſive per inſignem muſculorum abdominis tranſverſorum convulſionem, ut volunt viri docti, ſive potiùs, ut ego cenſeo, per vehementem teſtium, & vaſorum ejaculatoriorum, veſicæque, & inteſtinorum contractionem, quàm membranoſi generis convulſio inferat, nam haud dubium nervoſo generi compati membranoſum genus: convulſis itaque compreſſiſque vi morbi conceptaculis ſeminis in epilepticis, quibus caput præſertim per idiopathiam afficitur, illud eliditur atque exprimitur. *Quò ſanè quàm leve ſit argumentum quo uno communis medicorum ſententia ſemini hyſterica ſymptomata accepta referentium firmatur, quantumque deprimatur ab illis, quæ contra ſuadent è rerum naturâ experientiâque hauſta, ſi ex adverſo juſtâ rationis lance utraque expendantur nemo non videt, ut mihi non exigua ſpes affulgeat, facilè condonatum* Excretionis ſeminis in Epilepticis cauſa.

S *iri*

α In libro de loc. aff.
β In lib. Aph. Sect. 1. Aph. 1. ἡ κρίσις χαλεπή.

iri ab æquis rerum æſtimatoribus, ſi ab eorum pondere inductus caſtra Aſclepiadarum omnium transfugæ inſtar deſerere cogor, & aliorſum me rapi patior.

II. De poſteriore. Eorum ſententia, qui caput per conſenſum ſubjectorum membrorum laborare ſtatuunt, refutatur:

Sed age probabilioremne putamus eorum ſententiam, *qui caput quidem agnoſcunt tot malorum fautorem, ſed per conſenſum ſive ventriculi, ſive hypochondriorum, ſive membri cujuſcumque laborare ſtatuunt?* Atqui ſanè ſymptomatum contumacia, quæ fidem omnem ſuperare videtur, facilè convincit hos affectus affecti per idiopathiam, non per conſenſum capitis eſſe, ſi vera eſt regula quæ affectus idiopathicos ab iis qui per ſympathiam diſtinguit fugace ingenio & mobili, non pervicace & nimium conſtante.

Et aſſeritur; 1. Tanta ſymptomata ventriculum affectum excitare non poſſe.

Quòd ſi ſpeciatim quantam vim ventriculus habeat in ſuis incommodis capiti communicandis ſerio penſitamus, quanquam ejus ſtomachus nervoſus eſt admodùm, & caput vertigine perturbare poteſt, tamen ipſe vel ſingultibus lancinatus & convulſus ſive ob vulnus proprium, ſive humore aliquo maligno per febres cacoëthes appetitus, nunquam ita caput convellere, totumque nervoſum genus cernitur, ut corpus rigidum inflexibileque reddat.

Obſervatio.

Memorabili ſanè & propè monſtruoſo abſceſſu duas inter ventriculi tunicas latente non ita pridem Honeſta Mulier vidua Chavotii civis & Pharmacopœi Pontani contabuit, & tamen toto anno quo morbus eam lento fato confecit, nullus capitis ad ſocietatem mali adducti affectus præter naturam ſive motus depravatus, ſive alius index fuit.

Neque 2. ſplenis morbos & affectionem hypochondriacam caput adeò perturbare.

Jam verò tametſi ſplen aliquod *Nobiliſſ. Virgini* negotium exhibuerit antè annum quartum, & affectus hypochondriaci ſigna aliqua ſeſe prodiderint, tamen & evidens tum cauſa ejus fuit prægreſſa, ſcilicet animi ingens ægritudo ob incurſantia moroſa negotia, & uſus Hippocratici vini languori corporis levando longo tempore continuatus potuit augere intemperiem viſceris: & parum conſideratè ab hoc affectu ſeu intemperie lienis, cujus clara indicia tantummodò quartum antè annum apparuêre, affectus qui antè viginti annos exercuerit, primordia repeti poſſunt.

In

In univerſum autem quanquam fortaſsè ab hypochondrio ſiniſtro per epigeneſin caput tentari poteſt, tamen ab hac cauſâ ſenſum internum ſive mentem potiùs perverti, quàm animalem motum experientia teſtatur: quàm raros enim videas hypochondriacos aut quartanâ laborantes, & omninò ſplenicos in epilepticos evadere? imò potiùs α *Hippocratis obſervatione, quartana ſuperveniens epilepſiæ in bonis ægri rebus eſt habenda, & ſalutaris.*

Ac tametſi non ierim inficias affectum hypochondriacum degenerare in epilepticum poſſe & viciſſim, & ſæpè à me obſervatum eſt doloribus ventris ſuccedere epilepſiam, lethargum & ſimiles ſoporoſos capitis affectus per materiæ metaſtaſim, eos tamen non ſine febre prægreſſâ multò antè & ſæpè repetente, ac tandem ſymptomaticè judicatâ commutatâque cum affectibus capitis evenire experientia demonſtrat. Scilicet ſeroſa in corpore colluvies vi febris ebulliens ſponte ſuâ in caput rapta ejuſmodi turbas movet, ſed hi dolores nihil ſanè commune habent cum affectibus hypochondriacis febris expertibus, quâ etiam febre ſymptomata hyſterica minimè ſunt ſtipata.

Et certè ſi verè de his affectibus capitis impuritati viſcerum ſuccedentibus philoſophamur, inde non mediocre lumen eſt acceptura noſtra de verâ cauſâ hyſtericorum affectuum ſententia mox explicanda, ſi prius unum aut alterum quoddam dubium non levis momenti excutimus ac enucleamus. Etenim experientia docet & ab utero ſæpè depravati motus indicia primùm longè antè graviora ſymptomata exhiberi, atque adeò ſæpè citra eadem ſolum uterum moveri perperam; ſed & experimento gravium Medicorum conſtat epilepſiam fieri capite per conſenſum partium externarum, ſive manus, ſive cruris, ut non mirum eſſe debeat epileptica ſymptomata, de quibus agitur, ſuboriri

Dubiorum quorundam ſolutio:

Quorum 1. Pendet ab uteri motibus depravatis.

2. Ab epilepſiâ per conſenſum partium externarum excitatâ.

α In Lib. Aph. Sect. 5. Aph. 70. Οἱ ὑπὸ τεταρταίων ἁλισκόμενοι, ὑπὸ σπασμοῦ οὐ πάνυ τι ἁλίσκονται. ἢν δὲ ἁλίσκωνται πρότερον, εἶτα ἐπιγένηται τεταρταῖος, παύονται. Qui a quartanis corripiuntur, non ita valde a convulſionibus corripiuntur. Si vero prius corripiantur, & quartana inſuper accedat, ceſſant.

oriri capite per conſenſum uteri, ventriculi, lienis aut aliorum viſcerum laborante. *Hollerius* complura eorum narrat exempla, quibus antè totius corporis caſum & concuſſionem humeri articulus, brachium, ſura, digitus in manu unus vel plures, aut pars aliqua in pectore cum auræ veluti cujuſdam aſcendentis ſenſu convellerentur guttâ crampâ, aut tremerent.

Paroxyſmum epilepticum particularis alicujus membri convulſio præcedit:

Equidem tametſi ultro fatear appetente paroxyſmo epileptico convulſionem particularem alicujus membri ſive digiti, ſive brachii univerſalem illam, quæ capitis in ſe contractionem ſequitur, ante capere latentem quandoque ob cauſam, nedum ob vulnus feræ venenatæ, *tamen cùm illis in partibus nullum inſignis putredinis ſignum ſe prodat, & revera Hollerius non affirmet eas partes, unde primùm convulſio inciperet, vitio aliquo ſeu affectu præter naturam laboraſſe, cur ab iis partibus integris & ſanis lædi caput cenſebimus? ac non potiùs contrà capitis contractioni incipienti aliquod membrum v. g. digitum priùs compati, quàm totum in conſenſum trahi; eamque particularem contractionem ſentiri antè univerſalem ab ipſis ægris, quia ſenſus in iis nondum ſunt ſepulti?*

Cujus cauſa redditur.

Nimirum facilè evenire poteſt, ut oppletio diſtentiove partis capitis poſticæ, quæ eſt motus animalis principium, ut demonſtratum eſt à nobis in phyſicis, antevertat repletionem anteriorum cerebri ventriculorum, in quibus ſenſus communis viget: aut etiam contingere poteſt, ut diſtentio poſticæ partis capitis dum adhuc eſt in fieri, nondum perfectam ſubſidentiam ſinuum anteriorum inferat, ita ut convulſio alicujus poſſit incipere ante ſopitos omninò ſenſus: quin etiam oppletio ſeu diſtentio poſticæ partis capitis non ſemper æqualiter fit ſecundùm totam, ſed modò dextræ aut ſiniſtræ partes, modò poſticæ aut anticæ priùs diſtenduntur contrahunturque cæteris, quod ex ſe eſt evidens; quò ſanè neceſſe eſt nervos diverſis his partibus appenſos modò hos, modò illos primum convelli, ac proindè membra iis reſpondentia, quàm totum principium, atque adeò univerſum corpus. Sed & cum interea dum cerebrum magis corrugatur in unâ, quàm in alterâ parte, tum ven-

ventriculi anteriores nondum adhuc ſubſidunt, inde evenit certè convulſionem particularem priùs ſentiri, quàm & totum corpus convellatur & ſopor obruat: *atque illa ſanè particularis membri convulſio eſt prodromos affectus univerſalis jamjam inſtantis, & ferè omnibus epilepticis eſt familiaris adeò ut non deſubitò cadant, ſed paſſim præmoneantur ab aliquâ particulari convulſione, vigentibus adhuc ſenſibus, quod ex iis facilè eſt reſcire. Hippocrates* ſanè hanc doctrinam inſinuat ſatis, cùm inter ſigna prodroma jamjam inſtantis paroxyſmi epilepſiæ diſertè nominat dolorem aut convulſionem ſive humeri ſive colli ſive dorſi: [a] *Epilepticis urinæ tenues & crudæ præter conſuetudinem ſine repletione epilepſiam denunciant, cùm aliàs tum in humerum collum vel dorſum dolor aut convulſio incidat vel torpor invadat corpus, aut inſomnium turbulentum videatur.* Quàm enim appoſitè ad noſtram ſententiam: quis autem non ridebit eum qui ſuſpicabitur *Hippocratem* epilepſiæ fomitem in humero cum collo credidiſſe, cùm tamen dolor præcedat ejus obſervatione paroxyſmum epilepticum?

Hippocratis doctrina dicta aſſirmat.

Quid autem ſenſus ille veluti auræ aſcendentis à parte convulſâ versùs caput, an non eſt aſcenſus cauſæ morbificæ cerebrum invadentis concutientiſque & per ejus contractionem reliquum corpus percellentis? minimè ſanè, cùm nullus præter naturam affectus revera partem primò convulſam detineat, ut integritas actionum omnium antè & poſt paroxyſmum conſtans evidenter docet. Eſt igitur auræ frigidæ ſenſus potiùs nervi ipſius concuſſi ſenſus: nam quia minùs calidum corpus reſpectu calidioris ſenſum frigidi infert, nervus certè identidem contractus ſeu contremiſcens & concuſſus, quia minùs calidus carnoſo genere ſubjecto auræ veluti frigidæ præterlabentis ſpeciem ſenſumque eidem infert.

Senſus auræ aſcendentis à parte convulſâ non eſt aſcenſus cauſæ morbificæ.

Verùm quî fit, quæret aliquis, ut convulſionis ſenſus

 ab

a Coac. præn. Aph. 599. Ἐπιληπτικοῖς οὖρα λεπτὰ καὶ ἄπεπτα παρὰ τὸ ἔθος ἄνευ πλησμονῆς, ἐπίληψιν σημαίνει, ἄλλως τε κἢν τις ἐς ἀκρώμιον ἢ τράχηλον, ἢ μετάφρενον πόνος ἢ σπασμὸς ἐμπεπτώκῃ, ἢ νάρκη περιγίνηται τοῦ σώματος, ἢ ταραχῶδες ἐνύπνιον ἑωράκῃ.

Convulſionis ſenſus cur ab extremis corporis partibus incipiat?

ab ægro incipiat ab extremis partibus corporis ſive externis ut digitis in manu aut pede, ſive internis veſicâ ſcilicet, aut utero in mulieribus? credibile eſt profectò id evenire, quia cùm per contractionem nervi pars cui hic inſeritur, neceſſariò divellatur, non item mediæ partes, quas nervus prætercurrit, quibuſque nullâ ratione alligatur & annectitur, ſit autem pars cui inſeritur nervus, exquiſiti ſenſus atque magnitudinem nervi extremitate majorem obtineat, indeque divulſio à nervo facta in parte, cui extremitas nervi inſeritur & colligatur arctè, majorem ſui exhibeat ſenſum & cum dolore ferè conjuncta ſit, quàm aut nervi ipſius contractio aut partes mediæ quæ ferè ſunt liberæ ſolutæ, & propterea à nervo minimè contrahuntur, itaque divulſio ſive membranæ, ſive carnis à contracto nervo per vim facta non poteſt non eſſe cum ſenſu triſti, quia ſcilicet ab extremitate nervi inſerti & adhæreſcentis divellitur maximè, & ſola & aliàs acrioris eſt ſenſus, quippè quæ ſana eſt & integra.

Illuſtratio deſumpta ab aliis partibus malè affectis.

Hæc doctrina ſanè lucem eximiam capit cùm ex ſtranguriâ, quæ ſequitur lapidem in veſicâ morantem, tum ex dolore ad jugulum, qui pleuritidi aut hepatitidi comes adjungitur: cur enim lapis in veſicâ contentus longè disjunctæ glandi uretræ pruritum tantùm inurit, niſi quia lapis diſtendens collum veſicæ ductum ſeu canalem quoque contrahit violenter, unàque glandem ipſam, cujus acriori ſenſu vigentis divulſio majore cum dolore conjuncta unà ferè ſentitur, obſcuratque totius canalis contractionis ſenſum minorem? cur pariter, ſi in pleuritide ad claviculam materia morbifica non pervenit, dolor tamen in eâ perſentitur major quàm in mediis pleuræ partibus diſtentis non minùs, niſi quia membrana obſeſſa ſuâ extremitate divellit partes ſanas ſibi alligatas? ſi igitur in his caſibus partes minimè affectæ, & à materiâ morbificâ non occupatæ dolent quia contractæ, quid mirum principio nervorum contracto convelli, & affligi partes finibus nervorum connexas? atqui ſi juſtâ de cauſâ glans penis in priore caſu, jugulum in poſteriore extra culpam eſſe creditur, nec doloris harum

par-

partium ratio providentiaque habetur ulla, cur in epilepſiâ digitus alioqui ſanus capital cenſebitur, aut uterus vel veſica, quas partes alioqui ex ſe ſanas & inculpatas neceſſe eſt convulſo uno, aut aliquibus principiis ſexti paris convelli, cùm alioqui hoc par extremis ſuis propaginibus inſeratur & inſumatur in uterum & veſicam, ſcilicet ultimum locum in abdominis capacitate tenentes.

Hinc profectò evenit illo affecto haſce partes antè alias præcipuè, & omnium frequentiſſimè convelli, cujus eventus cauſæ ignorationem veroſimile eſt Medicos in hunc errorem hactenus induxiſſe, ut crederent ab uno utero in mulieribus hyſterica omnia primùm prodire; quòd ſcilicet viderent corporis concuſſionem, quæ non niſi malè affecto capite ſuboriri poteſt, ab utero frequentiſſimè incipere, & uterum aliàs ſemper cum cæteris partibus internis convelli, & verò ſæpè eum ſolum depravatè moveri, cùm tamen ratione ſitus & inſertionis extremitatis nervi ſexti paris utero, uteri convulſio convulſionem illius tanquam principii & non è contra neceſſariò conſequatur.

Cur corporis concuſſionem uteri convulſio frequentiſſime antevertat?

Præterquam quod utero etiam adeſt cauſa alia frequentiſſimæ convulſionis, inſertio ſcilicet propaginum nervorum lumbarium ſive oſſis ſacri, quibus malè affectis & contractis neceſſe eſt uterum quoque συμπάσχειν: quanquam revera hic nullam in ſe contineat pravæ affectionis cauſam.

Brevis dictorum repetitio;

Summam igitur faciamus, cùm nullus adeò ſit in Medicinâ rudis, qui ubi audierit epilepticum fortè de unius digiti minimi e. g. dolore quiritantem, extemplòque eum humi procumbentem, oraque, vultum, & brachia contorquentem viderit; ex aliâ autem parte fuerit certus neque à ſcorpione, phalangio, aliâve id genus ferâ manum demorſam, neque ullius præterea affectus præter naturam manum obſidentis ſuſpicionem habere potuerit, inducere poſſit in animum digitum ſponte convelli, & ex ſe, ejuſque vi convulſionis caput & cum capite univerſum percelli corpus; de convulſionibus autem partium internarum particularibus univerſalium convulſionum prodromis idem judi-

judicium ſit, atque de convulſionibus externorum membrorum, cui ſanæ mentis inſultus epilepticus ſingultum ventriculi, murmur, & dolorem hypochondrii propè in inſtanti conſequens videbitur ventriculo, aut ſpleni ex ſe ſanis, & nullum morbi fomitem complexis imputandus: *itaque concludamus, tot tantorumque ſymptomatum, quæ falsò hyſterica creduntur, parùm juſtis de cauſis uterum, ventriculum, aut aliud ex viſceribus accuſari, ſed eorum omnium unum caput eſſe parentem, idque non per ſympathiam, ſed per idiopathiam affectum malè & perculſum eos motus univerſum corpus concutientes ciere.*

Et concluſio, eorum ſymptomatum, quæ falsò hyſterica creduntur, ſolum caput parentem eſſe per idiopathiam.

Cauſa continens inquiritur.

At enim verò ſi penes unicum caput eſt noxa, *quæ tandem in capite materia collecta hos tumultus excitat?* ex anatomiâ conſtat in capitis vaſis duplicem contineri ſanguinem, cumque ſero plurimo perfuſum, illapſum ſcilicet ſenſim & continenter è viſceribus; præter autem mucoſum quiddam ex reliquiis coctionis cerebri nullum aliud corpus fluxum ſupereſſe: ex his autem corporibus fluxis certum eſt ex naturæ inſtituto ſanguinem quidem utrumque alibilem in nutritionem cerebri partiumque ejus continentium cedere, ſerum autem reliquum ſuo munere vehiculi ſanguinis perfunctum, è vaſorum oſcillis exiliens in ſpatia membranarum inania ſenſim diffundi longè latèque circa baſim præſertim capitis, atque hinc per meatus quoſdam in calvariâ inſculptos deërrare atque gliſcere ſive in nares, ſive in palatum & os, ſive etiam per quartum foramen occipitis demonſtratum eſt in phyſiologiâ, & non ſine fructu, ſcilicet colluendis, humectandiſque variis inſtrumentis in corpore, quæ irroratione perpetuâ egent tanquam ſiccitatis ab aſſiduis motibus iis imminentis, & alioqui uſibus futuræ præjudicioſæ remedio, ut ſunt ea, quæ guſtui, voci, reſpirationi, apprehenſioni, inceſſui ſuam navant operam: hoc porrò ſerum in capite ſæpè redundare experientia docet obſtructis ſcilicet viis depluvio & exitui ejus à naturâ dicatis, & præſertim ſanguine plus ſatis ſeroſo exiſtente in habitu corporis atrabileſcente.

Duplex in vaſis capitis continetur ſanguis, ſero plurimo perfuſus, qui in nutritionem cerebri cedit.

Serum è vaſis exiliens in ſubjectas partes gliſcit.

Idem quoque ſæpè obſtructis undique viis in capite redundat.

Non me equidem latet hujus ſeri in capite redundantiam

ex

ex communi medicorum ſenſu in vapores à naturâ aqueos referri paſſim, qui vapores ex communis alimenti officinis perpetuò ſurſum elati mox à contactu cranii frigidi, imò cerebri remiſſo, qui extulerat calore vernaculo, pariterque denſitate cranii coacti ſpontè ad nativum aquæ ingenium cùm redeant, colluviem ſeroſam tandem lapſu temporis non mediocrem in capite relinquunt & cumulant: ſed quia incertum habeo iſtine vapores calore capitis prorſus reſolvantur ac digerantur potiùs, in calidis præſertim corporibus hyſtericis affectibus magis obnoxiis, quàm reſtitent & colligantur, in eam propendeo ſententiam, ut credam, *potiùs caput plenitudine ſeroſâ ſcatere ex ſero ſanguinis vehiculo è vaſis diffluente delapſoque in cavitates capitis inanes eo, quem explicuimus modum.*

Cujus redundantiæ cauſa non ſunt vapores aquei ex inferioribus in caput ſublati.

Utrum igitur ſanguis ſive tenuis, ſive craſſus, an ſerum potiùs purum, liquidum, & aqueum prorſus in capite ſtagnans hyſtericorum ſymptomatum & omninò epilepſiæ cauſa ſtatuenda? equidem ſi hinc affectuum hyſtericorum naturam & proprietates, occaſioneſque & cætera antè inſinuata, illinc deductas ex iiſdem rebus materiæ ſeu fomitis tot malorum conditiones in memoriam revocamus, reperiemus profectò, *ſanguinem quidem ab illis longè alienum eſſe, ſerum autem contrà hiſce conditionibus a naturâ eſſe inſtructiſſimum omninò.*

Aſſeritur, continentem horum affect. cauſam eſſe illud ipſum ſerum in capite redundans.

Principio namque conſtat ſanguinem utrumque tanquam optatiſſimum & chariſſimum naturæ theſaurum quàm accuratiſſimè ſemper ſuis in vaſis tanquam loco naturali à naturâ retineri ac cuſtodiri, nec ex iis unquam ſpontè, ſed vi duntaxat exilire atque erumpere, & ſi fortè exiliat, ut cum veluti raptu quodam è toto fertur & impetit caput, itaque extruſus è vaſis principium nervorum inſilit ibique cunctatur, tum illum neceſſariò putreſcere, aut concreſcere. Atqui ſanguis alterutro ex his modis præter naturam affectus, etſi affinia ſymptomata hyſtericis inferre poteſt, tamen non eadem prorſus, ſed catalepſin potiùs, apoplexiam, aut delirium, concreſcens ſcilicet catalepſin vel apoplexiam; putreſcens autem delirium, minimè verò convul-

Nequaquam autem ſanguineus.

ſiones fugaces, quæque brevibus ex intervallis quieſcant & repetant, quippè cùm ſanguis concreſcens quidem aut etiam putreſcens ob craſſitiem innatam minimè deſubitò reſolvi, aut loco dimoveri ſit facilis, putreſcens autem ſpeciatim febrem neceſſariò invehat.

Neque lentum cerebri mucum.

Atque ob eandem ſanè craſſitiem lentus ille mucus cerebri minimè poteſt cenſeri hyſtericorum affectuum auctor, cum viſcidus craſſuſque à naturâ non poſſit varias brevibus ex intervallis ſubire mutationes, atque huc illuc moveri, multoque minus reſolvi, ſed potiùs magis magiſque incraſſari, & in lutulentum pulverem faceſſere: cùm præterea veroſimile ſit illum à ſero depluente & præter cerebrum labente dilui atque detergeri, (ratione cujus permixtionis ſerum lentorem quendam contrahit) ut non eâ unquam copiâ congeri mucus poſſit, quæ tantam diſtentionem inferat, quanta ad ſymptomata hyſterica importanda deſideratur: neque verò mucoſum excrementum ſpumeſcere, à prædominio ſcilicet terrenum non aqueum, dici poteſt; & ſi ſpumeſcens excerni conſpicitur, non ipſe eſt mucus, ſed ipſum ſerum purum putumque quo diluitur, quodque quia à naturâ, ut aqua omnis, facilè concepto calore alieno rareſcit ſpumeſcitque, itaque mucoſum excrementum non debet dici auctor hyſtericorum affectuum, cùm rarefactio illi non conveniat, ut brevem & fugacem paroxyſmum ciere dici poſſit; quicquid namque ſpumeſcit, actu & à prædominio humidum ſit neceſſe eſt.

Nova Autoris opinio ſeq. arg. Probatur. 1. Argum. ſuppeditat, ſeri inter membranarum cerebri ſpatia facilis collectio.

Quòd ſi ex adverſo reputemus, ſerum naturæ ſpontè confeſtim, atque ſuum vehiculi ſanguinis uſum expleverit, è vaſis diffluere in ſpatia membranas cerebri interjecta (nam neque in nutritionem impenditur, ſiquidem aqua non nutrit, neque ei relegendi iter ſive remeandi in vaſa unde fluxit poteſtas ab appellente continenter ſanguine conceditur) ſpatia, inquam, membranarum vacua ob alternantes cerebri motus, ibi porrò reſidens ob denſitatem cranii locique teporem non utique prorſus reſolvi, ſed cunctari, & per effluxum ejus è vaſis continuum ſenſim congeri & colligi, ſi eos præſertim offendat meatus obturatos,

ratos, qui ſenſibili ejus excretioni inſerviunt, *habemus ſanè neceſſarias & evidentes συναθροισμοῦ ſive collectionis ſeri in capite cauſas.*

Ad hæc ſi ſerum & aqua eo eſt ingenio ut redundans ubicumque facile huc illuc moveri & exundare, aut etiam 2. Motus, effervescere & ebullire ab alieno calore & ebulliens brevi & 3. Ebullitio atque effervescentia. tandem reſolvi, tenueſque in auras poſſit abire, mirabimur ſerum in capite ſuperfluum, & redundans ab his cauſis, & quomodocumque impulſum, aut etiam fervens ſpontaneo & præcipiti lapſu in obvia quæque vacua ſive principium nervorum, ſive ſextum ſeptimumque paria illi principio ferè contigua, ſive in ambo ſimul cum impetu ferri, eaque implere, & impleta diſtendere, atque per vim contrahere, contractiſque iis univerſum corpus variis concutere motibus præter naturam, imò verò ſenſus ipſos in conſenſum trahere?

Scilicet cùm ſerum invadat poſticum & infernum caput Unde apparet: ſerum poſticum & infernum caput invadente, ſenſus aboleri, modò majore, modò minore cum impetu & copiâ, hinc contractio cerebri modò in ſe tanta eſt ut etiam ad ſenſoria quatuor externa anterius ſedentia convulſio perveniat, unde eos ſenſus ſopor altus detinet; modò & primùm antè reliquos ad ſolos oculos pervenit, utpote extremos, unde ſæpè caligo vel horam unam præcurrit paroxyſmum ſervato auditu, atque etiam odoratu, guſtuque, ut probabiliter conjici poteſt ex eo quòd quædam hyſtericæ excitantur facilè odoramentis tegris atque acutis, aut admotis palato acribus, aut amaris medicamentis: in his ſcilicet caſibus non tam vehemens eſt corrugatio cerebri, ut nervos ſenſuum eorum & præſertim aurium convellat.

Jam cum idem ſerum impetat modò totum principium Idem, ſi totum principium nervorum impetat, univerſum corpus concuti: nervorum cum ſexto ſeptimoque paribus, modò ſeorſim illud vel hæc duntaxat, hinc nunc corpus univerſum concutitur, modò ſolùm partes externæ, modò internæ, & in primo caſu ſumma ſunt omnia ſymptomata unà cum totius corporis algore, ſiquidem ſexto pari ſeptimoque occupatis & diſtentis neceſſe eſt omnia interna membra, ad quæ hæc propagantur, laryngem ſcilicet, pulmonem, cor, dia-

phragma, ventriculum, inteſtinaque cum utero, & veſicâ convelli, itaque munera vitæ præcipua quodammodo ceſſare, & corpus univerſum quaſi emortuum jacere.

Si principium ſexti, ſeptimique paris; partes internas ſolas:

Nam propagine ſexti ſeptimique (hæc paria enim ab anatomicis confunduntur) quæ cordi inſeritur contractâ convulſâque neceſſe eſt cor ipſum rigeſcere, omnique motu privari, itaque ſpirituum in corpus univerſum influxum intercipi, ac proinde vitæ uſum ſubſiſtere ſive intermittere, & corpus algeſcere: variæ namque ſunt origines ſeu capita horum parium, quæ origines licet coëant, diverſis tamen quæque partibus inſeruntur. Atque hinc fit ut variæ partes afficiantur & vibrentur duntaxat cæteris integritatem ſervantibus, ſcilicet modò muſculi laryngis, modò diaphragma, modò & frequentiſſimè uterus, & veſica utpotè partes in quibus extremitates horum nervorum terminantur.

Si principium ſpinalis medullæ; partes externas, & quaſdam etiam internas.

Jam ſi principium ſpinalis medullæ à ſero cum impetu impetitur, neceſſariò certè externi artus convelluntur; ſed & quia paria extrema quatuor cervicis necnon lumbares & ſacri oſſis nervi introrſum etiam quaſdam emittunt propagines, è cervice quidem exorti in laryngem & diaphragma, lumbares autem & ſacri in uterum, atque hæ propagines coëunt, ſive potiùs colligantur cum quibuſdam propaginibus ſexti ſeptimique parium, indè cum externis partibus unà quoque convelluntur larynx, diaphragma, & uterus. Quò ſanè in pleriſque mulieribus hyſtericis hæ partes ferè ſemper & frequentiſſimè, & ſæpè ſolæ convelluntur, ſive contractis primò propriis medullæ ſpinalis propaginibus, ſive pertractis potiùs per conſenſum propaginibus ſexti paris in illas partes tendentibus, utpotè quæ propagines invicem miſcentur ac colligantur.

Horatii Eugenii opinio refutatur:

Ut longè aliena ſit ab experientiâ quotidianâ *Clariſſimi Viri Horatii Eugenii* opinio ſtatuentis in hyſtericis inanem eſſe duntaxat ſuffocationis metum, & læſæ mentis vitium eſſe potiùs, quàm verum ſtrangulationis ſenſum, non enim dubium eſt verum eſſe ejuſmodi & non imaginarium ſenſum ſuffocationis in omnibus, cùm, annota-

notatione [a] Hippocratis, *faucium dolores ſine tumore ſuffocantes, ſiquidem à capitis dolore ortum habent, convulſionem accerſant*, & in pleriſque vel collum ipſum intumeſcat judicio ſenſus aſtantium; & cùm præterea revulſio uteri ſenſim per contractionem nervorum facta, quam nos ultrò fatemur, & ſenſu globuli deprehendimus, neceſſariò per diaphragmatis compreſſionem inferat ſuffocationis ſenſum.

OBS. XXVI. *Hìc obiter non importuna erit brevis narratio affectus hyſterici, qui à ſex annis Generoſam mulierem in vico primum à Ponte lapidem habitantem & nuper circa menſis Auguſti initium imminentibus duabus procelloſis tempeſtatibus graviter ſemel & iterum afflixit, quæ certiſſimam modò dictis de ſuffocatione fidem aſtruit. Illa igitur primùm graviſſimo & trium dierum occipitis dolore premitur, tum deſubitò inſigne frigus genam utramque ſtringit, & ſimul coſtæ inferiores, atque utrumque hypochondrium ſibi divelli videntur, mox extortis aliquot ſuſpiriis fauces præcluduntur, voxque omninò ſurripitur, integris tamen auditu & viſu, certè oculi prorſus ſtant inconniventes, quanquam viſorum & auditorum non niſi levem admodùm memoriam jam ſui compos habeat: tum verò jugulum inflatur & excreſcit in eum tumorem qui menti marginibus exſtet, certè adæquet ex aſtantium relatione, & miram duritiem atque renitentiam eorum tactui præ ſe ferat: denique non ita poſt ſopor irrepit, iſque per tres duaſque horas ineluctabilis; quo poſtremo ſenſim ſolvente rigor quoque ille colli ſenſim quoque exolvi laxarique à domeſticis percipitur, & tumor omnis faceſſere, ſed tamen ſenſum ſupereſſe doloris imum pectus opprimentis ægra ipſa teſtatur. Ad hæc convulſionis juguli tumor ejuſdem index & ſuffocationis hyſtericæ comes non ſolùm fide & ex relatu aſtantium ſed ſenſu etiam ægrarum mulierum & noſtro confirmari poteſt.*

De affect. hyſt. ut & ſequ. & Autoris ſententia experientiâ confirmatur.

OBS. XXVII. *Obſervavi nuper in Illuſtri & ingenii facundiæque laude commendabili muliere, cùm ſuffocaretur imminente tempeſtate, quæ circa primam lunæ quadram Julii menſis Anni præſentis decimi ſeptimi ſupra ſexcenteſimum contigit,*

T 3

[a] Coac. præn. Aph. 262. Τὰ ἐν φάρυγγι ἰσχνῶ ἀλγήματα πνιγώδεα, ἀπὸ κεφαλῆς ἀλγηδόνος ὁρμώμενα, σπασμώδεα.

tigit, genam ſiniſtram præſertim unaque colli ſiniſtram partem manifeſtum in tumorem tolli, quem tumorem ſeſe perſentire Nobilis mulier mihi ultrò eſt confeſſa, quippè qui pertineret ad muſculum maſtoideum rigore comprehenſum. Nam ſenſus non prorſus in ea labefactantur durante paroxyſmo, & alias brevi admodum & fugace: ſed ad inſtitutum redeamus.

Sexti ſeptimique parium nervorum incolumtatis neceſſitas.

Magnum eſt profectò in nervorum ſexti ſeptimique parium incolumitate ad tuendam animantium vitam momentum, cujus ſi variam propagationem & cum nervis ſpinalibus connexionem *Galenus* (*neque enim eam ignoravit*) ſeriò & penſitatè attendiſſet, in horum primariam diſtentionem & contractionem potiùs quàm in uterum ſymptomata hyſterica dicta retuliſſet. *Hæc ſanè conſideratio omnem admirandi varietatem ſymptomatum hyſtericorum adeò prodigioſam Magnis Medicis videri ſolitam facilè occaſionem eximit, atque evidentem reddit rationem omnium, quæ alioqui ſtuporis plena in contemplatione eorundem occurrunt*, ut ſanè ſupervacanea fuiſſe videri poſſit diligentia *Magni Medici Lud. Mercat* qui tot paginas in inquiſitione varietatis horum ſymptomatum fruſtrà implevit.

Reſolutio Cap. II. Omnium ſymptomatum cum hyſtericis affectibus conjunctorum, rationem reddit. 1: Infimi ventris.

Et verò non difficilè ſit *omnium, quæ conjunguntur cum hyſtericis affectibus, ſymptomatum rationem reddere*, v. g. quia convulſis inteſtinis neceſſe eſt quodammodo comprimi exprimique flatus calidis naturis familiares, & compreſſos pro ingenio ſuo ſurſum ferri moverique, hinc murmura, ructus, dolores inteſtinorum, hinc tumor inflatioque ventriculi inſignis & ſtupenda (ut ſedulò in omnibus hyſtericis obſervavi non ſolùm tactu ſed viſu etiam: exſtare enim ſupra coſtas ventriculus totus cernitur) obſeſſi inquam ventriculi diſtentique flatuum copiâ illum impetentium, ibique ob capacitatem hærentium hyſtericis & omninò epilepticis familiaria. Sic contrà convulſo primùm ventriculo vomitus negotium faceſſit.

Age verò ſupervacaneum fuerit ſanè pluribus demonſtrare velle aut quantam vim ſerum ſive aqua coërcita ſive cum impetu impulſa, ſive fervens in diſtendendis contrahendiſque & concutiendis partibus ſuâ naturâ tractilibus, ubi

ubi eas ſimul impleverit, habeat, cum longè tenuiora corpora, ut flatus in iiſdem diſtendendis frangendiſque validam vim obtineant: aut verò quàm facilè eadem aqua huc illuc perfluere impellique poſſit; pariterque quàm facilis ſit fervorem concipere aut deponere modò æqualiter, modò inæqualiter ob permixtionem humoris mucoſi ſuperſtitis ex nutritione particulari cerebri, quem in percurrendo cerebro diluit, ſibique adjungit atque permiſcet: ab hac enim cauſâ fit, ut rigor corporis partiumque ſemel contractarum modò magis ſit pertinax & conſtans, modò inconſtans interrumpaturque motibus concuſſivis, aquâ ſcilicet fervorem de novo patiente atque diſtentionem redintegrante ſeu augente, proindèque conquaſſationem ex intervallis moliente. 2. Rigoris corporis.

Ab hac etiam cauſâ evenit ut paroxyſmus quidem exiguæ ſit durationis, ſed mox recurrat, ſiquidem aquâ ex parte vacuatâ, aut brevi reſolutâ diſtentio contractioque ceſſat, ſed impetente de novo aliâ, aut quæ deliteſcebat fervore augeſcente, repetit mox contractio donec aut affluxus ceſſet, aut reſolutio integrè fiat ejus quæ antè appulerat: hac etiam de cauſâ acceſſio ſæpè unum pluresve dies, nedum horas durat in quibuſdam, ut pro apoplecticis aut mortuis habeantur, ut annotavimus in duabus nobilibus puellis quarum antè meminimus, ſive ob inſignem ejus copiam, ſive quia calor rarefacere quidem poteſt ſed reſolvere præ imbecillitate nequit, ſive ob permixtionem majorem pituitæ ſeu muci cerebri. 3. Paroxyſmi brevis, ſæpiuſque recurrentis.

Hac denique de cauſâ quævis capitis ſive ſolius, ſive cum reliquo corpore motio agitatiove eſt repetentis paroxyſmi occaſio: capite namque commoto vehementer neceſſariò aqua ſtagnans vel etiam ebulliens in eo fluctuat quodammodo & hac illac perfluit & præſertim in nervos ſubjectos, quorum cava in viventibus patent. 4. Agitationis capitis ſive ſolius ſive unà corporis reliqui.

Hìc non inutilis credo & ingrata futura eſt *inquiſitio particularis, quonam modo ſcilicet unaquaque cauſa externa principium dare paroxyſmo, & morbum de novo exacerbare nata ſit:* non ſolùm enim ſenſibilis & manifeſta capitis jactatio, Reſolutio Cap. III. Complectens parti-

cularem inquiſitionem externarum cauſarum ſingulos paroxyſmos excitantium.

1. Inſenſibilis propè

ctatio, commotioque ſive à vectione in lecticâ, ſive à fortuitâ ſuccuſſione lecti paroxyſmo novo occaſionem noſtro experimento dare poteſt, ſed vel inſenſilis propè à ſtrepitu ſcilicet perambulantium cameram, aut ſonitu campanarum illata. Quid ita? nimirum aër externus ſive per aures, ſive per meatus potiùs ab auribus in palatum patentes illapſus irruenſque in caput cum impetu ſtagnantem in eo aquam commovet neceſſariò, atque huc illuc impellit mediante motu aëris interni, non aliter atque hic idem aër titillatione & ſcalptu tympani commotus impellenſque aërem in meatu illo deliteſcentem, & deſubitò in tracheam arteriam tuſſim excitat.

2. Animi perturbationum.

Jam animi perturbationes ſive terror, ſive lætitia ex inopinatò ſuborta evidente ſanè ex cauſâ hyſtericos cient affectus; videlicet per hæc animi pathemata membranæ cerebri nunc contrahuntur comprimunturque, nunc explicantur & dilatantur; his autem ſive contractis, ſive explicatis aquam reſidem neceſsè eſt commoveri & in cava nervorum aut ſpontè exundare, aut veluti exprimi.

3. Uſus alimenti externi, & præcipuè vini.

Cur porrò uſu alimenti externi & præcipuè vini hyſterica recrudeſcunt ſymptomata, niſi quia vaporum de novo ex alimento expirantium, eorumque calidorum accurſu & permixtione aqua in capite cunctabunda intumeſcit & fermentatur, conceptoque fervore ampliorem quæritans locum deërrare in nervos ſubjectos cogitur? vero ſimile id certè eſt, & cum vino præſertim generoſo nihil fumoſius ſit, aut calidius, haud quaquam mirum ſi hujus uſus præſentiſſima eſt occaſio mox recurrentium hyſtericorum affectuum. Quod ſi vini ingeſti & ebullientis in ventriculo id eſt ingenium, eaque propenſio, ut ipſum etiam nondum coctum in caput irruat, quod *a* *Hippocrates* obſervavit, nedum vapores ſubmittat, multò minus mirum videri debet ſi aquam perturbet illic reſidem. Equidem hoc poſſum affirmare ſeriò, ut ſuo loco fuſius dicetur à nobis, ab uſu vini ſuccedere ferè doloribus ſeu convulſionibus inteſtinorum maximam partem horum ſymptomatum, vel paralyſin.

Vino generoſo nil fumoſius, aut calidius?

Sci-

a Lib. de flatib. Aph. 31. 32. &c.

Scilicet ſanguine in febribus quibuſdam conjunctis cum ipſis doloribus ab uſu vini magis magiſque ebulliente deſpumat ſeroſa ejus portio, & cum vino rapta in caput aquam in eo reſidem offendens & ſive augeſcens ſive fermentans epilepticos, aut lethargicos affectus excitat, eoſque lethales, niſi aquâ penitus deſcendente in nervos paralyſis ſuperveniat.

Ex quorum affectuum analogiâ, quemadmodum & *ex ſolutione hyſtericorum*, ſeu potiùs degeneratione in paralyſim noſtra hæc de fomite cauſa hyſtericorum affectuum ſententia confirmationem capere poteſt: enimverò ad contemplationem & modi & cauſarum ſive invaſionis, ſive recurſuum frequentium affectuum hyſtericorum adjungere placet conſiderationem ſpeciei humoris, cujus excretionem ſequitur ſolutio affectus, & ſimul earum rerum, quarum uſus levamen aut nocumentum afferre obſervatus eſt ſemper; quæ argumenta à ſolutione affectuum petita apud [α] *Hippocratem* & *Galenum* ſunt validiſſima totius cauſæ firmamenta.

Reſolutio Cap. IV.

Ubi aſſeritur: I. Argumenta à ſolutione affect. petita, validiſſima eſſe;

Monuimus nimirum ſuprà paroxyſmum quidem unumquemque cum ſcreatu, & excretione ſpumeſcentis aquæ ſolvi ſemper; vehementiam autem morbi tum primùm remitti viſam & poſteà ſemper elanguiſſe, cùm Nobiliſſima Virgo primùm pelves integras aquæ puræ putæ è capite à medicamentis elicitæ cœpiſſet evomere, & ad libras non unas, ſed plures, & deinceps uſum familiarem habuiſſet eorundem medicamentorum. *Quî enim ſcreatu aquæ affectus ſolveretur omninò, certè vehementia remitteretur, niſi aqua ejuſdem fomes eſſet & materialis cauſa?*

Et affirmatur: paroxyſmi ſolutionem per excretionem aquæ ſpumeſcentis,

Cauſam continentem affectus indicare:

OBS. XXVIII. Memorabile ſanè eſt quod annotavi in *Generoſâ & ingenioſâ puellâ in vicino ſchol. noſtris vico ægrotante, quæ toto vere anni præſentis decimi ſeptimi circa plenilunia hiſce ſymptomatis percuſſa fuit, iiſque cùm vehementiſſimis, tum pertinacibus, quippe totam lunæ quadram durantibus: nam cùm primùm diem reciprocis motibus conquateretur, biduum poſt ἀναυδία ſoporque altus detinebat puellam, reli-*

De Affect. Hyſt. per excret. aqu. ſolut. ut & ſeq.

Idque duobus exem-

V *quum*

[α] Coac. præn. Aph. 531. 554. 555.

plis verum eſſe demonſtratur.

quum quaternarium quo videbatur aliquatenus ad ſe redire, quiritabatur tamen, nugabatur, ſive leviter delirabat, vigilabatque. Ergo primo inſultu noſtrâ obſervatione incredibile dictu eſt quanta vis aquæ ſpumoſæ pluſculos dies confertim diffluxerit ex toto ore, ut lintea ei excipiendæ & ebibendæ vix ſufficerent. Secundo autem paroxyſmo declinante aſſidua ſalivatio diu noctuque & toto ſeptenario eam exercuit, & tam copioſa ut cùm meo juſſu in ſcutellam excreaſſet aquam puram liquidamque, intra horulam unam illud vaſum impleverit ut non dubitem ſi excepta fuiſſet aqua ſedulo, quin quatuor libras vel uno die eam reddere ore ſatis conſtaret. Quò ſanè mihi veroſimile eſt perpetuum quendam ſeri in vaſis ebullientis (febris enim jam antè annum varia habebat puellam ingenuam) fuiſſe toto eo tempore ad caput raptum ſive aſcenſum, & reciprocum ejuſdem defluxum è capite in os: *tertius denique paroxyſmus pariter ſalivatione etſi non tam liberali fuit ſolutus.*

OBS. XXIX. Idem autem obſervavi in *quodam Piſtore cive Pontano in plateâ urbis habitante, nam cum ſemel & iterum vigente Junio menſe ejuſdem anni circa primam & ſecundam lunæ quadram epileptico paroxyſmo eoque gravi & ſtertoroſo, ut apoplexiam minaretur, fuiſſet comprehenſus, eo liberatus fuit per ſequentem diem largâ ſputatione aquæ puræ.*

II. Spumeſcentem aquam, non è pulmonibus, ſed ex capite provenire;

Neque enim mihi probabile videtur circa os ſpumam edi, quod cùm omnes muſculi reſpirationi inſervientes convulſi pulmoni ad dilatationem morem non gerant, hinc aër in ergaſtulo incluſus afficitur, & incaleſcit eoque calore materiam, quæ eſt in bronchiis illis, in ſpumam vertit per flatulentum ſpiritum fuliginoſum ſeſe in omnes materiæ ipſius partes æqualiter inſinuantem. In primis namque in primâ comitialis morbi & quidem ſummi invaſione contracto thorace aër omnis qui inſpiratus erat exprimitur, ſiquidem vociferationem tum ægri edunt: quia autem deinceps reſpiratio ablata eſt, certè aër incluſus in bronchiis, nullus quippe, accuſari non poteſt ut motor & cauſa ſpumæ longè poſt & ſub finem paroxyſmi apparentis: deinde in hyſterico affectu ſummo refrigeratio corporis eſt tanta, ut

aër

aër incaleſcere nequeat. Denique præter aërem & ſpiritum in ſpumâ humidum corpus craſſius aëre adſit oportet, quod in bronchia niſi è capite illabi non poteſt: *quò ſane ſpuma illa in hyſterico affectu & epilepſiâ ſummâ circa os edi ſolita, portio quædam cenſenda eſt aquæ illius ferventis in capite, cujus quidem præſentiâ excitatur paroxyſmus, & cujus excretione ſolvitur, & ſatis id confirmat ſtupenda illa aquæ vis, quæ redditur per os, quam è pulmone venire prorſus dici nefas.*

Age *Hippocrate & Galeno præmonentibus* febrem præſentiſſimum eſſe convulſionis in genere remedium hactenus Medici obſervarunt, cui præterea adjunxit *Magnus Hippocrates* urinam multùm vitream, fluxum alvi & ſomnum. α *Convulſionis remedium*, inquit ille, *eſt acuta febris ſuperveniens quæ priùs non fuit, aut ſi quidem priùs exiſtit jam invaleſcens. Juvat quoque vitrea urina multa effluens, & fluxus alvi, & ſomnus.* Quid ita? quia ſcilicet ſeri efferveſcentis in capite principioque nervorum ſenſibilis quidem vacuatio fit per urinam vitream & alvi fluxum, inſenſilis autem ejuſdem diſcuſſio per febrem & ſomnum: nam urina vitrea evadit ſanè à mucoribus lentis excrementitiiſque cerebri cum ſero ſubagitatis plurimo ac permixtis. Quanquam autem communis eſt opinio à febre, & ſomno pituitoſos, crudoſque humores concoqui & attenuari, tamen eos ab iis cauſis minimè diſcuti reſolvique penitùs, ſed incraſſari potiùs credibile eſt; quo ſanè convulſionem & epilepſiam contumaciorem potiùs reddiderint, aut in apoplexiam verterint febris & ſomnus, ſi ii affectus à pituitoſo, ſuâque naturâ terræ & aquæ participe humore ſuccreſcerent: *Quoniam itaque unus ſeroſus humor à prædictis quatuor cauſis obſervatione Hippocratis annotatis diſcuti poteſt reſolvique omninò, ab eo ſanè convulſiones foveri colligere eſt.*

Quod 1. autoritate Hippocr. & Galeni confirmatur: ab aliis ſcil. excretionibus.

Atque hoc argumentum à modo ſolutionis paroxyſmi deſumptum (quæ ſolutio excretâ aquâ ſuccedit) comprobatur

2. A tranſmutatione hyſtericor. affect. in paralyſin.

V 2

α Coac. præn. Aph. 358. Σπασμῶ λυτικὸν πυρετὸς ἐπιγενόμενος ὀξὺς μὴ πρότερον γεγονὼς ἢν δὲ εἴη πρότερον γεγονὼς παροξυνθείς. ὠφελέει δὲ καὶ οὖρα διέξοδος ὑαλοειδὴς πολλὴ καὶ ῥύσις κοιλίης, καὶ ὕπνοι.

batur quoque ſolutionis hyſtericorum affectuum eâ ſpecie; quæ fit non quidem morte ſuperveniente: *neque enim ſunt lethales convulſiones in iis quæ uterinâ ſuffocatione tenentur, ſed faciles, ut Dorcadi* obſervatione [α] *Magni Hippocratis, ſed* ſuperveniente paralyſi comitiali morbo, ſive hyſterico affectui: cujus commutationem cum paralyſi ſive ſucceſſionem paralyſis ceſſantibus hyſtericis ſymptomatis annotarunt Viri magni, & ego obſervavi in *Nobile Virgine moniali, de quâ antè: nam cum ſæpiùs ſymptomata hyſterica ab aliquot annis fuiſſet perpeſſa, bis jam in paralyſin incidit (dante inducias & intermittente hyſterico affectu) primum quidem brachii, & cruris ſiniſtri, deinde iterum ſolius brachii.*

Obſervatio. Sed & annotavi hoc anno *in altera ingenuâ vicinâ noſtrâ de quâ antè, quæ à ſecundo paroxyſmo tremorem brachiorum inſignem paſſa eſt, tertio tandem in paralyſin eorundem incidit.* Si itaque paralyſis fit ab aquæ ingreſſu in principium nervorum eoque non ſubſiſtente, ſed currente longiùs & ad extremum nervum delabente, priorem certè morbum, hoc eſt hyſtericum affectum, cui ceſſanti paralyſis ſucceſſit, ab ejuſdem aquæ ingreſſu ſed ſubſiſtente & principium occupante tantùm factum eſſe oportuit.

Paralyſis & Comitialis morbus quomodo differant? Nam in hoc paralyſis à comitiali diſtinguitur, quòd materialis cauſa in comitiali quidem principium nervorum tantùm occupat, ibique hæret & ſubſiſtit, ſcilicet ſive in cavo, ſive in quarto ventriculo in principio ſpinalis medullæ inſculpto, ſive in ſpatio inter duas membranas ex quibus contexitur principium ſpinalis medullæ & unuſquiſque nervus, ſive in cavis nervorum parium ſexti ſeptimique, ſed in paralyſi eadem cauſa decumbit deſcenditque ſecundum totum nervum, eumque emollit & effœminat.

Objectio. Quæret autem hîc aliquis, cur in epilepticis affectibus ſubſiſtit materiæ ingreſſio in principio nervorum, nec deſcendit ſtatim ab initio neque paralyſin ſemper inducit, cum aqua ſuâ ſponte deorſum moveri prona ſit? cui ſanè objectio-

[α] Coac. præn. Aph. 554. lib. 1. prædict. Aph. 119. Οἱ ἐν ὑστερικοῖσιν ἀπύροισι σπασμοὶ εὐχερέες οἷον καὶ Δορκάδι.

jectioni appoſitè reſponderi & ſatisfieri poteſt meo judicio, ſi dicamus aquam in capite ſtagnantem & ebullientem ſuâ naturâ ſurſum affectare potiùs quàm locum declivem, fervore autem depoſito tum demum delabi duas inter membranas, ex quibus nervi contexuntur, aut cavum eorum, niſi aut penitus reſolvatur, aut per meatus à naturâ ejuſdem excretioni dicatos, & in palatum patentes ſenſibiliter excernatur, ut plerumque fieri obſervamus, & ſolutio adveniente ſpumâ facta ſatis indicat: vana enim reſponſio eorum qui negant paralyſim ſuccedere epilepſiæ, quemadmodum apoplexiæ ſuccedit; quòd materia non ad poſteriores partes cerebri vergat ſed anteriores & in gulam, thoracem, & os, cùm convulſio illa univerſalis in epilepſia fiat principio nervorum affecto. Solutio.

Jam verò ſi naturam vireſque earum rerum ex agendorum genere, *quas ad levamentum evidens aut noxam afferre hyſtericis mulieribus præter illa quæ antè ex Hippocrate annotata ſunt experientia docet*, conſideramus, certè non aliâ ratione eas juvare quidem reperiemus, quàm quia vel aquam è capite eliciunt, illectamque purgant, aut inſenſibiliter diſcutiunt; vel ſopitos ſenſus excitant & excitatam naturam ad excuſſionem irritant, coguntque etiam invitam: alias autem nocere quia aquam fermentant, molemque ejus adaugent, vel etiam commovent. Quæ ſi vera ſunt, ut ſunt veriſſima, evidenter inde colligitur *fomitem hyſtericorum affectuum eſſe ſerum ſeu aquam: hi namque recrudeſcunt per ſeri præſentiam fervorem & commotionem, contràque ejuſdem vacuatione, vel diſcuſſione ſedantur & conquieſcunt.* Reſolutio Cap. V. Ubi ea expenduntur, quæ adjumentum aut noxam hyſtericis mulieribus adferunt.

Experientiâ teſte adverſus hyſtericam ſuffocationem præcipuè commendantur graveolentia fœtidaque naribus admota, benè autem & ſuaviter olentia admota potiùs mulierum naturalibus partibus: quid ita? quia ſcilicet illa quidem calore inſigni trahunt diſcutiuntque materiam ſeroſam, & quodammodo abſorbent, aut potiùs acrimoniâ quadam & morſu naturam pungunt, vellicant atque excitant, quæ excitata forti membranarum cerebri compreſſio- 1. Juvant, graveolentia naribus, Et ſuaviter olentia naturalibus admota.

ne excutit aqueam colluviem per obvios meatus: hæc autem quia ſuo teporc ſeu calore humido partium internarum, & imprimis uteri convulſi rigorem laxant, & ad inſtar balnei ſeu fomenti exolvunt, ſuæque naturali conſtitutioni reſtituunt. Ex adverſo autem nocent eadem benè & ſuaviter olentia ſi naribus admoveas, quia ſcilicet caput implentia ſeroſam in eo materiam commovent quidem, rarefaciunt tantùm, ſed non diſcutiunt ac reſolvunt, imo potiùs adaugent: graviter autem olentia utero admota feriunt læduntque ſenſum tactus, itaque expultricem ad ſui excuſſionem ſollicant, indeque uterum commovent & depravant ejus motum. Sternutatoria porrò, pariterque confectiones quæ palato illinuntur, aut quæ antidoti affricantur, iiſdem de cauſis ſolvunt, aut minuunt paroxyſmum, quibus graviter olentia.

2. Nocent verò utraque naribus admota: Sed utero graveolentia ſola.

Ac purgantia medicamenta, ut *agaricus*, *ſemen ebuli*, *bryonia*, imò etiam leviora, ut *hiera* magni fiunt ab omnibus medicis, & proprietate occultâ hyſtericæ ſuffocationi prodeſſe perhibentur; ſed ego potiùs qualitate ſenſibili crediderim utilia, nimirum quia ea manifeſtè ſeroſam capitis colluviem trahunt, purgantque ſive vomitu, ſive potiſſimùm per alvum.

3. Juvant quoque: purgantia,

Ruta porrò, *valeriana*, *pœonia*, *hyſſopus*, *calamentum*, *artemiſia*, & ejuſmodi pariter recenſentur paſſim inter hyſterica, quemadmodum & *pulvis ſtercoris pavonis*, *pulvis perdicis*, *cranii humani* & ejuſmodi quæ amuleta perhibentur. Sed ea quoque principatum tenent inter medicamenta quæ robur cerebro afflare, & luxuriantem ejus humiditatem ſenſim ſine ſenſu exſiccare creduntur, imò etiam ſenſibiliter evacuandi vim habent per renes ſcilicet. Denique balnea naturalia præſertim in affectionibus hyſtericis utilia habentur non aliâ certè ratione, quàm quia ſeroſam totius colluviem, unàque capitis vacuant ſenſibiliter per cutem.

Siccantia, Et cerebrum roborantia, Atque balnea naturalia.

Poſtremò epilepticos affectus à ſero caput opplente, & præcipuè poſticam ejus partem excitari partim ex anatomiâ didici.

Hæc omnia confirmat anatomia cadaverum;

OBS. XXX. *Nam diſſecto anno ſuperiore cadavere honeſti*

ſti civis Pontani, Claudii Juvenis, ut infrà luculentiùs declarabitur, poſticum caput univerſum aquâ turgens repertum, ut non ſolum principium nervorum aquæ innataret, ſed membranæ ipſæ aquâ prægnantes & imbutæ non ſecus atque papyrus aut tela aquæ diu immerſa conſpicerentur, & quamprimùm cranium ſectum, aqua ex eâ parte diffluxit plurima, quin etiam ſanguis in venis eâ parte concretus inventus à frigore ſcilicet aquæ ſtagnantis: partim idem colligere eſt ex analogiâ affinium morborum, ſcilicet catalepſeos. Narrat enim *Doctus Hollerius in occipite cujuſdam vi catochi demortui plurimum ſerum quaſi rufum repertum in cerebro poſteriore, una cum ſanguine concreto in majore venâ quæ medium caput perreptat.*

Atque hæc ſunt argumenta quæ ex naturâ ſymptomatum hyſtericorum, eorumque proprietatibus, occaſionibus, nec non ſolutionis modo excretoque humore, & juvantibus, lædentibus, denique ex analogiâ ſimilium affectuum deſumpta ex uno ſeroſo humore ebulliente & occupante, ac diſtendente ſeu præter naturam contrahente principium nervorum ſive externorum, ſive internorum eos ſuboriri poſſe demonſtrant. Quibus ſi adjungamus indicia ſeroſæ in Illuſtriſſimâ Virgine plenitudinis ejuſque cephalicæ, quæ ſanè pariter in omnibus ferè ſive hyſtericis ſive epilepticis ſeſe produnt, perevidenter certè perorata eſt cauſa, nulluſque dubitandi locus deinceps relinqui videtur.

Et analogiâ ſimilium affectuum.

Et ultimò in hoc caſu indicia ſeroſæ humiditatis in capite;

Etenim quæ certa indicia plenitudinis ſeroſæ in capite haberi poſſunt, ea ſeſe hîc offerunt univerſa. Scilicet conſtitutio in primis naturalis, in quâ ſplen & ſanguis arterioſus ad intemperiem calidam ſiccam inclinant, & in quâ ſerum toto effusè exundat corpore, & præcipuè capite, quippe quod longè numeroſioribus ex arteriis contexitur. (Nam ex anatomiâ ſerum longè uberius in arteriis reperire eſt quàm in venis) ſeroſæ namque colluviei in ejuſmodi temperaturâ redundantis indicia ſunt ſerum in maſſâ redundans plurimum, ut vel ſextuplo excedere videatur ubi reſederit ſanguinis maſſa, ut in omnibus obſervavi, & nuper in Illuſtri muliere & ingenioſâ de qua antè, & quod ex [a] *Hippocra-*

Quæ deſumuntur 1. à naturali ægræ,

[a] Paſſim in Epid.

pocratis obſervatione melancholici, id eſt atrabilioſi ſunt perpetui chremetes, id eſt ſputatores & ſudoribus copioſis diffluunt, ut ex quartanariis intelligere eſt: cui naturali in *Nobiliſſimâ Virgine* conſtitutioni, & ſeroſæ redundantiæ

Atque ipſius familiæ conſtitutione.

atteſtatur ſimilis conſtitutio in *Illuſtr. Majoribus* ejus præſertim *avis*, *patruiſque* ex ſtirpe *Valeſiâ*, nec non *Illuſtriſſimis fratribus*, quibus omnibus caput ſero abundavit plurimo ſemper, ut alvus liquidis diffluens excrementis, aſſiduæ fluxiones, aliaque ejuſmodi ſatis indicarunt.

2. A Morbis.

Quòd ſi à morbis, in quos propenſa fuit *Illuſtriſſima Virgo*, argumenta repetere placet, certè frequentes & pertinaces fluxiones modò in pectus, modò in dentes, modò & præcipuè in aures, tum verò febres ſudoribus quotidianis largiſſimiſque diffluentes, ejuſque generis alia unam profectò ſeroſam colluviem in toto & præſertim capite redundantem ſatis prædicant: fluxiones namque ejuſmodi materialem cauſam nullam aliam à ſero ſanguinis vehiculo habere cùm ſuo loco demonſtratum eſt, tum vel ſenſus ipſe viſus ſatis docet.

3. A variis ſymptomatis paroxyſmum tam antecedentibus, quàm ei ſe jungentibus.

Quid quod antè paroxyſmum tanta ſemper gravitas præobtunderet caput, ut nullum murmur, nullum ſtrepitum niſi ægerrimè ferre poſſet, an non ea capitis plenitudinem ſatis convincit? quid præterea torpor mentis, rerum omnium oblivio, pigritia totius corporis, crurum imbecillitas, faciei pallor, & dolor capitis cum rubore labiorum, conniventiaque oculorum ut vix aperiri poſſint, & ejuſmodi ſymptomata prænuncia jamjam inſtantis paroxyſmi ferè omnibus ſive epilepticis, ſive hyſtericis familiaria, *an non caput affectu idiopathico laborare oſtendunt, & pleonexiâ ſeroſâ turgeſcere? ita ſanè eſt:* quibus ſymptomatis experientia quotidianâ confirmatis addit [a] *Hippoc.* urinas tenues & crudas præter conſuetudinem, *epilepticis*, inquit, *urinæ tenues & crudæ præter conſuetudinem ſine repletione epilepſiam denunciant.* Quid denique quod lachrymæ involuntariæ, fletuſque multus paroxyſmo ſemper ſe adjungeret, *an non ſeroſam*

[a] Coac. præn. Aph. 599. Ἐπιληπτικοῖς οὖρα λεπτὰ καὶ ἄπεπτα παρὰ τὸ ἔθος ἄνευ πλησμονῆς ἐπίληψιν σημαίνει.

Jam ejuſdem capitis plenitudinem lachrymæ illæ manifeſtè arguunt?

Summam ergo tandem ineamus, concludamuſque varia illa ſævaque ſymptomata hyſterica vulgò dicta, quibus Nobiliſſima Virgo *hactenus vixit obnoxia, non à retentis in utero menſibus, corruptove circa uterum ſemine, ſive ſeminiformi ſubſtantiâ, non à viſcerum ſive ſplenis, ſive ventriculi impuritate originem traxiſſe, ſed unum fomitem habuiſſe plenitudinem ſcilicet ſeroſam in poſtico capite ſtagnantem ferventemque & principia nervorum omnium implentem ac copiâ diſtendentem & contrahentem in ſe, unaque membra omnia non ſolùm externa, ſed interna quoque convellentem, imò etiam ſenſum labefactantem: colluviem autem aquæ in capite ſtagnantis ſcaturire primò & derivari è viſceribus & præſertim liene, totoque corporis habitu ſeu rivulum quendam è fontibus variis & ſimul confluentibus, ſed in caput affluxam per varios ſinus toto cerebro inſculptos & poſtico capite terminatos huc commeare non tam fortè ob meatus externos minus liberos & patentes, quàm ob declivitatem loci; collectam denique poſtico in capite ratione caloris loci & inculcationis fervorem quendam concipere, ratione cujus duo nervorum principia ſubiens ibique ſubſiſtens ob ingenium ſuperum potiùs locum quàm inferum affectans, & ſubinde affluens uſque & uſque ſuâ tandem mole diſtendit corrugatque appendices nervoſas & muſculoſum genus, imò verò membra omnia ſive interna, ſive externa.* Summa totius conſilii, proponit ſedem cauſæ continentis: Ejuſque derivationem.

Ac cùm ſeri in capite collectio foveatur à colluvie ſeroſâ totius, certè propagatio ejus ſeu corrivatio è toto in caput vel ſenſim ſine ſenſu fieri poteſt, vel cum raptu quodam; ac ſenſim quidem duplici nomine. Scilicet vel attrahitur ſerum à parte ratione nutritionis, vel ſponte ſuâ idem movetur ad caput, ſive quia ſanguis præcipuè tenuis & aquoſus ichore bilioſo affuſus ſuperum affectat à natura locum, ſive quia ratione officii ſequitur motum ſpiritus vitalis: nam cùm ſpiritus vitalis cuique parti laboranti ſuccurrere ſoleat, unà cum ſpiritu vitali ſanguis præſertim arterioſus ad caput movetur, utpotè cujus perpetua ferè eſt actio, ac proinde ſerum ad caput Et propagationem, Quæ fit ſenſim ſine ſenſu;

abundè confluit. Jam confertim in caput idem ſerum quodammodo rapitur, à quacumque cauſâ ſanguini in vaſis fervor accidit: tum enim cùm in illo fervore tenuem ſanguinis partem ſuſtolli & deſpumare neceſsè ſit, evenit ſeroſam & bilioſam partem ſurſum rapi, & caput impetere. Quod contingere videmus in quibuſdam febribus, à quâ cauſâ affluxu ſcilicet ſeri bilioſi oppletum cerebrum tentatur epilepticis inſultibus, & delirio, ut noviſſimis annis obſervavimus in pluribus febricitantibus, quibus familiaris fuit dolor & cruciatus abdominis convulſis ſcilicet inteſtinis, veſicâ & utero ab incipiente diſtentione principii nervorum: quibus doloribus oppleto jam magis cerebro apparentes totius convulſiones, ſoporque ſunt conſequuta, & in pleriſque etiam cùm materia illa excuti non poſſet, mors tandem.

Vel confertim cum quodam raptu.

Quæ cùm ita ſint, quò colluvies in toto ſeroſa major eſt ſive ob naturalem viſcerum conſtitutionem calidam, ſive ob immoderatum aquæ potum, ſive ob ſuppreſſas purgationes ſolemnes & familiares menſtrui ſcilicet ſanguinis, hæmorrhoidum, & ejuſmodi, tum ſanè colluvies in capite ſeroſa redundet neceſsè eſt. A quâ cauſâ, ut obiter hoc dicam, non mirum eſt gravidas etiam mulieres hyſtericis affectibus ſeu epilepticis obnoxias vivere: nimirum ſanguine menſtruo non repurgato partem in eo alibilem fœtu ſibi attrahente & inſumente, ſeroſa in toto pars & proinde in capite ſuperfluat oportet. Epilepſiam autem illam quæ ex ſeroſi in ſanguinis maſſâ humoris redundantiâ ad caput tranſlatâ ſubitò quodam raptu contingit, non abſurdè meâ quidem ſententiâ idiopathicam dicere poſſumus, ſed per deuteropathiam ſive per epigeneſim, id eſt propagationem materiæ: nam revera prior affectus totius ſcilicet febris, cujus ratione fervente ſanguine ſeroſa ejus pars ſurſum rapitur, minimè conquieſcit, ſed urget magis & magis.

Quò major ſeroſa colluvies in toto eſt; Eò magis in capite redundat. Unde mulieres gravidæ iis affectibus obnoxiæ ſunt.

Hinc patet: Epilepſiam hanc idiopathicam, ſed per propagationem materiæ, eſſe.

Præſervatio. Paroxyſmo in duobus ſcopis conſiſtit.

Quibus ita conſtitutis ſpes ſanè omnis *prophylaxeos ſeu præcautionis* hujuſmodi affectuum in *emendandâ totius colluvie ſeroſâ, & à capite avertendâ, tum verò ea, quæ caput jam obſedit, vacuandâ diſſipandâque omninò conſiſtit*, quibus autem artibus utrumque obtineri poteſt? *primùm certè, hoc eſt,*

eſt, *colluvies totius* (nam fruſtrà de particulari capitis plenitudine conſilium inibitur, niſi affluxus ſeri è toto in caput ſiſtatur cohibeaturque) *colluvies igitur in toto emendabitur, ſi & redundantiæ ejus cauſarum ratio habeatur, & ſi humor collectus vacuetur & exinaniatur.*

Quorum I. ad colluviem totius emendanſam ſpectat: perficiturque.

Atqui quandoquidem extrinſecus materia ſeroſæ colluviei, hoc eſt, cum alimentis in corpus noſtrum illabitur, illapſaque ab æſtuoſis viſceribus arripitur trahiturque in vaſa magna, & præcipuè à liene in arterias, certè cauſarum redundantiæ in toto ſeri remedio erunt cùm *victus ratio ſicca*, minimum aquoſi humoris ſubminiſtrans, hoc eſt tantum, quantum elixatio alimenti externi, & diadoſis ejus per univerſum corpus poſtulant (nam liquidis certè vita prorſus carere non poteſt ob hos uſus) tum *viſcerum ac præſertim lienis reductio ad mediocrem temperaturam*, hoc eſt correctio caloris ſerum omne affatim & magis quàm par eſt elixato jam alimento externo attrahentis & exugentis: hanc enim ob cauſam unicam crediderim ſerum plurimum abundare in corporibus calidis ſiccis & æſtuoſis, cujus indicium alvus ſemper dura iis familiaris ab immoderatâ ſeri omnis è ventriculo & inteſtinis exuctione.

1. Per ſiccam victus rationem,

Et viſcerum, ac præſertim lienis intemperati attemperationem.

Ratio ergo victus futura utilis inprimis ſicca eſſe debet, & ad frigus potiùs inclinare quàm calorem. Siccam autem intelligo non quæ in alimentis qualitatem ſiccam deſideret, ut ſunt carnes ſalitæ, & terreſtris maximè generis ut bubulæ, venaticæ, & maximè legumina omnis generis, quæ non poſſunt à me probari, tum quia hæc potiſſimum in magnâ mole minimùm nutriunt, tum quia ab illis omnibus Nobiliſſima Virgo hactenus abhorruit ſemper, quam fortaſsè ob cauſam ventriculus iis edomandis par eſſe nequeat, præſertim cùm ratione otioſi vitæ inſtituti flatuoſæ ex iis neceſſariò ſuperſtites reliquiæ non poſſint facilè corrigi. Sed ſiccam victus rationem penes ſubſtantiæ modum potiſſimum intelligo, ſcilicet tum eam quæ parco potu parcoque uſu rerum liquidarum contenta ſit, tum quæ plus humidi ſolidioris & nutritii quàm aquoſi ſufficiat ſubſtituatque. Quo in genere ſunt: *carnes adultiorum animalium*,

Quid per ſiccam victus rationem intelligitur.

lium, tum verò *aves montanæ*, quæ recens natorum carnibus & avibus fluviatilibus aut paluſtribus ſemper præferendæ; quanquam autem *carnes gallinaceæ*, *vitulinæ*, *hædinæ carnibus perdicum*, *turdorum*, & *phaſianorum* ſint humidiores, tamen quia illæ viſcerum ſanguiniſque fervori compeſcendo & alvo leniendæ ſunt opportuniores, idcircò non minùs à me probantur, earumque uſus quia aſſuetus & familiaris potior habendus. Ac quanquam ſiccam victus rationem potiùs commendo per quam ſeri ſcilicet in toto ſynathriſmus imminuitur, non interdixerim tamen omninò uſum *juſculorum ſuper iis carnibus*, ſed in mediocri admodum quantitate, ut eorum beneficio tantùm alvus in officio contineri poſſit, & præſertim ſi ea alterentur vere, & æſtate quidem *boragine*, *bugloſſâ*, *endiviâ*, temperamenti viſcerum gratiâ; hyeme autem non quidem radicibus petroſelini, quod epilepticis famâ communi noxium valdè, ſed potiùs *capparibus*, *hyſſopo*, *thymo*, *majoranâ*, *ſerpillo*, quæ ſerum tempeſtatis illius injuriâ coërcitum repulſumque in vaſa per renes educant extra corpus.

Fructuum horariorum uſus aut nullus, aut paucus ſit. A fructibus porrò horariis & præſertim pomis & piris pro more vel abſtineat vel parciſſimè utatur, quia hæc ſeroſam plurimùm augent & flatuoſam colluviem: *paſſulæ & ficus* gratiſſimam vicem omnium & ſaluberrimam gerent.

Vinum in his affect. venenum. Non mediocriter autem lætor eique congratulor plurimùm vino jam facilè poſſe carere, *cùm vinum in his affectibus ſi quid aliud quaſi venenum ſit* non ſolùm quia auget ſeroſam in vaſis colluviem quippè quod eſt aquæ genus, ſed etiam quia ut antè à nobis monitum, ſanguinem tenuem & calidum, potiſſimumque aqueam ejus partem ſecum in caput rapit, & ei quod jam ſtagnabat in capite ſe immiſcet atque fervorem inducit, itaque comitialem morbum ſopitum quodammodo ſuſcitat: ejus ergo vicem erit *decoctum à Clariſſimo Medico præſcriptum*, vel vicaria eſſe poterit (gratæ enim rerum vices) præſertim vere & æſtate *ptiſana magiſtralis vulgaris*, ſed *meliſſâ*, & *tantillo hyſſopo condita*, itaque lieni capitique gratior reddita, & magis diuretica.

Non

2. Per ea remedia quæ alvum in officio ſuo retinent.

Non eſt autem neceſsè hic latiùs evagari & excurrere in ſingula momenta, in quibus privata victus ratio conſiſtit, ne quod eſt in proverbio noctuam Athenas: nam præſcripta rerum liquidarum moderatione alvus ſpero in officio retinebitur, ſi tamen ob tempeſtatis æſtum, aut in lecticâ motum diuturniorem votis alvus non reſponderit, tum certè unum & alterum cochlearia ſive *ſyrupi*, *ſive mellis roſacei laxativi*, *vel paſſulatum*, *paſſulæve præmanſæ antè paſtum*, *vel glans è butyro concreto* ſatis erunt, certè *pruna damaſcena cum ſenâ ſaccaroque leviter incocta*, *ſerum lactis*, *in quo prius flores bugloſſi*, *cichorii*, *& hyſſopus macerati fuerint;* nam generoſiora in hunc unum finem non laudarim, quia ab eorum uſu alvus magis magiſque indureſcit.

3. Quæ perturbationes animi, & quaſvis ſerias contentiones avertunt.

Supervacanea hîc foret animadverſio quantum ſit momentum in vacuitate, certè compoſitione perturbationum animi, cùm ab his experientia ſatis conſtet paroxyſmum ſuſcitari & commoveri: hoc tamen ſeriò moneo, ut curis acrioribus & meditationibus contentionis plenis atque extaticis modum ponat in poſterum, nam hæc cùm maximè excitent paroxyſmum, ut antè inſinuatum eſt, tum verò fomitem mali augent ſive raptu ſanguinis ex ſe ſeroſi ad caput unà cum ſpiritu partibus omnibus laborantibus pro ſuo more ſuccurrere ſolito, ſive averſione facultatis expultricis ab excretione redundantis in eo ſeri affluxui ejus reſpondente: quas ob cauſas experientia confirmat homines altâ mente præditos & acerrimi ingenii laude celebres comitiali morbo vixiſſe obnoxios.

4. Per exercitationem corporis.

Ergo longè ſalubrior illi corporis exercitatio quàm ſeria illa & nunquam intermittens animi contentio. Equidem cùm magnum ad corporis incolumitatem retinendam momentum ſit in ejuſdem exercitatione poſitum, verè namque ſcriptum à *Magno* [a] *Hippocrate*, *neceſſe eſſe quiſquis cibo potuque utitur* (ut omnes utuntur) *eum ægrotare*, *ſi victui convenientem non adjungat corporis exercitationem:* tum verò ad epilepſiæ præcautionem maxima ineſt opportunitas,

[a] Lib. 1. de Diæta. Aph. 5. in fine. οὐ δύναται ἐσθίων ἄνθρωπος ὑγιαίνειν, ἢν μὴ πονέῃ.

tas, per eam namque ſeroſa omnis in toto & capite colluvies, vel ſenſibiliter evacuatur ſub ſudoris formâ, vel certè atteritur ſine ſenſu, ſi præſertim pertinax eſt & quotidiana, nec non mediocris. Quo ſanè à Nobiliſſimâ virgine obnixè contendo ut nullum diem intermittat quin ſi fieri poteſt, pedes ſumma montis vicini domicilio adeat, & obambulet jejuno ſtomacho, certè præhauſto duntaxat juſculo, ſed hyberno pluvioque tempore unam horam ambulationi concitatiori loco conveniente impendat.

5. Per ea quæ circa veſtitum & cultum corporis notanda.

Neque verò ſilentio præterire debeo non negligendam veſtitus cultuſque corporis rationem, quæ maximè inſtitui debet ad raritatem texturæ ſervandam, cujus ſcilicet beneficio ſenſim ſine ſenſu colluvies ſeroſa vacuari poteſt, atque ejus collectio impediri. Ergo benè tecto corpore incedet ſemper, veſtes pelliceas è mure pontico, aut marte ſi placet, calidis quippè & levibus induta, ſed de nocte culcitris plumeis ſubtus ſuperque ſtratis indormiet præſertim hyeme: ita enim calefacto corporis habitu, poriſque ejus apertis aut ſudor erumpet, aut certè vapor omnis aqueus tenues in auras faceſſet, præſertim ſub ſecundum ſomnum. Quâ de cauſâ quieti in lecto tempus aliquod dare non erit illi religioni ſaltem verno tempore & autumnali, opportuniore ſcilicet ſudoribus movendis temporis conſtitutione tum exiſtente: quos ſudores etiam aliquatenus promovebunt, certè inſenſilem expirationem univerſi corporis frictiones, eæque longæ & quotidianæ. Speciatim autem quod ſpectat ad capitis veſtitum à pannis coccineis abſtinendum, quibus quippè aſtringendi poros cutis vis ineſt, ideòque inſalubritas: bibula potiùs charta & craſſa ſubſtituetur iis, & quotidie nova inſternetur. *Atque hæc de victus ratione pauca, ſed accuratè mordicuſque ſervata ſufficient.*

II. Scopus humorem collectum vacuare docet.

Age verò quod attinet ad *reliqua præſidia, quæ ſive medicamentis, ſive manuum operâ perfici ſolita* mederi poſſunt ſeroſæ in toto colluviei, quæ fomes eſt capiplenii ejuſdem generis, ea ſanè cùm cauſis ejus corrigendis, tum verò eidem partim atterendæ inſenſibiliter omninò accommodari de-

debent. Quoniam ergo intemperies viſcerum, lieniſque potiſſimum, & denſitas habitus corporis ſive ratione ſexus, ſive ætatis ſunt cauſæ hujus plenitudinis neceſſariæ & congenitæ (nam de non naturalibus cauſis nuper diffuſius actum eſt in victûs ratione inſtituendâ) illarum providentia ſic haberi debet, ut quoniam vix ac ne vix corrigi deinceps poſſunt, earum certè augmentum quoad fieri poteſt arceatur, quamobrem quæ viſcerum & ſanguinis æſtui temperando & relaxandæ cuti aperiendiſque ejus poris ſunt opportuna, hic meritò uſurpanda: quoniam tamen medicamenta cujuſcumque generis corpus à plenitudine liberum deſiderant, antequam in uſum veniant, certè his præmittenda eſſe ratio jubet quæ totius plenitudini medentur.

Idque cùm particulariter, e capite;

Tum univerſaliter è toto corpore.

Principiò igitur quoniam duo ſunt plenitudinis humorum univerſalis celebria magnaque & generalia remedia, *Venæ Sectio* ſcilicet, & *Purgatio*, hîc quæri poteſt venæ ſectio num conveniat nec ne? Ut autem quod ſuadet ratio brevibus concludam hàbitâ potiſſimum ratione hypotheſeos propoſitæ, tametſi venæ ſectio non valdè ſit neceſſaria Nobiliſſimæ Virgini, cùm natura ejus particularis ſit ſatis ſollicita, memorque ſui hac in parte officii, & plenitudini ſanguinis totius mederi ſit ſolita partim purgatione menſtruâ, partim fluxu hæmorrhoidali, iiſque legitimo tempore & modo fluentibus & repetentibus, tamen eam non inutilem futuram *duabus in occaſionibus* moneo: ſcilicet *quocumque tempore alterutra è purgationibus ſubſiſtente illa ſibi corpus inſuetâ quadam gravitate premi onerique eſſe perſenſerit*, præſertim ſi hæmorrhoides moleſtiam exhibeant; certum eſt namque venarum tali apertionem ſanguini deorſum nutanti, hæmorrhoidumque apertioni non mediocriter momentum afferre poſſe, & præſentiſſimum ex abundanti levamen doloris inferre quoque.

E quibus univerſalis evacuatio particulari præmittitur: & procuratur, partim venæ ſectione, partim purgatione.

V. S. habet locum, 1. ordinariis naturæ vacuationibus ſubſiſtentibus.

Altera autem occaſio ſecandæ venæ erit quotieſcumque de uſurpandis balneis calidis, quæ poſteà à nobis commendabuntur, apud ſe ſtatuerit, in quâ occaſione vena baſilica vel potiùs mediana, ut capitis plenitudini ſimul conſulatur, ſed ut ſpleni quoque, ſiniſtri brachii tundi debet:

2. Ante uſum balnei calidi, & diætæ ſudoroſicæ.

ejuſ-

ejuſdem autem generis occáſio cenſenda eſt quoties diæta ſudorifica inſtituetur. *In univerſum autem ætate, viribuſque conſentientibus, & ſuadente tempeſtate anni quà periodicè epilepticus affectus recurrit, & corpus plethorâ laborat, non poteſt non prodeſſe plurimùm venæ ſectio*, tum quia unà cum ſanguine pauco plurimum ſeri vacuatur; tum quia potiſſimum fervor ſanguinis compeſcitur, cujus vi ſeroſâ in ſanguine portio ebullit deſpumatque in caput & deſubitò hos affectus renovat.

3. In genere, in corpore plethorico.

Purgatio univerſalis perficitur.

Jam verò quod ad *Purgationem univerſalem* attinet, quanquam ſi viæ naturæ in repurgando ſero familiaris in genere ratio habeatur, purgatio per cutem aut renes, dejectioni, quæ per alvum fit, videtur præferenda, nam ex inſtituto naturæ ſerum perfunctum munere vehiculi alimenti communis & elixationis ejuſdem partim ex utroque viſcere per renes in veſicam diſtillat, & è corpore tandem excernitur, partim per cutem ſub vaporis vel madoris ſudoriſve formâ excluditur, tamen ſi naturam acquiſititiam in Illuſtriſſimâ Virgine, hoc eſt, conſuetudinem attendimus, hæc ſanè contrà purgationi quæ per ſudorem aut urinam copioſam fit, anteponenda videtur: ab ineunte namque adoleſcentiâ, quo tempore primùm ejus valetudo variis morbis obſideri cœpit, purgatio per alvum illi fuit familiaris & frequens: quam conſuetudinem tam inveteratam interrumpere nobis religioni eſſe debet. Ergo ſingulis ſaltem interluniis & potiſſimum ſtatim à peractâ menſtruâ purgatione (ſanguinis enim vacuatio quoquo modo fiat arte aut naturâ reliquorum humorum purgationem prævertere ſemper debet) ex uſu erit *Purgatio per medicamenta ſibi à longo tempore amica, ſi modò ex hydragogis eligantur, quæ purgando ſero, & aliàs in hyſtericis affectibus diuturna medicorum experientia utilia eſſe confirmavit*, qualia ſunt: *agaricus, ſemen ebuli, carthami, mechoaka;* nam à bryoniâ vulgari tanquam venenatâ abſtinendum cenſeo, licet à Quercetano commendetur. Itaque habitâ ratione conſuetudinis *pilulæ ex uſu erunt de agarico ſcilicet, de fumariâ tanquam ſpleni gratæ, & ejus generis, quæ tamen ſine croco, mirrhâ &*

1. Medicamentis vitioſos humores per alvum dejicientibus;

aut ſimplicibus variis,

& cæteris caput tentantibus componantur, quorum loco ſarcocola & pæonia vicem gerunt.

In calidis naturis mihi familiares ſunt *quæ ex pulvere diaſenæ, agarico, rheo & tantillo diagridii*, hæc enim ſerum potenter & bilem ſeri vehiculum repurgant, & minus æſtum aut ſanguinis fervorem augent, *ſi non aloë & aromatis, ſed ſuccis citoniorum, cichorii aut bugloſſi* per dies caniculares condenſatis incorporentur & immiſceantur; quibus deglutitis *juſculum refrigerans, aut ſerum lactis, aut hordeatum potiùs ſtatim vel poſt aliquot horas ſuperbibendum.* Quoniam tamen pilularum uſus in calidis viſceribus & ſiccis ob ſiccitatem metui debet, potioni aſſuefacienda eſt ſi fieri poteſt, *quæ utiliter parabitur ex infuſis agarico & rheo in ſero lactis, aut decocto refrigerante & ſplenico, in quo diſſolvatur ſyrupus roſarum ſolutivus vel de polipodio aut manna gratiæ ergo, quæ potio interdum acui poteſt tabellis diacartami, aut confectione hamech ſine diagridio tamen & coloquintide.* & compoſitis uſualibus:

Syrupi magiſtrales parari poſſunt in hunc uſum ſub unâ ex his formulis, quæ à *Mercato* appoſitè deſcriptæ ſunt. *Recipe Aquarum boraginis, cichorii, lupulorum ana uncias x. ſucci boraginis clarificati uncias viij. ſucci pomorum redolentium uncias vj. foliorum ſenæ uncias iij. florum cordialium ana unciam ſemis, radicum ſcorconeræ minutim inciſarum uncias ij. bulliant lento igne ad conſumptionem vigeſimæ partis, factâ colaturâ adde rhabarbari electi & agarici trochiſcati ana ℥. iiij. ß. & factâ leviſſimâ ebullitione iterum exprimantur, expreſſioni adde ſacchari albiſſimi quantum ſatis, ut fiat ſyrupus mediocris conſiſtentiæ cum modico cinamomo, cujus doſis unciæ duæ vel tres.* Alia formula ſit hæc. *Recipe polipodii querni uncias iiij. radicis pæoniæ, & ſeminis ejuſdem ana uncias ij. gallitrici, violarum, mercurialis ana m. j. ſummitatum cuſcutæ, pulegii, betonicæ, hyſſopi, ana m. .paſſularum exacinatarum & prunorum ana uncias ij. aniſi, ſeſeleos ana unciam ſemis, ſeminis carthami contuſi, & foliorum ſenæ ana uncias ij. florum violarum pugillos duos, bugloſſi, anthos ana pugillum j. fiat decoctio in quatuor libris hydromelitis, & unâ conſumptâ infundantur (factâ expreſſione) in libris duabus* Tum etiam magiſtralibus, ſcilicet ſyrupis,

 præ-

prædicti decocti agarici drachmæ ſex, cum ſaccharo, fiat ſyrupus.

& decoctionibus, Horum ſyruporum loco erit *decoctio veteris galli cum braſſicâ marinâ, polipodio, carthamo, paſſulis, ſenâ & pæoniâ:* vel etiam *clyſter*, cujus hæc formula. *Recipe mercurialis, bliti, artemiſiæ, cuſcutæ, meliſſæ, majoranæ ana m. ſemis, ſenæ, polipodii, carthami ana unciam ſemis, epithymi, thymi ana ʒ. v. ſeminis anethi, rutæ ana ʒ. ij. fiat decoctio, adde diaſenæ, & diacatoliconis ana unciam ſemis, oleorum chamæmelini, & anethini ana unciam unam, miſce, fiat Enema.*

vel Clyſteribus.

Hæc maximè opportuna eſt tempore hyberno:

Atqui quoniam per hyemem non ſolum redundat ſerum quia cohibetur, ſed introrſum vi ambientis quoque pellitur, inde ſeri evacuatio per alvum ab hydragogis medicamentis concitata hyberno tempore maximè eſt opportuna.

Quæret poſtremò aliquis quænam præparatio ejuſmodi purgationem prævertere poſſit, & debeat: certè quandoquidem ſerum ex ſe ſatis fluidum eſt & ſequax, atque lentoris omnis omninò expers, nullâ haud dubiè præparatione egere videtur, præſertim cum Nobiliſſima Virgo ſicca ſobriaque ſit admodùm, tamen quoniam ob curarum animi, & meditationum aſſiduitatem ventriculus & inteſtina non poſſunt non ſcatere pituitâ acidâ, *inutilis non fuerit hydromelitis per aliquot dies uſus, in quo meliſſa, hyſſopus vel abſynthium incoxerint; atque hoc hydromel præcedet mel, aut ſyrupus roſaceus ſolutivus ad uncias tres circiter præhauſtus.* Atque hæc de ſeri per alvum expurgatione univerſali.

quam tamen levis præparatio antecedere debet.

Age autem quod ad ejuſdem vacuationem attinet, quæ naturæ congruenter per renes inſtituitur, ea cùm omni tempore feliciter uſurpari poſſit, quòd naturam ſemper adjuvantem habeat, ut eſt inſinuatum antè, commodùm certè alterationi quoque ſeu attemperationi viſcerum, lieniſque præſertim & ſanguinis, quæ per medicamenta vulgò dicta alterantia fit, miſceri poteſt, cùm hæc quoque omni tempore ſit perficienda; itaque ex diureticis omninò eligenda quæcumque lieni amica ſunt, ejuſque calidam intemperiem temperare poſſunt: ejus generis ſimplicia quidem

2. Diureticis, lieni gratis, & ad frigiditatem vergentibus.

dem ſunt, *radix capparorum*, *cortex medianus fraxini*, *ſambuci*, *radices eryngii & pæoniæ*, *folia meliſſæ*, *cardiacæ*, *capilli veneris*, *bugloſſi*, *boraginis*, *betonicæ*, *agrimoniæ*, *ſummitates cuſcutæ*, *ſemina dauci*, *agrimoniæ*, *pæoniæ*, *angelicæ*, *cortex mali citrii:* compoſita autem ſunt: *conſervæ ſive è radicibus ut eryngii*, *bugloſſi*, *ſive ex herbis ceterach*, *capilli veneris*, *pulveres lætitiæ Galeni*, *diarhodonis Abbatis:* hæc namque univerſa paſſim probantur à medicis in hyſtericis affectibus, quorum uſum non poſſum non commendare vel hoc nomine quòd ſerum per urinas potenter repurgant & lieni maximè ſunt amica, alteri ſcilicet fonti ſeroſæ plenitudinis: ex his igitur vel decocta, vel opiatæ, vel tabellæ pro guſtu ægrotantium poterunt concinnari. *Pulveres autem è gemmis ſicut & perdicis*, *ſtercoris pavonis*, *& cranii humani* quia ebibunt abſorbentque ſuperfluam in corpore humiditatem non improbantur à me, etſi revera ſuperiora præferuntur, quòd ſcilicet corrigendis viſcerum intemperaturis commodiora ſint: quo nomine quoque magis à me æſtimantur quàm theriaca, & quæ ex aromaticis, ligno aloës, cinamomo, gariophillis componuntur, licet eximiâ vi diureticâ præpolleant.

Jam verò quæ tertia reſtat ſeri per cutem vacuandi ratio cùm ſit naturæ inſtituto valdè congrua, tum verò maximam anni partem inſtitui poteſt. Nam ſi hyemem excipias ea vacuandi ratio quam in victus ratione inculcavimus, & quietis in lecto atque ſtragulorum beneficio obtineri poteſt, haud dubiè ferè toto anno promoveri poteſt: ſed quæ per medicamenta ſudorifica perficitur, & longè majores vires habet, ea verno tempore autumnoque toto, imò ineunte æſtate etiam uſurpari poteſt; eo autem erit gratior Nobiliſſimæ Virgini, quia iis hactenus medicamentis aſſuevit: nam & ſæpè balnea calida experta, & ab aliquot menſibus vinum cum decocto ſudorifico commutavit. Quoniam autem non poteſt non niſi ægrè & incommodè domum relinquere, ita temperandum uſum ſudorificorum cenſeo, ut Majo ineunte unam ſaltem det ſeptimanam plumberianis balneis, reliquum autem menſem 3. Sudorifica

 diæ-

diætâ ſudorificâ domi inſtituendâ inſumat. Apertis poris cutis à præmiſſo balneo, depoſitâque magnâ parte plenitudinis ſeroſæ (partim à ſectione venæ & purgatione per alvum, quæ domi antequam balneas adeat adminiſtrabuntur, partim ab uſu ſequente balnearum, quas manè & veſperi ingredietur) ſequentia certè decocta ſudorifica faciliùs ſubibunt abdita quæque corporis, & reliquias ſeri diſcutient. Supervacaneum hîc foret legitimum utendi ſive balneis, ſive decoctis ſudorificis modum minutiùs velle perſequi.

De quibus adhibendis, cautio additur.

Hoc tantùm moneo quòd *decocta è Sinarum ligno, zazaphraſſâ utiliter infundentur in aquis hordei, bugloſſi, cichorii, quorum trajectorum per paſſulas, & tantillum cinamomi hauſtus matutinus ſatis erit.* Toto autem eo tempore non exquiſitiorem, nec moroſiorem ordinariâ victus ratione imperandam cenſeo, modò ſemper caveat ſibi ab aëris inclementiâ, videatque accuratè ne boreales venti corpus his artibus perſpirabile redditum deſubitò feriant. Admoneo quoque in balnearum quidem uſu utilem futuram embrocham, ſeu ſtillicidium ex alto aquæ thermalis ſaltem poſtremis diebus, quibus apud balneas commorabitur: in diætâ autem domeſticâ ex decoctis ſudorificis inſtituendâ uſum ſacculorum ex herbis, floribuſque cephalicis capiti admotorum ſtatim à deterſo ſudore probo.

Ad hunc denique ſcopum pertinet hypocauſti uſus, cui aſſueſcere poteſt deinceps (ſi primum ejus uſum ineat à reditu à balneis plumberianis, aut exactâ diætâ ſudorificâ) in quo à cucurbitulis abſtineat per me licet cùm in ſanguine ſuperfluo excernendo natura nunquam ſe impigrè hactenus geſſerit.

&4. tandem frictionibus & exercitio corporis.

Poſtremò quæ ſupereſt ſeri in habitu corporis redundantis inſenſilis diſcuſſio, ea ſanè faciliùs obtineri nequit quàm aut crebris frictionibus, aut exercitatione ſive labore, de quibus ante à nobis dictum eſt: de exſiccantibus ſive inunctionibus corporis, ſive inſolatione ſive volutatione in arenâ & ejuſmodi nihil dico, quia religioni eſſet piiſſimæ virgini tantum temporis in cute curandâ ponere.

Ergo

Ergo tempeſtivum eſt jam *ad ea accedere remedia, quibus particularis ſeri in capite collecti vacuatio perfici poteſt ſive manuum operâ, ſive medicamentorum beneficio.* Quæ ſanè particularis ſeri purgatio omninò neceſſaria eſt, cùm collectio ejus & proventus à cauſis neceſſariis & inevitabilibus importetur: nimirum neceſſarius omninò eſt & continens ſeri ex toto corpore in caput juxtà atque ſanguinis affluxus, pariter ejuſdem è vaſis exudatio, decurſuſque ſequens è toto capite in poſticam partem ſubjectam ſcilicet, & meatibus ſenſibili excretioni ſeri dicatis inferiorem, denique efferveſcentia ejuſdem à morâ in capite ſi non quotidiana, certè ſtatis lunæ quadris annique tempeſtatibus experientiâ teſte fieri ſolita, unde hic morbus lunaticus dicitur, quia igitur harum cauſarum providentia à nobis haberi nequit, æquum eſt, ut ſynathriſmus ſeri in capite tot tantiſque tumultibus excitandis par continente & ſenſim facta ſeri evacuatione, quæ ſpontaneo ejus in occiput motui reſpondeat, omni arte arceatur, quæ vacuatio ſanè partim ſenſibilis eſſe poteſt, partim inſenſilis, ſenſibiliter igitur illa promovebitur ſive manuum operâ, ſive uſu medicamentorum convenientium. Particularis capitis evacuatio inſtituitur:

OBS. XXXI. *Ac manuum opera promovetur cauteriis ſcilicet.* Certè *cauterii uſu admoti propè ſuturam coronalem olim epilepticum quadragenarium quendam ſegmentarium Petrum nomine, civem Nancejanum ſanitati perfectæ divino beneficio reſtitui. Et ſuperiore æſtate accepi à Religioſo viro ordinis D. Fr. a Paul. Nobilem fœminam triennio ferè continuo hyſtericis oppreſſam ſymptomatis ſibi reſtitutam beneficio cauterii pariter ſuturam prope coronalem admoti conſilio Clar. Medici Biſuntini* (nominis non benè memini:) quia tamen inuſtio in illâ parte ob viciniam membranarum cerebri non vacat periculo inflammationis earum, commodè autem & tutò fit propè partem affectam, occipiti poſtico inurendum potiùs cenſeo; hoc namque cùm æqualiter caput totum evacuet, perfectè colluviem capitis omnem ſenſim eluere, & ſynathriſmum ejus impedire poteſt. Quin etiam interceptionis ſeri è toto capite derivantis in poſticum cerebrum gra- Tum manuum operâ. Scil. cauteriis capiti admotis.

gratiâ probo cauteria ponè imulam auriculam.

Tum medicamentis vel ſenſibiliter aquam educentibus: ut ſunt veſicantia,

Ad hunc autem ſcopum medicamenta paſſim commendantur. ſive *veſicantia*, quæ pariter ponè aures admoventur & manare ulcuſcula ab iis inflicta ſinuntur per quadraginta dies, ſive *phœnigmi*, *ſinapiſmi*, & ejuſmodi quæ ex alto aquam eliciunt; ſed iis remediis aſperis & ſævis habitâ ſexus & dignitatis ratione prætulerim potiùs medicamenta quæ manifeſtè & generosè è capite aquam pelliciunt ſive *palato illita*, *maſticata*, *aut ore colluta*: *ſive naribus indita vel odorata*. Ac illinuntur quidem palato *mel roſaceum ſolutivum*, *anthoſatum*, *oxymel ſcylliticum*, *ſuccus rutæ*, *confectio hieræ*, *magnæ antidoti*: os colluitur *decoctis hyſſopi*, *ſalviæ*, *ſinapi in vino rubro cum modico melle*, manduntur *pulveres piperis*, *radicis pyrethri*, *ſtaphyſagriæ*, *cardamomi linteo ſcilicet incluſi*, *aut in trochiſcos*, *vel pilulas cum maſtiche*, *paſſulis*, *melle*, *aceto ſcyllitico*, *& cerâ formati*.

Oris collutiones,

Maſticatoria,

Caput purgia, Errhina,

Errhina autem, *& caput purgia ex ſuccis betæ*, *anagallidis*, *majoranæ*, *vel aquâ majoranæ adjecto pipere*, *ſinapi*, *cyclamine*, *pyretro fieri poſſunt*: *nam euphorbio*, *helleboro vel etiam elaterio morbus niſi ſummus carere facilè poteſt*. Hi igitur ſucci volâ manus excepti prono capite naribus identidem attrahuntur, pariter *oxymel ſcylliticium quo pulveres prædicti*, *vel oleo irino*, *vel de coſto illiti induntur*, *aut per ſe*, *niſi placeat inſufflare*.

Sternutatoria.

De quibus omnibus notandum 1, ut nimis odorata omittantur.

In horum autem omnium compoſitione vitanda eſt permixtio rerum odore eximio excellentium, cujus cenſus *moſcus*, *ambra*, *gallia moſcata* quæ ſcilicet experientiâ probantur excitare paroxyſmum ut antè monuimus: quoniam tamen hæc particularia medicamenta in uſum quotidianum venire debent & jejuno ſemper ſtomacho, & eâ quidem conditione ut pectus pulmoneſque concitatâ aliquâ fluxione non offendant, ut ſæpè evenit, imò etiam ventriculum non lædant, ex iis certè eligenda cenſeo, quæ & non ingrata ſunt faſtidiiique plena, & verò lentè ac ſenſim aquam è capite proliciunt, meatuſque palati & narium deobſtruunt: itaque contenta erit Nobiliſſima Virgo quotidie manè modò *paſſulas damaſcenas circiter viginti*, *vel nucis moſcatæ fruſtu-*

2. Jejuno ſtomacho aſſumantur.
3. Non pectus & pulmonem offendant.
4. Non ingrata & faſtidii plena ſint.

fruſtulum, aut radicem angelicæ egregiè conterere dentibus, & paſſulas quoque deglutire non dubitabit tanquam ſaluberrimum & leniens alvum medicamentum, aut horum loco os ſæpiùs colluere decocto ſalviæ ex vino rubro.

Jam verò aqua in capite ſtagnans diſcuti reſolvique poteſt *inſenſibiliter uſu medicamentorum calidorum ſive exſiccantium, quæ aſſumi poſſunt, aut exterius admoveri.* Primi generis ſunt ea, de quibus in diſcuſſione ſeri in toto redundantis dictum eſt particulatim, quæ vapore quodam emiſſo ad cerebrum pervenire creduntur, & illud exſiccare & ebibere ſuperfluam in eo humiditatem ut ſunt *conſervæ anthos, ſalviæ, meliſſæ, diamoſcus, aromaticum roſatum, triphera magna, magnæ antidoti*, quæ tempore ſomni exhiberi poſſunt, ſed priùs corpore benè repurgato, imò capite: nam periculum eſt ne ab horum uſu ſi aqua in capite reſtitet fervorem concipiat & paroxyſmus recrudeſcat, quam ob cauſam ſatius diamoſco & cæteris abſtinere, præſertim ſi ratio temperaturæ totius habeatur, & ſolis conſervis uti.

Vel eam inſenſibiliter diſcutientibus: ut ſunt interna exſiccantia:

Secundi autem generis medicamenta ſub variâ formâ adhiberi poſſunt, &. in primis cùm Illuſtriſſima Virgo lixiviis aſſueverit, ea minimè improbantur à me præſertim ſub finem veris & tota æſtate, quæ parari poſſunt ex *ſerpillo, ſalviâ, pulegio, hyſſopo, majoranâ, roremarino, calendulâ, calaminthâ, ſeminibus calidis, & agarico:* ex quibus quoque ſacculi concinnari poſſunt & in uſum venire, ſed duntaxat eo tempore, hoc eſt matutino, quod cultui corporis reliqui tribuitur: nam de die incommoda eſſet eorum geſtatio, de nocte inſalubris, quia vaporibus è ventriculo ſomni tempore attractis caput compleretur, ejuſque plenitudo augeretur: quam ob cauſam cucuphis carere poteſt, & præterea quia illæ brevi ſordeſcunt; undè aſperſi pulveres præferendi, iique parati ex *ſeminibus cumini, fœniculi, pæoniæ, melanthii, baccarum lauri, floribus anthos, ſalviæ, nuce moſcatâ, cinamomo, maſtiche, ſandaracâ.*

& externa capiti applicata varii generis:

Quod ad odoramenta ſpectat, ea minimè mihi placere poſſunt, quia ſive grata, ſive ingrata paroxyſmum renovant

Omiſſis iterum odoratis.

vant commotâ materiâ, etſi ingrata diſcuſſâ materiâ corrigunt tandem: denique linimentis tanquam moleſtis carere poteſt, & multò magis emplaſtris præſertim calidis, ut [α] metaſyncriticis, quia hæc à longiore morâ unà cum ſanguine ſerum profuſius trahunt atque tractum fervefaciunt, & camerinam movent. Non improbarim tamen hyberno tempore vel *emplaſtrum ex betonicâ, vel ex gummi takamahaca & ſimilibus temperatis.* Atque hæc de prophylaxi epilepticorum inſultuum, ad quorum præſentium curationem jam tempeſtivum eſt accedere, à quibus quippè ſuffocationis & interitus metus ſæpè impendet.

& calidis attrahentibus.

Curatio in paroxyſmo:

Quoniam igitur epilepticus paroxyſmus fit principio nervorum ab implente ſero copioſo & ebulliente diſtento, & in ſe corrugato, nervoſumque genus ſecum magnâ vi contrahente, *præcipuæ ſanè ejus ſolvendi rationes & corrigendi tum in depletione ſeu inanitione principii nervorum, tum in laxatione violentæ nervoſi generis contractioni contrariâ, nec non emendandis ſymptomatis velut reſpirationis læſione conſiſtunt. Primus autem ſcopus obtinebitur vacuatione ſeri influxi ſive ſenſibili, ſive inſenſibili, fervoriſque ejus temperatione, & influentis revocatione, ſeu revulſione.* Vacuatio ergo ſeri influxi in caput ſenſibilis promoveri poteſt partim beneficio naturæ comprimentis ſcilicet nervoſum genus & ſuâ concuſſione excutientis, quod violenter caput diſtendit, partim ejuſdem attractione à medicamentis hydragogis factâ.

Cujus ſunt tres ſcopi:

I. Scopus Inanitionem principii nervorum intendens obtinebitur 1. ſeri in caput influxi vacuatione:

Quoniam autem natura in hoc affectu alto ſopore detinetur & ſenſus omnis ferè ſepultus jacet, nunquam autem facultas expultrix ad excutiendum quod moleſtum eſt movetur & inſurgit, quin irritationis ſenſus præceſſerit, certè natura excitanda eſt ſoporque ſolvendus, & ſenſus in primis reſtituendus quoad fieri poteſt. Quoniam ergo ſenſus excitatur maximè ab objectis excellentibus, antè omnia ſenſoriis omnibus eximia objecta ſunt objicienda, ſcilicet apertis oculorum palpebris ſi connivent magna ob oculos lumi-

tum beneficio naturæ ipſius, quæ ſtatim à ſopore excitanda,

α. Ob oculos luminaria accendendo.

[α] Recorporativis ut paſſim in Cæl. Aureliano de morbis acutis & Chronicis.

luminaria accendenda, & ſtrepitu magno & vociferationibus aures diverberandæ, nares acribus ſimulque ingratis pungendæ odoribus, in quo genere *ſuffitus lapidis gagatis potentiſſimum eſt remedium & objectum ſimul ut mox dicetur.* Palatum autem amaris & acribus *ut hieræ confectione, ſinapi irritandum.* Tactus denique excitandus *vinculis, vellicationibus, avulſionibus pilorum præſertim è pudendis partibus, tum etiam acribus clyſteriis injectis ſi immitti poſſint.* Natura his artibus excitata violentam diſtentionem non ferens comprimet ſeſe quantum poterit, & ſerum quâ datâ portâ excutiet, ſi præſertim interea dum illa vellicatur & exſuſcitatur, portio aliqua ſeri vacuari cœperit, & diſtentum poſticum caput aliquatenus ab eâ evacuatione arte factâ laxari cœperit.

β. Magno ſtrepitu aures diverberando.
γ. Nares odoribus ingratis,
δ. Palatum amaris irritando.
ε. Tactum diverſimode excitando.

Hæc igitur vacuatio primo quoque tempore tentanda eſt, quoniam autem viæ à naturâ expurgationi cerebri inſtitutæ ſunt meatus in palatum, in nares, & quandoque meatus aurium, imo ſuturæ totius capitis, hinc medicamenta aquam elicere è capite aut diſcutere apta iis omnibus partibus admoveri debent, quæ ante in prophylaxi recenſuimus, ex quibus generoſiora eligi debent, tum quia ſuffocationis metus imminet, tum quia ſopitis ſenſibus adminiculantem naturam non habemus: ejus generis ſunt *acetum vel oxymel ſcylliticum, hiera, magna antidoti palato naribuſque illinenda, tum aqua ex diſtillatione ceraſorum vel hirundinum à magnis viris deſcripta & commendata plurimùm, & imprimis lacryma fœtida, caſtoreum, lapis gagates cujus odor præſentiſſimum eſt remedium, ut in pluribus expertus ſum.*

Tum medicamentis: ut hydragogis cephalicis generoſioribus,

OBS. XXXII. *Et in famoſâ illâ viragine Gallâ Maturinâ, quæ pro mortuâ à Medicis etiam habita hujus lapidis primo olfactu è lecto reſtituta alacris extemplò præter ſpem ad menſam aleamque cucurrit:* ejus tamen generis tetris odoribus non niſi urgente neceſſitate uti permiſerim: præſtat enim paroxyſmum produci ac ſenſim ſolvi ut paſſim evenit, quàm odoribus fœtidis caput complere ac gravare, atque cerebri ſpirituumque ſubſtantiam conſpurcare: iis ergo

Fætidis non niſi urgente neceſſitate admiſſis.

go locus non ſit, uti neque helleboro, elaterio & ejus cenſus per nares aquam elicientibus aut potenter digerentibus, niſi producto ad plures horas paroxyſmo, & tentatis priùs fruſtraque levioribus remediis.

Contenti ergo ſint qui ægris adſtant naribus admovere *rutam*, *pulegium*, *calamintam*, *eaque aceto ſcyllitico ſi placet madefacta*. Eodem fine auribus totique capiti applicantur *olea calida tenuiumque partium*, *ut ſunt de ſpicâ*, *de ſampſuco*, *nuce moſcatâ*, *rutaceum*, *additâ penetrationis gratiâ aquæ vitæ tertiâ parte*. Quòd ſi paroxyſmi pertinacia oſtendat rapi etiam è toto aquam in caput, tum certè frictiones vinculaque partium externarum, necnon etiam venæ ſectio è talo locum habebunt, ſi corpus ſit plethoricum, probabileque ſit ſanguinem tenuem unà cum ſero raptum ad caput, quod inſinuabit purgatio aliqua naturæ ſolennis ſuppreſſa; *quibus ſi non cedit paroxyſmus*, *indicium eſt apoplexiæ propriorem eſſe*.

2. Ferroris ejus temperatione.

& 3. à capite revulſione.

II. Scopus indicat nervoſi generis relaxationem.

Jam vero relaxatio nervoſi generis contraria violentæ ejus contractioni chalaſticis remediis intus extraque admotis obtineri poteſt. Hoc autem perficiunt odoramenta ſed grata ſuffita partibus infernis ſive genitalibus vapore ſcilicet ſuo tepido, ſimiliterque *linimenta ex oleis liliorum alborum*, *amygdalino*, *rutaceo*, quibus ex abundanti flatus diſcutiuntur in his affectibus moleſti.

III. Reſpirationis læſæ emendationem.

Poſtremò reſpirationis difficultati medebitur erectio corporis capitiſque, & oris apertio (nares ferè obſtructæ) dentiumque à convulſione muſculorum temporalium arctè conſtrictorum diductio manibus facta. Spiritus namque ita & fuligo, ille aditu, hæc exitu ante prohibita faciliùs ducitur aut educitur.

Atque hæc ſunt quæ de naturâ, cauſis, remediiſque ſymptomatum vulgo hyſtericorum dictorum mihi liberè pro more & libertate, quam natura inſtitutioque inſevêre, philoſophanti ratio dictavit, ſuaſit, quæ Nobiliſſimæ Virgini ac Dominæ colendiſſimæ profutura haud dubito voveoque, ſi Viri Clariſſimi ea candido animo ut cætera, ſerioque examine & æquâ cenſurâ pro veſtrâ ſapientiâ excipitis, probatis, corrigitis, quod à veſtra humanitate obnixè peto contendoque.

C A-

CAPUT VIII.

Appendix ſeu Annotatio ad Conſilium de Epilepſiâ.

Superiori illi & paradoxæ doctrinæ in conſilio de epilepſiâ, & hyſtericis affectibus à nobis traditæ lucem atque fidem non mediocrem afferunt ſequentia, & inprimis accurata conſideratio omnium affectuum ad ſoporem attinentium antè à nobis explicatorum, qui cùm ſint cum epilepſiâ facilè commutabiles, & à ſeroſâ colluvie diverſis in capitis regionibus vagante eos ſuæ originis primordia repetere antè ſit demonſtratum, epilepſiæ certè materialem cauſam ipſiſſimam eſſe colluviem ſeroſam arguunt manifeſtè. Confirmatio ulterior ſuperioris doctrinæ de Epilepſiâ. I. per affectus ſoporoſos, cum Epilepſiâ facilè commutabiles.

OBS. XXXIII. Deinde id ſpeciatim confirmat *contemplatio hiſtoriæ hemicraniæ in Nobili Puellâ antè à nobis exaratæ, cujus primus inſultus quidem certò fuit Epilepſiæ rudimentum, ſive levis epilepſia, in quâ ſymptomata ſunt breviora & leviora adeò ut æger ſe contineat, neque cadat, ſed brevi admodum ad ſe redeat, quam ſolâ victus ratione penitus ſanari* [a] Galenus *ſcribit; recurſus verò ejuſdem nonnihil hyſterici affectus vulgò dicti evidentiſſimè complicatum habuere.* De Epil. Levi. II. per exemplum.

Poſtremò eandem comprobat omninò doctrinam ſeries ſymptomatum quibus tenentur pleræque mulieres hyſtericæ paſſim à medicis habitæ; quarum nomina ut ſubticeam muliebris pudor monet ſive jubet. III, per ſymptomata hyſterica vulgò habita.

OBS. XXXIV. *Eam autem ſeriem talem obſervare eſt; ſcilicet illis quanquam ex animi ſententiâ ſemine & ſanguine menſtruo repurgatis, & raro a mariti lumbis diſcedentibus circa inſignes vere & autumno tempeſtatum mutationes primùm ſenſus acuti cujuſdam veluti gelu ſummum caput conſtringit, dein non ita poſt dolor gravis ſævuſque frontem & tempus ſiniſtrum (ferè namque ſunt ſplenicæ ut habitus gracilis ac fuſcus, & nigrum capillamentum indicat) imò & caput poſticum* De ſympt. mulier. hyſter. vulgo habit.

[a] Lib. de attenuante victus ratione.

cum premit, mox torpor, atque motus veluti oberrantium formicarum brachium & ſæpè crus ejuſdem lateris præpedit, tandemque ſopor deſubitò ſenſum omnem ſubripit, & ſimitu univerſum convellitur concutiturque corpus identidem. Scilicet excitatis ſuffocatio atque quidam cruciatus, illa quidem thoracem, hic univerſum ventrem affligunt & per pluſculos dies unà cum brachii torpore, quanquam ſopor & convulſorii motus inducias præbeant, nam hæc quoque ferè brevique recurrunt, ut quibuſdam vix mediam anni partem ſalubriter degere concedatur, & recurrunt vel à leviſſimâ occaſione, non ſolùm à mutatione tempeſtatis aëreæ, ſed à quavis corporis commotione aut rerum etiam ſuave olentium fortuito olfactu, vel quavis animi ægritudine.

Inter quæ ea 1. quæ caput tentant ſemper prævertunt.

Enimverò quandoquidem hæc ſymptomata ingruunt ſimul univerſa, aut certè ſibi mutuo ſuccedunt, ea ſanè ab unâ eademque cauſâ fluere & originem quota quota ſunt repetere neceſſe eſt: quoniam autem eum inter ſe ordinem ſervant, ut dolores, ſopor, & reliqua, quæ caput maximè tentant prævertant ſemper, & aliàs graviora ſint quàm motus, & ſi quæ alia uteri ſymptomata; & verò illa nunquam abſint, cùm ſuffocatio, quæ utero imputatur, non ſemper jugulo inſtet, ut certis conſtat experimentis, cur uterus & non potiùs caput tanquam capital, & author omnium malorum damnatur? & ſi ab utero pravus ſive humor, ſive vapor ad caput etiam uſque effertur, cur ſtrangulatio non antevertit dolores capitis totiuſque convulſiones, cum priùs vaporem vel humorem ex utero elatum diaphragma, & laryngem ferire & vellicare, quàm caput tentare & lædere neceſsè ſit? quî poteſt verò torpor brachii ac cruris in pleriſque, & ſpeciatim contortio illa convulſiove cervicis in hemicranicâ puellâ in uterum rejici, cum præſertim *Soror illius germana anno ætatis ſeptimo (quâ ætate ab omni criminis ſuſpicione longè alienus eſt uterus) paſſa ſit colli perverſionem eamque non dialem, uti contingit hemicraniæ, ſed adeò pertinacem, ut tres annos venuſtatem virgunculæ deformâret, nec niſi uſu aquarum plumbariarum corrigi potuerit.* Nec enim ullus qui paris illius ſororii ora vultumque noverit de

2, Strangulatio eis ſuccedit.

Obſervatio.

de perfectâ temperaturæ capitis & totius ſimilitudine ambigere ullo modo poteſt.

Quid denique quòd horum omnium ſymptomatum congeries ſerieſque eadem extitit in me, & in puellâ hemicranicâ, ut ex obſervationibus ſatis conſtat, niſi fortè quòd primo inſultu humor è capite in brachium decubuit, & exacto tantùm anno in inteſtina parteſque ventre contentas: in me autem duntaxat in has partes, & decimo quarto tantùm anno à primâ morbi impreſſione? quòd ſi hæc capitis mala unius ejuſdemque cauſæ effecta mihi cum mulieribus communia, prorſuſque eadem in uterum regeri in me non niſi ridiculè & abſurdè poſſunt, ſed in unam capitis colluviem omninò debent reſolvi, cur in fœmineo ſexu uterus accuſatur & non caput? 3. Omnia ferè viris cum mulieribus communia ſunt.

Neque enim dubitari poteſt epilepticis hominibus ſtrangulationem inſtare fauceſque præcludi, ſed cùm in iis hæc ſymptomata ſumma ſint omnia ob robur vireſque majores, itaque leves epilepſiæ raro contingant, qualis eſt, quæ ſuffocationis ſenſum duntaxat infert, certè obſcuratur ſuffocatio ab aliis gravioribus, quæ vix ſeorſum in illis divelluntur ob cauſæ magnitudinem: nam ob robur ingenitum mares à levi cauſâ facilè ſe liberant. Strangulatio & ſuffocatio etiam epilepticis accidit.

Atque hæc de affectibus capitis à ſeroſâ in eodem cunctante colluvie præcipuè pendentibus; nunc de aliis ab ejuſdem diluvie è capite exundante in ſubjectas partes, ſi priùs dicamus de ſyncopes quadam ſpecie, quæ utriuſque partis vitio tribui poteſt, & ab eadem ſeroſâ diluvie pendet.

MORBI
THORACIS INTERNI
AB ILLUVIE SEROSA.
SECTIO III.
CAPUT I.
De Syncope Lethali & [a] Ἀνελπίςῃ ab interceptione nervi cordi implantati factâ, ſcilicet à ſeri è capite in hunc depluvio.

Nulla regio eſt, aut urbs quæ non ſingulis ferè annis videat doleatque aliquem ex incolis ſanum alioqui, valentem, & firmo habitu, & ab omnibus externis immunem injuriis concidere derepentè, & reſpiratione vitâque propè momento privari.

OBS. XXXV. *Hoc ſubito certè & inopino occaſu non paucos corruiſſe memini homines mediâ jam ſenectute & annorum circiter* 63. *habituque euſarco, imò polyſarco, quos non eſt neceſſe recenſere: quem occaſum ſive ſyncopem, ſive apoplexiam dicas parum refert, modò conſtet affectum & graviſſimum funeſtiſſimumque juxtà ac propè momentaneum eſſe, ſed aliàs obſcuriſſimum, cujus cauſa externa ſive procatartica, imò neque interna ullis ſeſe evidentibus prodat ſignis.* Cùm igitur adeò funeſti & celeris occaſus aliqua ſit neceſſaria cauſa, eaque vehementiſſima æquè atque obſcuriſſima, hac certè ratiocinatione detegi & innoteſcere poſſe mihi videtur.

Syncope affectus qualis.

Enimverò quoniam in eo tantus tamque præceps virium lapſus

[a] Deſperatâ.

lapſus ut certa mors, hoc eſt, animæ ſeparatio à corpore nihil tale metuentibus ingruat (*diſſolutio, inquam, animæ aut utriuſque, aut certè vegetantis partis primò & per ſe, ſed ſentientis per neceſſariam concomitantiam, quippè quæ non niſi inſtructum vegetante animâ corpus poteſt informare, ut in phyſicis docuimus*) cauſam ſanè quæ ſit vehementiſſimæ & celerrimæ actionis oportet ab iis rebus repetere quæ animam cum corpore conjungunt conjunctamque retinent, & in quibus virium robur ſecundùm naturam continetur: atqui quandoquidem vires tum conſtant ac vigent, animaque ipſa corpus tamdiu regit, vegetat, & inhæret, quamdiu & ſpiritus vitalis, qui eſt animæ ac corporis commune vinculum atque inſtrumentum, ut ex phyſicis conſtat, & partes ſolidæ, viſcera nimirum & imprimis cor firmitudinem ſuam nativamque conſtitutionem retinent incolumem, *Syncopes profectò in univerſum, ſive præcipitis virium lapſus cauſam eſſe oportet, conſtitutionem ſpiritus, vel ſolidarum partium, ac præcipuè cordis à naturali longè immutatam.*

Ejus cauſa quomodo inveſtiganda.

Quæ in univerſum eſt conſtitutio ſpiritus, vel ſolidar cordis partium, a naturali longe immutata.

Quoniam autem vernacula ſive ſpiritus, ſive ſolidarum partium conſtitutio ex temperie aptâ uſibus, & juſtâ mole ac quantitate effloreſcit, certè ſyncopes cauſam in intemperie valdè excedente, & tabe ac defectu ſpirituum ſolidarumque partium ſtatuere oportet. Ac tabes quidem ſolidarum partium, & præcipuè cordis vel ſenſim corpore alimenti defectu laborante & extenuato, vel confeſtim colliquato eodem præ morbi acutie, aut cacoëthiâ ſuccedere poteſt; intemperies autem earumdem multiplex eſt, ſed præcipuè quæ à putrente intus aliquâ materiâ inuritur, cujus fœtorem quippe exitiabilem anima nunquam ferre poteſt.

Hæc conſiſtit partim in tabe,

partim in intemperie;

Jam nativa ſpirituum temperies cùm plurimùm immutetur ſive à ſuccis in corpore vitioſis, ſive à corruptelâ aëris, ſive à venenis, rebuſque toto genere naturæ humanæ infeſtis, tum verò penuria ac defectus contingit, quia aut continens ejus generatio intercipitur, aut quia is, licet ſufficienter generatur, tamen exhauritur, & quocumque modo deperit.

Illa iterum vel in intemperie, tam ab internis quam ab externis cauſis:

Ac

Generatio ſive nutritio intercipitur 1. Materiæ defectu. 2. Cordis impotentia.

Ac generatio intercipitur partim materiæ defectu ; partim cordis trahentis & generantis impotentiâ ; materia autem cùm ſit aër, & laudatiſſima tenuiſſimaque ſanguinis anathymiaſis, ille quidem denegatur in ſummâ ſpirandi difficultate, hæc in extremo corporis marcore ; ac quia cor utramque materiam trahit ſuâ diaſtole, & ex eâ tractâ ſpiritum generat caloris inſiti beneficio (quæ univerſa in phyſicis ſunt demonſtrata) pulſus profectò cordis labefactatus frigidaque ejuſdem intemperies generationis ſpiritus abolitæ cauſæ ſunt præter reſpirandi difficultatem ſummam, & tabem corporis.

Spiritus exhauritur. 1. frigore, 2. Evacuatione nimia. 3. Reſolutione. 4. Tabe. 5. Suffocatione.

Porrò ſpiritus exhauritur & deperit, vel quia à contrario extinguitur frigore ſcilicet ſummo ſive ambientis, ſive α opiatorum medicamentorum; vel quia evacuatur confertim, ut in immoderatis ſanguinis, & excrementitiorum humorum, vel etiam pravorum & toto genere præter naturam excretionibus ; vel quia ſenſim reſolvitur ſive ſpontè naturæ ob rariorem corporis texturam ſummamque ſanguinis & humorum tenuitatem & evanidam ſubſtantiam ; ſive ab immodicis, diuturniſque corporis laboribus, aut doloribus aut pertinacibus animi pathematis uti gaudio, vigiliis, curiſque acrioribus, vel quia tabeſcit alimenti defectu, ut in inediâ, aut boulimo, calore ventriculi extincto appetentiâque dejectâ ; vel denique quia β ſuffocatur ſive per ſpontaneum ſubitumque ſui ipſius recurſum ad cor per vehementem terrorem & cordis anguſtias, ſive quia intus cohibetur exituque prohibetur ob ſummam humorum cruditatem & obſtructionem circa cor, ut in febribus ſyncopalibus humoralibus.

In ſpecie propoſitæ ſyncopes Cauſa eruitur:

At enim verò cùm tot & tantæ ſint ſyncopes cauſæ, videndum deinceps quæ ex illis propoſitam à nobis ſyncopem invehere natæ ſint. In primis igitur quia propoſita ſyncope hominem ab omni alioqui externâ injuriâ ex hypotheſi ſartum tectum adoritur, ſimituque mactat, fateri oportet extra

Despaigne

α Gal. ad aphor. 23. lib. 6.
Gal 12. met. cap. 6.
β Gal. lib. 13. met. cap. 3.

extra culpam eſſe quamvis ambientis inclementiam, qualis ſæviente boreâ & cœlo ningente, aut contrà auſtro flante per ſummos ſyrii ardores, tum pravum & peſtilens ejuſdem ingenium; ſed & venena naturæ humanæ infeſta, & ſpiritus præter naturam alterantia aut etiam extinguentia. quæ minimè à cauſâ externâ.

Præterea quia ſyncope, de quâ agitur, valentes & athleticos homines aggreditur atque proſternit, in quibus nulla maraſmi & tabis, nulla colliquamenti, nulla ad hæc inſignis putredinis vel ſummæ viſcerum intemperiei ſigna apparent, & verò ſumma quævis intemperies non niſi ſenſim contrahi poteſt, propoſita ſanè ſyncope ſolidarum partium vitio imputari non poteſt. neque à tabe vel intemperie ſolidarum cordis partium;

Jam extinctionis ſpirituum nulla utique adeſt occaſio externa aut interna in iis, quos hæc ſyncope propè momento enecat, nullaque præceſſit ſenſibilis evacuatio, ſive hæmorrhagia aliuſve ſanguinis effluxus, ſive diarrhœa, aut vomitus humorum toto genere pravorum, quibuſcum etiam affatim ſpiritus diffluere ſolent, nulli pariter immoderati corporis labores vel animi motus, nullæ prægreſſæ vigiliæ, aut acriores ſolicitudines, nulla inedia, & ſimiles cauſæ evidentes & externæ, à quibus ſine ſenſu ſpiritus exteruntur non mediocriter, raræ quippè cauſæ in hominibus ſub benigno Jovis ſydere natis, genioque proprio indulgentibus: nec verò febris ardens, ſimiliſve affectus ſpiritum affatim conterens prægreſſus: nec denique accuſari poſſunt ſive rarior præter naturam textura corporis, ſive ſumma evanidaque humorum tenuitas, quorum ratione ſpiritus ſuâ ſponte exhalant in eâ ſcilicet ætate, in quâ potiùs craſſitie laborant humores, & cutis aſtricta, denſaque eſt valdè. Neque à ſpirituum ſive extinctione, &c.

Poſtremò tantum abeſt ut inediâ, vel boulimiâ laborent, qui hac ſyncope comprehenduntur, ut potiùs cœnatos tangat juguletque hoc malum.

OBS. XXXVI. *Memini enim quendam Capellanum Collegii Navarrei obeſum hominem ante quadraginta annos, & à duodecim annis Nobiliſſimum virum de Lunem* CAROLI III.

 Prin-

Principis domeſticum, & *Reverendum Patrem Societatis* JESU *Hordal in gratiarum cœnæ actione derepentè concidiſſe: quò ſanè defectus alimenti ſeu principii alterius ſpiritus vitalis præſertim in corporibus benè habitis, ſed & aëris alterius principii crimine vacat, cùm ſpirandi difficultas nulla hanc ſyncopen prævertere conſueverit.* Reſtat igitur ut vel ſuffocatio ſpiritus veniat accuſanda, vel certè quod unum reſtat, motus cordis tanquam opificis ſit ablatus.

Sive ſuffocatione, &c.

Atqui ſuffocationis ſpirituum cùm externæ quidem cauſæ abſint repentinus ſcilicet terror, & ſimiles, tum verò ſumma humorum cruditas in benè temperatis reperiri nequit, ac quanquam ſanguinis ubertas congelatioque ſive in magnis vaſis, ſive in carotidibus merito pertimeſci poteſt, tamen & ab hac cauſâ ſyncope non adeò inſtantaneam mortem adfert, & dignoſcitur non fugacibus adeò accidentibus aphoniâ repentinâ, ruboribus faciei, pulſationibus maximis, & conſpicuis circa tempora, oculorum immobilitatibus, manuum diſtentionibus, dentium ſtridoribus, adductione maxillarum, poſtremò refrigerationibus extremorum, quæ ſigna prodidit [a] Hippocrates: & vero prænunciis quibuſdam ſymptomatis antè ſignificari ſolet, ſcilicet præfocatione non juxta fauces, parteſque reſpirationi dicatas, ſed in præcordiis, ac ſi cor manu conſtringeretur, pallido colore cum ephydroſi circa frontem, triſtitiâ melancholicâ, capitis gravitate, in ſomnum propenſione, gravi difficilique reſpiratione, pulſu intermittente, crebris denique animi deliquiis.

Sed à motu cordis, à cerebro proveniente, abolito, provenit.

Quæ ſymptomata cùm minimè propoſitam ſyncopem præcurrant, ſupereſt ſanè, ut motus cordis abolitus ſit unica ejus cauſa. Quæ igitur aboliti pulſus cauſa, eaque minimè manifeſta in valenti alioqui & benè temperato, eaque maximè præceps, niſi ſubita interceptio facultatis moventis, hoc eſt animæ ſentientis, ſive animalis ſpiritus per nervum è

[a] Lib. de diætâ acutor. Aph. 38. ξυμπίπτει δὲ τοῖσι πλείστοισιν αὐτέων τοιάδε. ἐρυθήματα προσώπου ὀμμάτων στάσιες χειρῶν διαστάσιες, ὀδόντων τρισμοὶ, σφυγμοὶ, σιαγόνων ξυναγωγὴ, καὶ κατάψυξις ἀκρωτηρίων, πνευμάτων ἀπολήψιες ἀνὰ τὰς φλέβας.

è cerebro in cor pervenientis? nam neque vulnus, aut intemperies momento in corde in tantum excreſcere poteſt, ut ad fatum ita præceps & momentaneum neceſſariò trahat.

Ex adverſo autem cor accepto à cerebro motus principio movetur ut eſt in phyſicis demonſtratum: & præterea eâ ætate, & in corporibus calidis humidis, qualia ſunt cuſarca & multo magis polyſarca quibus ſcilicet maximè propoſita ſyncope bellum indicere conſuevit, cùm ſeroſa in capite colluvies abundat, tum nervi multâ mole carnis oppreſſi, & ſemi-anguſti facilè poſſunt obſtrui: quo non mirum ſero per tempeſtatem aëream impendentem, aut ſimilem aliam cauſam occultam commoto & irruente nervorum principium, vel ſaltem guttulâ ejus ſpeciatim in propaginem nervi cordis deerrante, eumque obſtruente, ſpiritus animalis, unaque animæ moventis influxum in cor penitus ac ex improviſo intercipi, itaque cordis motum utrumque cum vitâ ipſâ intercidere, & præcipiti atque inopinato caſu hominem mori, magnamque parentem exoſculari. Nam quæ obſcurior cauſa eſſe poteſt hujuſmodi aquæ depluvio in reconditam adeò partem? Cujus cauſa ſerum abundans commotum.

Itaque concludamus: *Syncopes funeſtiſſimæ alioqui & momentaneæ cauſam eſſe motum cordis repentè abolitum ab interceptione ſeu obſtructione nervi ſexti paris cordi implantati ab aquulâ in eum è cerebro derepentè depluente.* Nervum ſexti paris cordi implantatum obſtruens.

Quòd ſi quis quærat quibus artibus adeo exitiale malum averruncari poſſit; uno verbo reſpondeo, plenitudinem corporis ex conſilio [a] Hippocratis haud cunctanter eſſe corrigendam & ſolvendam detractione ſcilicet ſanguinis, & imprimis capitis impuritatem eluendam, potiſſimumque per vias naturales à poſtico cerebro multo ſcreatu, & emunctione remediis antè ſæpè memoratis derivandam, ſi prævideri poteſt affectus. Curatio & Præſervatio.

[a] Lib. Aph. 1. Aph. 3.

CAPUT II.

De Palpitatione Cordis.

OBS. XXXVII. *Audivimus ſæpè multorum querelas de cordis ſaltu, imò manu mammæ ſiniſtræ prætenta tactu ſæpè deprehendimus cor micare, pulſareque inordinatè & præter naturam nunc vehementiùs, nunc languidiùs. Sed & vidimus, quibus non ſolùm ab aſſiduo thoracis à corde motu & diverberatu indumenta veluti flabello motitata inæqualem cordis motum æmularentur & ſignificarent, verùm etiam thorax atque ſternum ab illo motu è ſede naturali dejecta non mediocriter extuberarent.*

Hic affectus quibus familiaris.

Affectus ſanè lienoſis, hypochondriacis, & mulieribus, quibus ex voto menſes minimè fluunt & id genus familiaris, iſque nunc periodicus & interpolatus atque ex improviſo ſanos alioqui invadens, nunc continuus pertinaxque & non niſi ægris commoriens.

Utrum autem ejuſcemodi motus vera ſit palpitatio, tremorne, an concuſſio cordis, an verò mixtus aliquis ex iis motibus diſcutere ad amuſſim non eſt hujus loci, modò conſtet cor ejuſmodi motuum minimè eſſe incapax.

In eo cordis motus qualis.

Nam cùm illud ſupernè in ſuâ baſi appenſas habeat partes flexibiles & mobiles ac tenui corpore, quæ auriculæ dicuntur, quid prohibet ſecundùm eas ſaltem dilatari cor & diſtendi, imò & ſecundùm parietes ab impetente violenter aliquo corpore, ſibique exitum quærente disjici, ac dilatari quia impletur, hoc eſt palpitare & interturbari vernaculum ipſius cordis & arteriarum motum, ut ob inordinationem motuum nunc majorum, nunc minorum quaſi ſalire videatur? denſitas enim corporis etſi prohibitâ tranſpiratione materiæ mordentis ſeu morbificæ contumaciorem reddit motum, tamen palpitationem tollere non poteſt, ſi quidem verè & propriè ſub cute ſit palpitatio, quæ tamen præ hujus denſitate majore vel minore faciliùs aut difficiliùs ſubſidet.

Ne-

Neque verò ad veram palpitationis naturam pertinet materiam, quæcunque ſit, primo quovis pulſu evaneſcere & abire, ſed ſæpè fruſtrà quærit tentatque exitum ac plures edit motus, antequam à pulſando deſiſtat & evaneſcat: ad hæc raritatis in corpore cordis defectum compenſat calor in corde eximius, & in reſolvendo actuoſus. Materiæ morbifica plures edit motus,

Neque porrò neceſſe eſt in corde duplicem percipi motum naturalem ſcilicet unum pulſum, & alium præter naturam, quanquam revera non unus & uniformis, ſed quodammodo duplex ferè percipitur: nam qui motus præter naturam à materiâ morbificâ intercidit cum naturali, is mirificè hunc depravat, ut æqualitatem & ordinem naturalem nuſquam ampliùs retineat; cùm enim materia præſertim craſſiuſcula, nec ſubitæ reſolutionis capax magis magiſque in loco calido rarefiat, & fermentetur, & præterea ob anguſtiam loci in girum volvatur, non ſolùm naturalem ſuo pulſu dilatationem amplificat & intendit, ſed ſubſequentem interturbat conſtrictionem, imò quietem inter motus naturales propè tollit, unde unus duntaxat motus cordis percipitur, iſque nullâ quiete interruptus ſed difformis, major ſcilicet in dilatationis tempore, minor in utriuſque quietis tempore, ut & in ipſâ naturali conſtrictione. Motus præter nat. naturalem depravat.

Sed cùm & per eos motus naturales ita depravatos non plenè ſatisfiat uſui naturali, cùm ſcilicet ſinus ab alienâ occupati materiâ materiæ ſpiritus non ita liberum ſpatium ut antè concedant, ideoque augmentum uſus crebritate, velocitate, imò magnitudine compenſari debeat, ſiquidem cor ſanum robore non caret, fit ſanè ut pulſus in illis deflectat à naturali, mirèque ſit inæqualis. *Eſt itaque palpitatio affectio ſeu accidens naturali pulſui à cauſâ morbificâ ſuccreſcens.* Palpitationis cordis definitio.

Quid ſi ea materies corpulentiâ ſuâ & gravitate moleſta eſt & multò magis ſi acri quadam qualitate, aut aliâ ſimili naturæ infenſâ ſenſum tactus pungit expultricemque irritat? tum certè haud dubiè ſeſe concutit & concitatius fertur, majoreſque & varios, atque inæquales motus ciet, & præſertim conſtrictionis, ac veluti ſaltus. Nam quia in

illis majoribus conſtrictionibus cor ſinubus compreſſis longius ſe ipſo redditur, mucro certè pectus diverberat ac tangit adeò, ut ſibi cor extra corpus proſilire & erumpere clament ægri.

Palpitationes ſuperius notatæ ſpuriæ ſunt:

Atque hi motus etſi palpitationes legitimæ veræque non ſunt, ſunt tamen ſpuriæ, & veluti pulſus caprizantes & intercurrentes, ſive concuſſiones & ſubſultus, quos pariter motus cor edere modò valens & firmum credibile eſt, ſive quoties propria ejus membrana humore multo prægnans intumuit, ut Galenus in ſimiâ obſervavit, ſive pericardium ipſum humore ſimiliter diſtentum aut compreſſum à pulmone vel gravat, vel certè impedimentum adfert cordis pulſui, nec liberum ei ſpatium, in quo excurrat liberè concedit: tum enim cor in anguſtias veluti redactum, ut ſe ab iis liberet, onuſque excutiat, & retardatum motum reſarciat, concitatiſſimè ſeſe quantum poteſt movet, & ſine ordine, conatuque veluti duplicato geminat motum ad inſtar hircorum invicem dimicantium, ac tam diu concutit ſe & perturbatè movet, quoad inſtans veluti à tergo onus, ſive impedimentum ſi poteſt excutiat.

Quæ accidunt, vel corde adhuc valente, ſibi moleſtum excutiente,

Atqui ſi dum cor his anguſtiis premitur opprimiturque, ſimul quoque vellicetur, & mordeatur adeò, ut robur ejus non mediocriter frangatur, vel aliis de cauſis langueſcant ejus vires ſive retractione ſpirituum ſpontaneâ, ut per animi perturbationes, ſive attritione à quâcunque cauſâ ex ſuperiori capite commemoratis, quid prohibet ſi non propriè ac ſimpliciter tremere, ſed veluti contremiſcere, hoc eſt motu tremulo concuti & ſubſultare, motu ſcilicet conflato ex tremore, & ex motu convulſivo; ex tremore quidem per facultatis ſive oppreſſionem, ſive eſſentialem infirmitatem; convulſivo autem quòd deſiliat ob conatum à morſu concitatum, qui motus formicanti pulſui haud abſimilis?

Vel jam infirmo, & veluti contremiſcente,

Quem ſanè motum edit quoque cor, cùm vaſa ipſa exſiccata præter naturam, ut ab ardore febrili, convelluntur quodammodo: cùm namque cor fibris carnoſis nervoſiſque quodammodo conſtet, & carnem muſculoſæ affinem habeat,

Vel tandem vaſis ejus exſiccatis & quodammodo convulſis;

beat, moveatur autem ab animâ ſentiente ſi non κτ προαίρεσιν id eſt ab electione, certè καθ' ὁρμὴν, cur non tremor in id cadere poteſt? aut certè in thoracem, qui cordis inſtar ab inſtinctu movetur, ſaltem inter dormiendum non cadet. Quia igitur cor movetur motu animali ſed irritatum, & ſubſilit ſubſultatve, ut excutiat noxiam, motus hic cordis minimè ſimplex cenſendus, ſed compoſitus ex tremore ſcilicet & convulſivo motu, qualis in piſcibus ſive moribundis, ſive vibratione corporis & reſilitione evaſionem molientibus, aut qualis in corpore jacente & ſupino ſi pungitur, quippe quod ſimul univerſum attolli nequit. & conſtant motu compoſito, convulſivo ſcil. & tremulo.

Sed enim amabò quænam materies & undenam in cor irrepens eas turbas ciet? an ſanguis tenuis fervenſque in magnis vaſis & cordi vicinis, certè ejus anathymiaſis? propenſio ſanè adoleſcentiæ & temperaturæ calidæ humidæ in palpitationem a Galeni experimento, & prægreſſa menſium ſuppreſſio in mulieribus frequentiſſima non levia ſunt argumenta; ſed longè certius quòd liberalis venæ ſectio ſemper profuit Galeni annotatione. Cauſa earum materialis eſſe poteſt vel ſanguis tenuis fervenſque.

An ſpiritus ſeu vapor quicumque acer & mordax imò venenatus? ita profectò invaſio, ſolutioque morbi id ſatis inſinuant, & flatus toto ventre turgentes, pulſatioque arteriarum ad dorſum, & in temporibus, ſibilique aurium prænuncii, imò comites palpitationis cordis in hypochondriacis id ſignificare videntur, & experientiâ conſtat à venenis omnibus præſertimque calidis expirantibus vaporibus tetris & deleteriis cor ſalire vehementer. vel ſpiritus ſeu vapor acris, mordax, & venenatus.

Quid verò ſeroſa colluvies? hæc ſanè frequentiſſima cauſa palpitationis cordis ſi ea ventriculos ejus irruat ſive aſcenſu quodam & metaſtaſi, aut epigeneſi è vaſis magnis ſcilicet & potiſſimùm arteriis, imò è viſceribus ſanguinis officinis fervore concepto deſubitò exundans, concepto (inquam) à levi & latente cauſâ, ut vi tempeſtatis aëriæ, aut animi perturbatione; ſive deſcenſu è pulmone multâ aquâ ſcatente, eâque aut à liberaliore potu ut indicavit a Hip- ſed frequentiſſimè ſeroſa Colluvies.

a Lib. 2. de locis affectis.
Pauli lib. 3. cap. 24.

α Hippocrates, vel è cerebro ſenſim depluente:

OBS. XXXVIII. *Ut obſervavi hodiè manè in paupercu-lo adoleſcente viginti annorum ſcilicet, qui à tuſſi biennio jam durante palpitationem cordis cum difficultate ſpirandi patitur à ſex & amplius ſeptimanis.*

quæ in vaſis ebulliens ſubitam invaſionem & ſolutionem facit;

Atque ob cauſas primi generis palpitatio benè valentes & ſine cauſâ manifeſtâ derepentè quidem, ſed non ita pertinaciter exercet: nam à ſero ebulliente ſubita certè invaſio ſolutioque eſſe poſſunt ob inſitam ejus tenuitatem. (Neque enim flatum ſeu vaporem alienum è viſceribus per vaſa irrumpere adeò anguſta facilè dixerim, niſi per eum ſerum ebulliens intelligere placet & ita de nomine duntaxat altercatio erit, eaque logica id eſt vana) hinc β palpitationi maximè obnoxii tum qui ſatietati, temulentiæ, otioſæ vitæ, & ejuſmodi cauſis, quæ ſeroſam augent colluviem, mancipati ſunt: tum ætates, & temperies, atque tempeſtates anni ad ejuſdem congeſtionem propenſæ.

At ex eis in pericardium & propriam cordis tunicam ſenſim exiliens, difficilem & pertinacem:

Quid ſi ſerum ipſum ſenſim è particularibus vaſis tunicarum cordis (pericardium intelligo & propriam cordis tunicam) exiliens ſive inter cordis parenchyma tunicamque propriam, ſive in amplum pericardii ſpatium vacuum gliſcat, eâque copiâ congeratur tandem, quæ oneri ſit cordi, & libertatem in eo ſe movendi deneget? haud dubiè ſanè difficilis & pertinax ab hac cauſâ palpitatio cordi accidit, quam non ſolùm ſenſus ægri ſibi cor veluti in aquâ innatare ac moveri ſentientis declarat, ſimulque morbi diuturnitas, quippè cùm hæc aqua haud facilem exitum habeat, & viam minimè relegere poſſit, ob denſitatem autem & teporem membranoſi corporis neque facilè digeri valeat.

Atque hoc experientiâ confirmatur.

Sed anatomia confirmat potiſſimùm experientiaque non ſolùm Galeni ſed omnium ferè Medicorum, *nam apertis cadaveribus diuturnâ laborantium palpitatione pericardium plurimâ turgens aquâ reperitur:*

OBS. XXXIX. *Ut in quibuſdam obſervavi, & anno ſupe-*

α Lib. de flatib. Aph. 20. 21.
β Galen. lib. de tremore cap. 5.

ſuperiore viderunt M. Petrus Barotus Doctor & Profeſſor Anatomicus noſtri Collegii, & M. Antonius Chirurgus in corpore cujuſdam Gorzenſis oppidi incolæ Jacobi Loret longè antè palpitatione laborantis, & ſpirandi difficultate : in eo namque repererunt pericardium immanem in tumorem elatum pluribus libris aquæ diſtentum. Nec enim mirum eam membranam diſtendi poſſe ſenſim ſine ſenſu in eam amplitudinem, *cùm olim obſervârim in Elizabetâ des Bordes membranam renis in eam amplificatam longitudinem, quæ univerſam abdominis capacitatem ſervatâ tamen figurâ exactè coæquaret, & quatuordecim libras puris exeſo ſcilicet parenchymate & ſuppurato contineret, nec ab eo pondere per aliquot annos continuitatem amiſiſſet.* Scilicet natura membranæ eſt ductilis & extenſilis in omnem differentiam ſupra fidem. Obſervatio.

Atqui cùm palpitatio potiſſimum ſuccreſcat aut à ſero in vaſis ferveſcente, & inde in cordis ſinus deſubito inſiliente, aut in pericardio contento, vel propriâ ejus tunicâ; illam quidem cauſam ſubitus indicat inſultus, pulſatio arteriarum in temporibus, ſonitus ſibiluſque aurium, oculorum caligo, & repentini dolores, & ſenſus flatuum diverſas pervagantium partes, quam conjecturam confirmat temperies, & conſtitutio viſcerum ad calorem & ſiccitatem prona, cujus indices præcipuè ſunt gracilis habitus & capillamentum nigrum. Prioris ſigna diagnoſtica, & cauſæ antecedentes.

At vero palpitationem ab aquâ in capſulâ cordis, tunicâve ejus propriâ contentâ arguunt cùm ſenſus cordis ſuffocationis in multo humido, tum pulſus non adeò magnus, vehemens, & concitatus, ſiquidem cor non poteſt liberè ſpatiari in obſtructâ capſulâ; tum verò affectus continuitas pertinaciaque ob cauſas antè memoratas, & febricula hecticæ ſpeciem referens, ſiquidem & aqua loco cordi adeò vicino concludi & quieſcere minimè poteſt, quin tandem putorem contrahat, & verò cor eam putredinem ferre nequit quin viciſſim recaleſcat præter naturam. Coindicant autem ejuſmodi cauſam tabes corporis, & ſpirandi difficultas, tabes quidem eaque ſine cauſâ manifeſtâ, febriculæ ſcilicet illius & ferè inperceptilis comes, ſpirandi autem Poſterioris ſigna.

difficultas, quæ à parvo licet corporis motu non mediocriter augetur, quia nimirum parvus pulſus, & impeditus minimè uſui ſatisfacit, ut crebritate reſpirationis ſit compenſandus, aut potiùs quia pulmoni non eſt liberum in hoc affectu reſpirare quantum uſus exigit.

Age igitur quoniam palpitatio cordis ſubita quidem & benè valentes ſine manifeſtâ cauſâ adoriens cauſam habet illuviem ſeri in vaſorum truncis ebullientem, impetumque in cor facientem, quæ autem lentè invadit & pertinaciter diuturnoque tempore cor præpedit & conſtringit ſine induciis, ea cauſam habet ſynatriſmum ejuſdem ſeri in cordis tunicas ſenſim ſine ſenſu illabentis, illius quidem profectò *Curatio* quemadmodum *Præſervatio* (nam quæ præſentem affectum aliquem curare nata ſunt, illa multò magis impendentem avertere & prohibere poſſunt) tentari debet ***remediis ſeroſam plenitudinem imminuentibus*** nec non ***ebullitionem atque etiam impetum in cor coërcentibus***, denique ***collectum ſerum vacuantibus***: hæc autem ***potiſſimum his remediis ultimis*** compleri debet. ***Cùm autem hiſce ſcopis accommodata ſint innumera medicamenta, ea certè ex tam magnâ ſylvâ eligenda ſunt, quæ cum corde familiaritatem habent, eique robur afflare idonea ſunt, in cujus quippe roboris conſervatione præcipuum momentum poſitum eſt.***

Curatio & Præſervatio eadem:

Perficiturque triplici ſcopo;

Qui in univerſum abſolvitur:

Ergo principiò quia ſerum non niſi ſimul cum ſanguine ebullit, etſi hujus levis obſcuraque eſt admodum ebullitio, & præterea impetus, quemadmodum & ebullitio ſeri non meliùs ſiſti poteſt quàm detracto derivatoque à præcordiis ſanguine; & calida porrò complexio quæ ſanguinem ad ebullitionem maximè reddit oportunum, non mediocriter temperatur à ſanguinis detractione, quâ potiſſimum etiam minuitur copia ejuſdem, quæ eſt occaſio effervefcentiæ ſpontaneæ ſanguinis, & ſeri; denique quia particularia remedia quæ diſſipare valent ſeroſam in corde aut juxtà cor colluviem, & topica ſunt, tutò atque impunè admoveri nequeunt corpori plethorico, conſultum ſanè erit imprimis præmiſſo leniente & minorante medicamento ſive ***hierâ ſimplici***, ſive ***melle roſaceo ſolutivo*** tundere ***baſilicam*** ex

I. Serum abundans & ebulliens ſiſtendo

per V. S.

(Lenientib. & minorantib. præmiſſis.)

ª Ga-

α Galeni conſilio, vel ad majorem revulſionem *ſaphenam pedis* præſertim ſi *menſes vel hæmorrhoides* ſubſtiterint, & utramvis è directo viſceris, quod fons ſeroſæ plenitudinis judicabitur eſſe ſive ſit hepar, ſive lien: quæ ſanguinis detractio partitè, & per epicraſin fieri debet potiùs quàm confertim, ut virium robur magis conſervetur; imò omitti debet in evidenti jam macie à palpitatione vitio pericardii ſuccreſcente.

Eam autem ſtatim excipiet univerſalis ſeri purgatio per alvum: nam ſerum purum putum ut purgetur nullâ inciſione, abſterſione, aut ejuſmodi alio apparatu indiget, ut antè monuimus. In medicamentorum autem purgantium cenſu familiam ducunt *ſemen carthami*, *ſena orientalis*, *terebintina*, *pulvis hieræ*, *agaricus*, *rheumbarbarum*, *braſſica marina*, *& diaphœnicum*, *electuarium de citro & ejus generis exhibita in formâ ægris gratiore ſolidâ*, *vel liquidâ*, *cum illis ſcilicet manna*, *ſyrupo vel melle roſaceo*, *aut de polipidio diſſolutis:* nam ratione conſervationis virium, quarum monitu β Galen. providentia haberi debet, vehementiora cathartica minimè placere poſſunt. II. Idem evacuando per univerſalem purgationem.

His igitur duobus generoſis remediis venæ ſectione ſcilicet & purgatione præmiſſis, & ſi affectus contumacia exigit repetitis, imò uſurpandis Vere & Autumno præcautionis gratiâ, & quovis tempore palpitationem periodicè recurrere fuerit obſervatum, commodùm accedent præſente affectu *particularia diverſionum genera* ſive *externa*, ſive *interna*. Atque in illis principem locum habent *cucurbitulæ frictionibus*, *& ligaturis præſertim extremarum partium adjunctæ cruribus*, *lumbis*, *vel etiam ſed rariùs dorſo admotæ*, quæ ſcarificari poſſunt ſi præſertim venæ ſectio metuitur ob virium languorem. Quæ duo Vere & Autumno nonnunquam repetenda. III. Per diverſionem imminuendo tam per externa,

In internis autem ſunt *diuretica*, quæ eò obnixiùs uſurpanda, quò minùs æſtus totius, qui à ſudorificis accendi poteſt, horum uſum permittit, & quò iis ineſt quoque vis quædam influxam diſſipandi materiam. Illius ergo generis me- quàm interna, ſcilicet diuretica.

α Lib. 13. Meth. cap. 11.
β Lib. 7. Meth. c. ult.

medicamenta *ſimplicia* quidem ſunt *radices quinque aperientes*, *rubiæ majoris*, *ſcorzoneræ*, *herbæ capillares*, *betonica*, *meliſſophyllon*, *roſmarinus*, *ſampſucus*, *cardiaca*, *virga aurea*, *ſcordium*, *ſemina aniſi*, *citri*, *ocymi*, *lignum aloës*: *compoſita* autem ſunt *ſyrupi ex prædictis radicibus & herbis*, *ſyrupus conſervationis citri*, *oxymel ſimplex & ſcylliticum*. Ex hiſce medicamentis *decocta*, *apozemata*, *pulveres*, *tabellæ aut conſervæ paratæ* commendantur, & iis *rheum adjunctum* ob mirificam vim diureticam; pariterque *pulverem radicis rhapontici*, *aut infuſum ejus in vino* maximoperè laudo: quibus tamen frigida & temperatiora adjungi cenſuerim (cùm præſertim temperies totius ad calorem vergit & ſiccitatem, ut ferè vergit) qualia ſunt *borago*, *bugloſſa*, *roſa*, *ſcorzonera & ſyrupus de pomis*, *ſyrupus de ſucco acetoſæ*; quæ temperata præcipuè locum habent in palpitatione periodicâ, quæ à fervore ſeri in vaſis magnis ortum habet, in quo maximè comprobo *aquas acidas*, quòd inſigni vi diureticâ polleant, & ſeroſam colluviem totius maximè eluant.

& per alvum & renes ſimul, Ut Syrupo de ſcoriâ chalybis Ludov. Mercati.

Utrique autem prædicto ſcopo ſcilicet vacuandi aquas per alvum, & maximè renes mirificè ſatisfacere poteſt *Syrup. de ſcoriâ chalybis* utpotè experimento fidiſſimo comprobatus ab autore *Lud. Mercato:* lubens enim fido ut debeo, Magnorum Virorum experimentis & inventorum gloriam autoribus refundo, nec aliorum labores inſtar mulieris Plautinæ eo ſuppoſitum mihi. Eſt autem hujuſmodi ℞. *Aquæ lupulorum libras iiij. in iis extinguantur quater chalybis igniti ℥ vj. & iterum in eâdem aquâ totidem ℥ chalybis & toties extinguantur: factâ colaturâ adde ſcoriæ chalybis præparatæ aquâ roſarum ℥ vj. paſſularum ſine nucleis ℥ iiij. & per tres dies in prædictâ aquâ macerentur, tandemque ad conſumptionem tertiæ partis ebulliant: factâ iterum colaturâ adde radicum rutæ & rumicis ana ℥ ij. radicum cichorei & fœniculi ana ℥ j. ß. agrimoniæ & capillorum veneris ana m. ij. iterum bulliant & poſt ſeparationem ab igne adde foliorum ſenæ ℥ ij. ſeminis carthami conquaſſati ℥ j. factâ poſt refrigerationem mediocri expreſſione adde ſaccari q. s. & fiat ſyrupus, cui adde antequam refrigeretur ſyrupi de duabus radicibus, &*

de

de cichoreo ana ℥ ij. ejus autem ſyrupi ℥ ij. manè exhibendæ ſunt.

Interea autem dum ſerum divertitur prædictis diureticis, non inutile erit *repellentibus topicis*, & ſimul *modice diſcutientibus cordi admotis* uti præſertim in palpitatione periodicâ, cujus generis *unguentum roſaceum cum tantillo corticis citri, aut cinamomi pulvere, vel unguentum naphæ, ſacculi ex floribus cordialibus, chamæmeli, anthos, & granis aliquot moſci.* IV. Repellendo & modice diſcutiendo per topica.

Age autem aqua ſive cordis ventriculos oberrans, ſive potiſſimum à longo tempore in pericardio ſtagnans *potenter diſcutitur tum internis, tum externis.* Inter illa autem commendantur *flores & cortex citri conditus, mirobalani conditi, nux moſcata condita, aquæ & conſervæ meliſſæ, anthos, cardiacæ, ſcorzoneræ, naphæ, tum ſpecies aromatici roſati, diamargariti calidi, diaſcordii, de gemmis, diambræ, diamoſci, confectio alkermes, magnæ antidoti:* ex quibus tabellæ, opiatæ, aut mixturæ diverſæ parari poſſunt, niſi ſimplicium uſus magis placeat, quæ tamen meo judicio temperari ſemper debent additis cardiacis refrigerantibus, cujus generis ſunt *flores cordiales, ſcorzonera, ſantala, ſyrupi de pomis, de limonibus, conſervæ bugloſſi, ſcorzoneræ*, quæ in calidis admodum naturis ſuperare debent in mixturis: exempli gratia hic *Julepus* utilis erit, ℞. *Aquar. bugloſ. borag. ſcorzon. ana q. j. ſyrupi de pomis & conſervationis citri ana ℥ ij. miſce, fiat julep.* vel hic *ſyrup.* ℞. *ſuccor. depuratorum borag. acetoſæ, endiviæ, citri, betonicæ, pomorum redolentium ana ℥ ij. aquar. borag. & ſcorzoneræ ana ℥ iij. pulveris electuarii de gemmis ʒ. ij. confectionis alkermes ʒ. j. ß. bulliant leviter, & colaturæ adde ſaccari q. ſ. cujus uſus bis in die cum aquis cardiacæ, ſcorzon. & tantillo vini aromat.* Atqui hujuſmodi temperatis ſive julepis ſive ſyrupis non abſurdè præmandi poſſunt vel *conſerva anthos, vel tabella aromatici roſati, vel opiata ex illis calidioribus & magis diſcutientibus concinnata.* Atque hæc interna ſuperiùs memorata remedia non ſolum ſerum ſive in corde, ſive in toto inſenſibiliter diſcutiunt, ſed etiam ſenſibiliter per renes vacuant. V. Potenter diſcutiendo tam per interna;

Porrò Galen. *caſtoreum* ſummoperè commendat & *thermales aquas nitroſas, ſulfureas, quales noſtrates plumberianæ*, quæ epotæ ſaltem non poſſunt non prodeſſe, nam ambigo certè an palpitantes corde per ſpirandi difficultatem conjunctam lavacrum thermarum ferre poſſint: quam ob cauſam metuo à ſudorificis quanquam hæc averſioni & vacuationi feroſæ illuviei opportuna eſſe videntur.

quàm per externa remedia.

Cæterùm quod ad *externa remedia & topica* attinet varia laudantur, litus ſcilicet calidi actu toti thoraci admoti ex *oleis liliorum alborum cum aromatibus, jaſmino, nardino, aniſi, cum diambrâ & ſimilibus: vel unguentis naphæ: epithemata ex aquis meliſſophylli, calendulæ, majoranæ, florum citri, vini albi aromatici cum pulveribus cinamomi, croci, moſci: ſacculi pariter* cujus exemplar hoc: ℞. *cariophyllorum, roſarum, florum anthos, citranguli ana* ℥ *ij. corticis citri, zedoariæ, maceris, ſeminis ocymi, angelicæ ana* ℥ *j. moſci, ambræ ana, g.* v. denique ex eorundem decoctis in *aquis naphæ, ſcorzoneræ, & modico vino fotus fieri poſſunt.* Poſtremò *emplaſtra ex magnis antidotis* adhibentur utiliter, ſed eâ lege, ut temperentur additis refrigerantibus, nam calida vehementer non ita tuta, à quorum quippe uſu fervor feri increbreſcere poteſt.

VI. Attenuando & ſiccando per diætam.

Poſtremò certum eſt victus rationem attenuantem & exſiccantem omnino convenire, quæ potiſſimum in parciore potu & liquidorum uſu conſiſtit. *Carnes* igitur in eſum venient *euchymæ & aſſæ, vinum vetus & optimi odoris, ſed aquoſum aut dilutum aquâ meliſſæ & parciſſimè ſumptum*, cujus vicem gerunt *aqua in quâ aurum ſæpius extinctum*, vel *decoctum ſazaphraſſæ, aut aqua ſtillatitia in duplici vaſe parata ex jure pulli infarcti floribus & radicibus cardiacis cum pulveribus gemmarum:* denique hic *pulvis digeſtivus non inutilis* ℞. *coriandri præparati, fœniculi dulcis ana* ℥ *j. raſuræ cornu cervi, eboris, oſſis de corde cervi, pulveris margaritarum, coralli rubri ana* ℨ *j. cinamomi g.* v. *ſaccari roſati lib. j.* denique alvus in officio retinebitur uſu *clyſterium lenientium & modicè calefacientium.*

C A-

CAPUT III.

De Tuſſi.

OBS. XL. *Reverendum Patrem Societatis* Jeſu *Reip. literariæ gubernacula tenentem hyemes circiter decem hactenus tuſſis, eaque trimeſtris, vel etiam pertinacior exercuit, & de die moleſtiſſima, ſed de nocte inducias præbens, eaque febriculâ comitata & aliquando inflammatione gargareonis, palati, & glandularum oris.*

Principiò igitur α tuſſis eſt depravatus motus naturæ ſeu facultatis, ejuſque animalis aſperæ arteriæ, nam ut docuimus in phyſicis, aſpera arteria, movetur motu animali à muſculoſis quibuſdam fibris ſeu carneis annuloſis cartilaginibus inſertis: eſt inquam motus naturæ ſed irritatæ à cauſâ morbificâ, ſcilicet expiratio conferta ac vehemens, ſive exſufflatio naturali crebrior & major, ac ſonora, in quâ bronchia pulmonum ſeſe inordinatè & præter naturam contrahunt, aëremque violenter reddunt, & ad laryngem elidunt non ſine concuſſione quâdam repetitâ, quem motum adjuvat compreſſio thoracis, β quo motu aliàs plurimus ſimul, celerriméque latus ſpiritus ſuo impetu extrudit atque explodit quæcumque vias ſpiritus obſtruunt & impediunt. Tuſſis quid.

Cauſam autem irritantem ſatis indicat conditio tuſſis humida: nam eâ tuſſi rejicere per os conſuevit multam aquam, eamque magis minuſve lentam, pro temporum morbi diverſitate: atqui quia ejuſmodi aqua non niſi ſæpiùs iteratâ concuſſione, & expiratione vehementi excernitur arguere eſt eam ex ipſis bronchiis vel extremis, non ex ſolo larynge ſeu capite bronchiorum aquam moleſtam excuti, ſurſumque attolli, & in fauces aſcendere, ex quo illius fontem ſeu ſcaturiginem vel eſſe pulmonem ſeu vaſa pulmone inferiora, quæ in pulmonem aqueum humorem rejectâ- Cauſa irritans ſeu continens eſt Aqua.

α Gal. lib. 2. de ſympt.
β Gal. lib. 1. de ſympt. cap. 4.

jectârint, arterias ſcilicet leves, vel eſſe caput neceſſe eſt: nam quidquid influit in pulmonem id ſubierit per aſperæ arteriæ, vel levium arteriarum orificia neceſſariò.

Cujus fons caput.

Sed enim non pulmonem ſed caput potiùs fontem eſſe, è quo is humor vel ſenſim ſine ſenſu in aſperam arteriam depluerit idque de nocte, ibique cunctatus tantillum, & ob cordis viciniam fervore novo concepto fermentatus irritaverit ſubitò facultatem, atque ad tuſſim, hoc eſt, expirationem præter naturam coëgerit; vel potiùs affatim decubuerit de die (quippe noctu ſupprimi ſolet omnis per ſomnum vacuatio præter ſudorem) & ob tenuitatem quidem primis diebus; ob craſſitiem autem & lentorem progreſſu morbi primo quoque motu minimè ſurſum à ſpiritu efferri potuerit, ſed tantùm iterato ſæpius motu, hæc ſanè habeo argumenta.

Quod probant 1. lentor aquæ tuſſi rejectæ.

In primis namque aqua tuſſi rejecta lentoris eſt particeps magis minuſve, & omnino germana & ſimilis ei, quæ è capite ſecundùm naturam per colatorium trajecta expuitione in ſanis reddi ſolet, certè in principio catarrhi, (progreſſu enim temporis craſſior lentiorque evidenter redditur) & in gravedine & coryzâ: lenta (inquam) quia inter depluendum è cerebro ſerum abſtergit neceſſariò aliquid mucoſi cerebri excrementi.

2. Nullus in thorace gravitatis ſenſus.

Præterea è pulmone certè primò non potuit venire, & ab eodem rejici, quin primis diebus ſenſus aliquis in thorace gravitatis & oppreſſionis fuerit, unáque aliqua in ſpirando difficultas; quæ ſymptomata quia non niſi progreſſo multùm morbo ægrum premere conſuevêre, à pulmone primò fluere materiam moleſtam probabile non eſt.

3. Colluviei cephalicæ indicia manifeſta: deſumpta tum à cauſis procatarcticis,

Accedit quod colluviei cephalicæ indicia longè manifeſta ſemper adfuêre, & imprimis ſtudia ſeria, moroſaque Theologiæ ſcholaſticæ, quam plures annos publicè profeſſus eſt, acerrimæque animi meditationes, & curæ graves ac aſſiduæ occaſionem ei maximam præſtitêre; nam cùm animo curis ſtudiiſque intento ſanguis unà cum ſpiritu plurimus ad caput continenter accurrat, neceſſe eſt profectò plethorâ illud laborare, & maximè ſeroſâ colluvie: præ-

præterea calore & ſpiritu animalibus vacante functionibus certum eſt naturæ munia non mediocre capere detrimentum, & in primis excrementorum excretionem per vias convenientes & à naturâ inſtitutas.

Ad hæc plethora non poteſt non oneri eſſe homini ſedentariæ vitæ mancipato; nam etſi ambulationibus crebris per amplam domum officia publica eum obligarent, tamen ejuſmodi ambulationes tardæ, quæ virum gravem decent, minimè vim exercitationis habere poſſunt, quippe quæ ſemper labor eſt & ſudorem terminum habet: ſed ad ejuſdem plenitudinis ſeroſæ in toto, & capite augmentum hyberna conſtitutio non minimum momentum adferebat, cùm illa nihil digerat, ſed denſatis toto corpore poris ſerum cohibeat. tum antecedentibus internis,

Poſtremò confirmant hanc plenitudinis ſeroſæ opinionem hæc, ſcilicet inſolitæ capitis gravitatis ſenſus in mediâ tuſſi, totius oris inflammatio, vox minimè libera præ obturatione meatus palati & narium, denique torpor alterius brachii ab aquæ è capite decubitu ſæpius & diu in anno viro religioſo incommodus. *Quæ cùm ita ſint, quid mirum accedente cauſâ movente plenitudinem eam capitis ſive per* α *colatorium, ſive per venas extremas oris impetum cœpiſſe in partes capiti ſubjectas: ſerum ſcilicet primum magnâ vi expreſſum depluiſſe in pulmones, tum poſteà ſanguinem etiam ipſum ſubſtitiſſe in oris partibus?*

Ita enim ſentiendum eſt cùm hyberna frigidaque anni conſtitutio plethoricum corpus in *R.*[do] *Patre* offenderet (licet namque domi reſidem vitam ageret, tamen injuriis ambientis obnoxium vixiſſe non ſolùm ex frequenti è conclavi egreſſu intelligere eſt, ſed ex eo quòd in peramplo conclavi tepore ignis domeſtici nuſquàm recreato ſederet dormiretque hyemes totas) ita, inquam, ſentiendum eſt ſanguinem quidem ex corporis habitu externi vi frigoris intrò repulſum ſponte ſuâ ut ſolet viſcera & maximè hepar impetere, ejuſque vaſis uſque & uſque intruſum & incuneatum continenti febri eique parvæ, ſed diuturnæ (*quales* Cauſa externa movens. Unde febris continens & diuturna.

Cc *hye-*

α Os Ethmoides.

hyeme vigere ſolent & ideò laticæ dicuntur, & alioqui in magnâ plethorâ exiſtunt ferè principia inflammatoriorum affectuum viſcerum) principium dediſſe, plethoram autem capitis ab eâdem cauſâ leviter ebullientem cum reliquo ſanguine & commotam tuſſi unaque inflammationi partium oris materiam præſtitiſſe, commotam ſcilicet ſive ratione febris ſed mox depoſito fervore ſpontè ſenſim depluiſſe, ſive etiam ratione frigoris ambientis expreſſam depulſamque in thoracem decubuiſſe. *Hæ enim ſunt frequentiſſimæ cauſæ impellentes ſeroſam in capite colluviem ſubjectas in partes ſive externas, ſive internas & catarrhorum, quemadmodum & gravedinis, corizæ, & raucedinis motrices.*

De ejuſmodi autem exeuntibus immutatis per os, nares, fauces decumbentibus quanquam frequentiſſimis, quia tamen leviſſimis non fuit tanti ut particulares obſervationes traderemus, cùm præſertim de iis raræ apud Medicos querelæ & quarum alioqui cauſa providentiaque ex hoc diſcurſu haberi facilè poteſt.

Hæ ergo ſunt cauſæ moventes catarrhi, imò febrium continentium à ſanguine viſcera ſeu fontes ſuos impetente, quæ paſſim cum catarrhis ſunt conjunctæ, quia in ſanguineis naturis ſeu corporibus plethoricis & calidis humidis caput paſſim multo ſcatet ſero, & aliàs hyeme graſſantur nunc modicæ, nunc vehementes pro plethoræ magnitudine & hyemis algore, ut aliàs pluribus demonſtrabimus. Nam à febris calore quanquam eſt communis opinio fluxiones concitari, quòd humores liquentur fundanturque, & per apertas ab eâdem cauſâ vias procliviores ſint ad deſcenſum, id mihi tamen parum probabile videtur, cùm nec concretos in cerebro humores reperire ſit, nec reliquos à ſeroſo humores calor liquet, ſed incraſſet potiùs, ut ex phyſicis conſtat.

Itaque veroſimile eſt potiùs per febrem ſerum in ſanguine ferveſcere & ferveſcens è vaſis exilire, atque effuſum poſteà ſpontè depluere.

Frigus fluxionem concitat, Jam quod ad frigus attinet alteram fluxionis motricem cauſam, illud ſanè non eâ ratione fluxionem concitare quòd

quòd ejus vi calore influente *(quanquam eſt opinio Mercati)* coacto introrſum & adaucto humores liquentur, atque viæ aperiantur, veroſimile mihi videtur propter dictas modò cauſas & multò minùs quòd id congelet humores in nobis, vel comprimendo cerebrum eoſdem humores exprimat, licet communis ſit omnium medicorum opinio: quia nimirum *(ut prudenter advertit Mercatus)* cerebrum tantum vivente animali frigus ſuſtinere nequit quantum opus eſt, ut partes præ congelatione condenſatæ intra cranium depellant humores, partim ſcilicet quia tantum abeſt ut cerebrum eam ferre ſummam frigiditatem valeat, quæ calorem extinguere graviſſimaque invehere mala poteſt, ut ne minorem impunè ferendo par eſſe valeat à minore, quippe cum cerebrum lethargo, & ſoporiferis id genus affectibus ſoleat tentari: partim quia aqua longè faciliùs congelaſcere nata eſt, quàm cerebri corpus craſſum concreſcere: ſubſidet itaque aqua potiùs contra hypotheſin quàm fluet, ut intelligere eſt ex refrigerantibus & comprimentibus medicamentis, quæ coërcere ſiſtereque fluxiones experimento conſtat: partim denique quia calent in nobis revera actu omnia, ut Galenus neget excrementa in alvo frigore poſſe indurari. Itaque fluxio certè à cerebro non fit in partes ſubjectas à frigore per cerebri compreſſionem qualiter compreſſâ manibus ſpongiâ aqua intus aſſervata exprimitur diffluitque: quid igitur? non humores liquando, neque congelando, aut cerebrum comprimendo;

Probabile mihi certè videtur à frigore vaſa externa præcipuè ſed interna quoque ſi præſertim rariorem corporis habitum à calore interno redditum offenderit, altiùs penetrante denſari comprimique aliquatenus, & ex iis ſerum exprimi expellique redundans alioqui in maſſâ & fluxile à naturâ, itaque expreſſum, & ſimul pulſum ſpontè poſtea delabi & decurrere. Sed vaſa externa, & interna denſando, hinc inde ſerum redundans exprimitur, expelliturque.

Hoc docet profecto experientia quotidiana: Autumni namque primo frigore unuſquiſque in ſe experitur aut mictionem plurimam & crebram, aut alvum liquidis diffluentem excrementis; imò quâcumque anni tempeſtate deſubito Boreâ ſæviente, totâque hyeme evenire idem, quanquam etiam vis frigoris altiùs penetret, ſuique potiùs indu-

cat ſenſum quàm adaucti caloris, ut hæc calori liquanti humores accepta referri nequeant. Id ſanè confirmant arthritides & omnis generis fluxiones præcipiti autumno, & conſtitutionibus frigidis ex α *Hippocratis obſervatione* familiares, quæ fluxiones diluviei è capite ſunt effecta, ut poſtea docebimus.

OBS. XLI. Denique ut ad tuſſim ſermonem contraham, *eam vim ambientis hactenus ſemper probavi periculo meo, ut nunquam hyeme verticem capitis, & ſuturam coronalem detegam, quin extemplò tuſſicula mihi ſuboriatur, quod & pleriſque aliis familiare eſſe animadverti:* adeò magnam frigus externum vim habet in ciendis fluxionibus è capite, quippe quod nunquam non aqueâ colluvie ſcatet.

Summa dictorum.

Concludamus ergo, *per anacephalæoſin præſentem tuſſim ſeu depravatum motum pulmonum, aut potiùs bronchiorum in iis ſeſe unà cum thorace coarctantium* (hæ namque partes mutuas ſibi ratione communis officii præbent operas, & eo fine, ut aëre confertim expirato emiſſoque per arterias extrudatur ſurſumque efferatur quidquid moleſtiam iis exhibet) *excitari à ſero lento è capite ſive ſenſim de nocte in bronchia diſtillante moxque concepto ob loci calorem fervore naturam irritante ad ſui excretionem, ſive potiùs affatim & de die magnâ vi depluente, nec tam pravâ qualitate aut fervore irritante, quàm copiâ & præſentiâ ſuâ libero aëris ingreſſui egreſſuique officiente; ejus porrò depluvium ſeu defluxum quidem aquæ è capite eſſe motum ejuſdem ſpontaneum ſive eruptionem è vaſis, ebullitionem ſcilicet ſeri cum ſanguine in vaſis factam conſequentem, ſimulque pulſum ejuſdem à frigore ambientis; ſynatriſmi denique aquæ in capite cauſas ſeu occaſiones eſſe partim raptum ſeu affluxum ſanguinis, ſerique è toto per aſſiduas & immoderatas animi occupationes, partim deſidem vitam & in otio corporis traductam, partim totius habitus corporis denſitatem à frigidâ anni conſtitutione invectam.*

Ex quibus ita poſitis facilè eſt *agendorum Indicationes* eruere; certum eſt enim quia tuſſis excitatur naturâ irritatâ à cauſâ morbificâ commeatum ſpiritus ſeu aëris reciprocum

α In lib. 3. Aph. 22.

cum impediente, eam materiam quam demonſtravimus aqueam eſſe cùm ſit *fluxa*, *fluens*, *vel fluxura*, *fluxam* quidem è parte eſſe *expurgandam*, *fluentem intercipiendam ac derivandam*, *fluxuram avertendam*, *& per aliam viam ſeu regionem citra cujuſquam partis injuriam eſſe vacuandam:* & porrò cùm ſive conſiſtentis, ſive commotæ aquæ cauſæ ſint aliquæ & occaſiones, eas omnes *cauſas ſive ſiſtentes*, *ſive impellentes eſſe amoliendas corrigendaſque* quoad fieri poteſt: ac cùm *Tuſſis* etiam quà motus & ſymptomata præ vehementia graviora mala invehere poſſit, itaque *Curationem* ad ſe trahere, *ejus quoque moderationis ſeu mitigationis rationes quærendæ ſunt.*

Curationis ſcopus triplex: I. Reſpicit cauſam continentem, II. Cauſas antecedentes internas & externas, III. Symptoma urgens.

Quoniam ergò in propoſitâ tuſſi ſymptoma in primis aliquatenus urget, & præ ſuâ vehementiâ & crebritate ruptionis vaſorum in thorace metum injicit, adeſt certè ejus moderandi juſta cauſa, cui vel ante omnia vel ſimul cum aliis intendendum ſi fieri poteſt. Atqui quia ea irritatio cauſæ non fit ob triſtem aliquem ſenſum, quem prava qualitas aſperitaſve, aut ſimilis noxa infligat bronchiorum acerrimo ſenſui, aqua ſiquidem ſuâ naturâ lenis & æquabilis, atque in hoc caſu expers alienæ qualitatis & mordacis; ſed quia ſuo corpore liberam viam aëri minimè relinquit, quam obſtructionem inſolitam natura non ferens tam diu ſeſe coarctat ac viciſſim dilatat quoad ſurſum expulerit humorem obſtruentem, illæ certè indicationes, quæ vulgò circumferuntur, aut in leniendâ tracheæ arteriæ aſperitate, ſeu æqualitate obducendâ per lenia lentaque medicamenta, ut ſunt *amylum*, *lac*, *butyrum*, *oleum amygdalinum*, *mucilagines citoneorum*, *pſyllii*, *& id genus;* aut in obtundendâ ſenſus acrimoniâ per refrigerantia v. g. *ſyrupos violaceum*, *de papavere*, *& ſimiles*, locum hic habere non poſſunt, & præſertim hæc, quæ effœminare carneas bronchiorum fibras, quibus tanquam muſculis bronchiorum completur munus; ex quo officii medici ratio in eo potiùs poſita eſt, *ut omnino juvetur perficiaturque naturæ motus in materiâ fluxâ ſtatim & quàm citiſſimè è parte expurgandâ*, præſertim cùm materia hæc ſi moram trahat

I. & III. Scopus unius generis remediis procuratur:

(Neglectis iis quæ vulgò indicantur.)

(Prognoſis.)

 per

per viginti dies aſthma inferre ſit nata apta judicio viri multùm experti. Itaque hæc indicatio prima concidit cum peâ, quæ materiam fluxam reſpicit, quæ certè verſatur potiùs in amoliendis iis quæ motum naturæ retardare poſſunt, & interea in robore moventibus partibus addendo.

Ubi 1. materia influxa, deſiderat,

Atqui *tenuitas humoris, vel craſſities, illa quidem in principio, hæc in progreſſu* affectus ſunt in cauſâ difficilis motus naturæ ſive expurgationis humoris fluxi, quæ expurgatio, quàm per tuſſim perfici non poteſt nec debet, (nam etsi per vaſa pulmonum levia diureticis tentari poteſt, tamen tutum id non eſt, ne magis magiſque lædatur pulmo, & graviora ſymptomata aſthma ſcilicet, & palpitatio inducantur) tenuitas nimirum eſt in cauſâ, ut antè à ſpiritu emiſſo humor dividatur ac diffluat, quàm arripi comprehendique ab eodem poſſit, ut ſuſtollatur protrudaturque, craſſities autem & lentor ejuſdem ſpiritus vires exuperant, & reſpuunt, ex quo excretio profectò materiæ fluxæ plurimùm juvabitur, ſi tenuitas & craſſities lentorque corrigantur.

in principio, humoris tenuis incraſſationem;

Illud igitur fiet beneficio [a] medicamentorum arteriacorum lambendo aſſumptorum, quòd eâ ratione in arterias ſenſim tenuiores eorum partes reſudent, eorumque temperatorum, ſed molis craſſioris, & alioqui facilè cum aquâ coëuntium, ut per eorum commixtionem aqua ad mediocrem ſubſtantiæ modum reducta non ita præterfugere poſſit aëris efferentis conatum: *Hoc* verò conſequi licet à medicamentis tenui fluxilique ſubſtantiâ modò conſtantibus, & vim abſtergendi validam habentibus. In primo cenſu ſunt, *radices bugloſſi, ſemina frigida, malvæ, bombacis, portulacæ, jujubæ, ſaccarum candidum, roſaceum, ſyrupi de jujubis, de roſis ſiccis, de liquiritiâ, & ſuccus ejus, ſyrupus myrtillorum, diatragacantum, diaſpermatum, diacodion ſimplex, ex. gr.* ℞. *emulſionis ſeminum melonum, papav. albi, pſyllij* ℥. *iiij. tragac. amyli ana* ʒ. *j. cinamomi* ℈. *j. cum ſaccaro roſato q. ſ. fiant teſſellæ pro* ʒ. *iij. quarum uſus ante prandium & ſomnum.* In hoc verò genere commendantur *mulſa, ſac-*

in progreſſu, ejus ad mediocri-

[illegible] *ca-*

[a] Gal. lib. 8. de placitis Hipp. & Platonis.

carum candidum, *ſyrupus de farfarâ*, *capilli veneris*, *oxymel ſimplex*, *ſyrupus de hyſſopo*, *ſyrupus de praſſio*, *oxymel compoſitum*, *oxymel & acetum ſcylliticum*. Humoribus autem fluxioni aptioribus redditis motus partium juvari poteſt per *medicamenta bechica ſeu tuſſicularia*, quibus natura ſopita excitatur quodammodo ad citatiorem & vehementiorem motum, id eſt tuſſim; hujus generis *acetum*, & quæ ab eo compoſita modò enarrata: qui motus etiam juvabitur ex *litu olei irini* ℥. *ij. axungiæ gallinæ* ℥. *j. mucilaginis ſeminum lini*, *& fœnugræci cum modico vino* ℥. ß. *& croci tantillo*. tatem redactã abſterſionem, & per tuſſim ejectionem.

Age *fluens materia certè intercipi poteſt ſive retineatur, ſive derivetur*; retinebitur autem incraſſantium uſu, quæ ſiccandi & aſtringendi ſimul vim habeant, quæ ore continebuntur, quibuſve os colluetur. Ejus generis ſunt incraſſantia modo præſcripta: *mucago tragacanti extracta in aquâ roſarum*, *ſaccarum roſaceum cum terrâ lemniâ*, *tragacantum cum bolo armenâ*, *ſyrupus de roſis ſiccis*, *e. g.* ℞. *penidiorum*, *ſucci liquiritiæ*, ana ℥. *j. amygdalarum purgatarum*, *nucleorum pini*, *paſſularum exacinatarum*, *tragacanti*, *rhodomellis q. ſ. fiat electarium ad* ℥ ß. derivatio autem fiet non ſolùm digito in os immiſſo, & extracto lento humore ut fit in infantibus, ſed *pane calido cervici impoſito*, *vel cauterio*. 2. Fluens, interceptionem, ſive ejus retentione; ſive derivatione.

Jam *fluxura è capite materia averti ſanè poteſt purgatione capitis*, *& purgatione totius*, *atque omni diverſionum genere*. *Purgatio autem totius* mediocris quidem erit, ne à vehementiori medicamentorum uſu fluxio major cieatur, ideoque repetenda ſæpiùs. Commodùm autem fiet per ea quæ partim refrigerant ratione febris & phlegmones partium oris, partim ſimul aſtringunt, ne concitatior fiat fluxio: convenient itaque *caſſia*, *manna*, *terebinthina*, *ſpecies hieræ*, *myrobolani omnis generis*, *rheum*, *agaricus*, quorum uſus in formâ ægris magis familiari, & primo quoque tempore adminiſtrandus, ſeroſa ſiquidem illuvies minimè præparatione eget. 3. Fluxura ſui averſionem expoſcit: quæ perficitur, α. Purgatione totius mediocri.

Quanquam autem materia fluxionis propoſitæ *venæ ſectio*- ubi etiam locum habent, V. S.

ctionem minimè poſtulet, eam tamen febris ex genere ſynochorum (quanquam parva admodum ratione tempeſtatis anni) & partium oris phlegmone exigunt, quippe cujus beneficio ſedatâ aliquatenus ſanguinis ebullitione, & febre remiſſâ, ſeroque ipſo cum ſanguine vacuato, & alioqui redundante ſubſtrahitur materia fluxionis contumacis fomes: cùm autem per epicraſin, & ratione revulſionis majoris ſemel & iterum adminiſtrari debeat, *primò ſecabitur baſilica, dein cephalica*, interea dum purgatio per medicamenta præſcripta inſtituitur.

Sudorifica, Laudantur autem ad majorem totius, & capitis vacuationem ſeroſæ colluvici *medicamenta ſudorifica ex decocto præſertim ſinæ, ſarzæparillæ:* nam febris uſum guajaci haud permitteret.

OBS. XLII. Equidem vacuationem ſeroſæ in toto colluvici factam per ſudorem etiam ſpontaneum in avertendâ tuſſi plurimùm valere *comprobavi in Rev. altero patre D. Theol. qui à pluribus annis tuſſi gravi aſſiduâque & cum difficili ſpiritu imò ſputo ſanguinis conjunctâ laborans, cùm à biennio ſudoribus matutinis & quotidianis aſſueſcere ex meo conſilio cœperit, eum demum fructum percepit, ut à longo tempore vixerit jam ab illis affectibus immunis, nec niſi rariſſimè ampliùs tuſſiat, & ſolùm cœlo frigido uvidoque.* Ergo illius exemplo ſudorem aſſiduum & de mane R. Pater ſalubriter conciliabit. Etſi autem ſudorifica probantur, illis tamen eâ lege utendum, ut non tam ſudor provocetur, cùm repugnat conſtitutio aëris, ut in propoſito caſu, quàm ut ſeroſa illuvies per renes repurgetur.

& maximè diuretica. Quæ ſanè *averſio ſeu purgatio ſeri per renes* mihi valdè probatur non ſolum per hæc *decocta lignorum exoticorum*, *ſed etiam herbarum vulgarium betonicæ, ſampſuci, origani, calamenti, ſerpilli, meliſſophylli, & ſyrupos de radicibus, oxymel, & id genus.*

Æ. Purgatione capitis particulari, tam ſenſibili, Ac *particularis ſeroſæ illuviei cephalicæ Purgatio* commodè & *ſenſibilis* quidem fiet per *errhina*, de quibus aliàs ſæpè (nam apophlegmatiſmorum uſu fluxio magis magiſque præceps rueret) exempli gratiâ: *Recipe majoranæ, ſalviæ re-*

cen-

recentis, ana *m. j. radicis iridis* ℥. *j.* s. *contuſis omnibus affunde vini albi generoſi qu. j. exprimatur ſuccus prono capite in nares attrahendus antè prandium & cœnam.*

Inſenſilis autem *purgatio* fiet per ea *quæ caput exſiccant*, *roburque ſimul adferunt*, ſive *externa*, ſive *interna*. In illo genere ſunt lixivia quale hoc: *Recipe agarici albiſſimi* ℥. s. *baccarum juniperi*, *mirtillorum*, *aniſorum* ana *m.* s. *decoquantur in lixivio è cinere ſarmentorum facto*, quo caput ſemel in ſeptimanâ ablui poteſt, niſi obſtet cœli inclementia aut febris; quorum vicem ſacculi, ſuffitus, cucufæ gerent. *Recipe majoranæ*, *thymi*, *ſpicæ Italicæ*, *ſalviæ* ana *m. j.* *baccarum lauri contuſarum* ℨ. x. *ſpecierum diagalangæ* ʒ. *ij.* *ſalis communis* ℥. *ij.* *milii lib.* s. *omnia ſimul in ſartagine torreſiant*, *mox ſacculus impleatur*, *quo calido deraſum caput fricetur mane tamdiu quoad rubeſcat.* *Recipe roſarum rubrarum*, *maſtichis*, *vernicis*, *ſuccini* ana ℥. s. *melanthii* ʒ. *ij.* *ſtyracis calamitæ* ʒ. *j.* *cariophyllorum* ℈. *j.* *contundantur terantur que in pulverem craſſiuſculum pro ſuffitu capitis manè.* *Recipe ſampſuci*, *roſarum rubrarum*, *florum anthos*, *ſalviæ & ſtœchados*, *ſpicæ nardi exſiccatorum* ana ℨ. *ij.* *myrtillorum* ℥. s. *ſuccini* ʒ. *ij.* *corticis citri ſicci*, *grani infectorii*, *maceris*, *piperis*, *nucis moſcatæ*, *cariophyllorum* ana ʒ *iij.* *fiat pulvis*, *qui bombice carptâ exceptus aptetur in pileolum de manè & antè paſtum duntaxat geſtandum.* — quàm inſenſibili, — ſive per externa,

Interna autem ſunt aromaticum roſatum, *& id genus*, *magnæ antidoti ex ſaccaro roſaceo* ſumptæ, quarum tamen uſum ſi febris interdixerit, vicariæ erunt *conſervæ roſarum antiquæ*, *betonicæ*, *meliſſæ*, *anthos cum pulveribus diarrhodonis abbatis.* — ſive interna.

Jam quòd ad *alia diverſionum genera* attinet, commendantur paſſim *frictiones*, *ligaturæ*, *cucurbitulæ*, *clyſteres*, *cauteria ſive cruribus*, *ſive utrique brachio*, *& ſuturæ coronali potiſſimum inuſta*; nam hoc è diametro thoraci recipienti opponitur, & originem fluxionis proximè reſpicit præſertim cùm ſuturæ capitis eum habeant uſum, ut tenuibus humoribus, nedum vaporibus exitum præbeant: denique *ſynapiſmi* laudantur niſi febris prohiberet. — γ. Omni diverſionum genere.

H. Scopus indicat, intemperiei capitis emendationem: cauſarumque ſerum in eo colligentium ablationem.

Atqui quoniam fruſtrà commemorata remedia uſurpantur niſi capiti ſeu parti mandanti provideatur, hoc eſt *intemperies ſi qua ſit emendetur, & cauſis ſimul omnibus ſive ſerum colligentibus, ſive impellentibus eatur obviam*, harum certè cauſarum providentia accurata haberi debet. Quanquam igitur vulgò temperies frigida cerebri ceu parens materiæ fluxionum perhibetur, tamen experientiæ fide, *a* Galenique annotatione, & ratione non reclamante calida humida cerebri temperies potiori nomine accuſanda venit: nam ut conſtat ex ſuperiùs dictis & præfatione operis, ſeroſa materia fomes fluxionum omnis generis non tam in capite primò generatur, quàm in viſceribus calidis primò genita fluit rapiturque in caput & ferè colligitur, redundatque in iis, quibus cerebrum non quidem à naturâ calidum, reverà enim per ſe ſemper frigidum eſt, ſed incaluit ob ſanguinis ſurſum appulſum ſive ſpontaneum, ſive potiſſimum ratione perpetuæ contentionis animi, ac ſenſationis, & curarum vigiliarumque: quò ſanè non tam ſtudendum corrigendæ cerebri intemperiei, quàm modus adhibendus iis quæ geruntur animo. Itaque nuncius remittendus curis acrioribus, immoderatis, & intempeſtivis ſtudiis, atque intentioribus animi meditationibus; ſi quæ tamen frigida humidave capitis intemperies contracta eſt ab aëris injuriis, ea facilè corrigi poteſt præſcriptis antè remediis, *ſacculis*, verbi gratiâ, *ex milio*, *ſale*, *ſeminibus carminantibus*, *& nigella*.

Hoc obtinetur partim fluentis materiæ cohibitione, partim influxæ expectoratione;

Age verò cum tot & tanta ſint ſive avertendæ, ſive leniendæ pertinaciſſimæ tuſſi præſidia, non immeritò quis deſiderabit ſcire, quo unumquodque ordine in rectum ſalubremque uſum venire debeat. Uno verbo reſpondeo *univerſalia quidem ut venæ ſectionem à præmiſſo leniente pharmaco, & expurgationem totius particularem ſive capitis ſive thoracis expurgationem, uti & omne diverſionis genus ita quidem antevertere debere, ut nihil tamen vetet interea uti ſive fluentem materiam cohibentibus, ſive motum thoracis & materiæ influxæ expectorationem juvantibus*, modò recta omnium occa-

a In arte parvâ.

occaſio captetur, & indigentiæ uſus præcognoſcatur non habitâ ratione temporis, adeò ut ſi de nocte fluxio ſenſim depluat, ſiſtentia impetum ejus tùm exhibeantur prius ingreſſuro ſcilicet lectum, & evigilanti de manè porrigantur, quæ provocatâ tuſſi quod influit excutere valeant.

Cæterùm quanquam *Vir Reverendus* pro ſuo ſingulari animi affectu in publico munere exercendo otium ac tempus, quod legitima curatio præſcripta expoſtulare videbatur, ſibi denegarit, nec niſi morbo longiùs progreſſo medicam imploraverit opem, itaque pleraque levamenta ex ſupra ſcriptis ſeverioris vitæ conſuetudine neglexerit, contentus ſectione venæ, unâ & alterâ potione purgante, oris collutione, & victus ratione in cibo duntaxat & potu accuratâ, tamen in tyronum gratiam nihil omittendum eſſe duxi, quod affectus frequentiſſimi, nec negligendi ob graviora mala, quæ ferè importat, ſive prophylaxin ſive curationem ſpectaret, ſi de *Victus ratione* unum aut alterum momentum adjunxerimus.

Quæ ſanè *attenuans* omnino eſſe debet & *ſicca*, ſiquidem ſeroſa colluvies in toto atque adeò in capite à victus ratione humidiore quàm par ſit ferè ſuccreſcit: ſicca igitur erit, in quâ & media pars de quotidiano demenſo ſubtrahitur, præſertimque in cœnâ, cujus vicem *hordeatum eſto cum ſaccharo roſaceo*, & potus rarus ac parcus admodum, nullum namque præſentius remedium in tenui exſiccando catarrho triduanâ ſiti in ſe ipſo eſt expertus *Politus Medicus Heurnius*, & ego in pleriſque poſt illum. Cùm autem vinum maximè ſit vitandum, ejus loco ſalubriter præſcribitur *decoctum hordei ſaccharo edulcoratum*, *vel julapium ex aquâ, in quâ flores violarum macerati cum ſaccharo leviter incoxerint*. De ciborum qualitate ſatis quippè notâ ſupervacaneum eſt dicere, uti & de ſomno, quem longè à cibo & de nocte tantùm, atque brevem alioqui eſſe debere tonſoribus notum eſt, uti & aërem atque domicilium ad ſerenitatem & ſiccitatem omnino eſſe comparandum. Denique hoc iterum atque iterum inculcandum ſeriis gravibuſque animi ſtudiis eſſe valedicendum.

Illud, victus ratione attenuante, ſiccante, & moderatâ, rerumque non naturalium recto uſu.

CAPUT IV.

De Aſthmate intermittente. Conſilium.

OBS. XLIII. *Nobiliſſimus puer viſceribus & capitè à naturâ calidis, (ſi liberi progenitorum temperiem retinent, & non mediocris in toto habitu calor, atque adſtrictior alvus temperamenti calidi ſunt indices) aliàs autem tuſſiculoſus & odontalgiæ, certè aſſiduæ ſpuitioni obnoxius, cui denique achores antè a toto capite identidem manantes ſuppreſſi repreſſique tàm intempeſtivè quàm imprudenter refrigerantium ab uſu medicamentorum à pharmacopolâ per unum aut alterum menſem applicatorum, jam à duobus annis graviſſimâ premitur in ſpirando difficultate, eâque deſubitò & circa inſignes præſertim temporum mutationes æquinoctia ſcilicet, & ſolſtitia invadente & opprimente, ut non ſolùm majorem & præſertim crebriorem naturali ſpiritum trahat anhelanti à vehementiori curſu ſimilis, & cum ſonitu ſeu ſibilo, ſed erectâ duntaxat cervice & ægerrimè non ſine domeſticorum terrore id poſſit.*

Atque hæc difficultas febris quidem expers, ſed tuſſi eique ſiccæ conjuncta ſæpè unum aut alterum dierum ſeptenarium coarctat fatigatque puerum: ſed ab eo paroxyſmo liber facilè ſpirat, currit, ludit pilâ, & ad unum vel duo miliaria deambulat.

Præſens affectus aſthma nuncupatur: quod eſt ſymptoma depravatæ reſpirationis:

Quæ ſanè dyſpnœæ ſpecies haud dubiè eſt *aſthma ſuis omnibus numeris abſolutum, quod ad depravatam reſpirationem pertinet, in quâ quippè movet ſe natura aliter quàm ſecundùm conſuetudinem irritata à cauſâ præter naturam præcavendi ſcilicet majus damnum occaſione; quò fit ut crebrum denſumque ducat ſpiritum parvam in quiete moram trahens.*

Cujus cauſæ melioris inveſtigationis gratiâ ex phyſicis reſpirationis natura deſcribitur.

De hujus igitur aſthmatis cauſis ut certum quid ac definitum pronunciare poſſimus, ſupponendum ex phyſiologiâ reſpirationem ſecundùm naturam fieri pulmone quidem & thorace ſimul dilatatis, & ſucceſſivè compreſſis, ſed interpoſitâ quiete, & eum utrumque motum, nec non quietem cer-

certis à naturâ circumſcribi terminis ſive temporis, ſive ſpatii, ſive modi: utrumque porrò motum effici ab animali facultate gratiâ commoderationis conſervationiſque caloris cordi inſiti, & in univerſum influentis, hoc eſt, generationis continentis ſpiritus vitalis: ex quò ſanè quia in dyſpnœâ reſpiratio fit crebrior, hoc eſt anticipat motus, & de quietis tempore aliquid ſubtrahitur, neceſſe eſt ab aliquâ ex hiſce tribus cauſis naturam invertere ordinem, itaque vel ab uſu auctiore acriùs & intemperantiùs moventem ſollicitari facultatem, ut in quiete minùs hærens antevertat motum, vel ipſam facultatem per ſeſe debilem haud poſſe ex æquo uſui ſatisfacere, ideòque quod unico ſpiritu non poteſt conſequi, id pluribus tentare obtinere, vel ipſa denique inſtrumenta non eſſe tanti ſpiritus capacia quanti antea, proindeque ut unius ſpirationis damnum natura reparet ingeminare motum, & pauſas breviores facere.

Atqui quoniam hæc dyſpnœæ ſpecies eſt expers febris, ſuſpicio certè accenſæ caliditatis in corde adauctique uſus nulla eſſe poteſt. An igitur facultas in movendo languidior & infirmior? minimè ſanè, cùm major ferè ſit reſpiratio naturali, quæ non poteſt niſi à conſtante facultate proficiſci: præterea quia propoſitæ dyſpnœæ differentia conſtitutiva eſt crebritas, atque hanc amat ſemper elanguida natura, & celeritati præfert ſi ad languorem indigentiæ uſus acceſſerit, quia ſcilicet quanquàm minùs quieſcat in crebritate, minùs tamen quàm in celeritate laborat, inde intelligere eſt uſus indigentiam eſſe potiùs perturbationis cauſam: quia igitur aliàs flammea caliditas in corpore febris experte nequaquam eſt accenſa, relinquitur profectò incuſanda eſſe inſtrumenta quod non tanti aëris ſint capacia, quantum caloris influentis poſtulat conſervatio; *itaque uſum eſſe adauctum per* ᵃ *ametriam inſtrumentorum.* (Reſpirationis in Aſthmate adauctæ cauſa.)

Sed enim *inſtrumenta reſpirationis*, ut conſtat ex phyſicis, alia ſunt *aërem excipientia*, *& ad vitalitatem præparantia*, alia *moventia*, & *deducentia* alia; excipientia autem & deducentia pulmones ſcilicet & arteriæ ſuum præſtant offi- (Reſpirationis Inſtrumenta ſunt triplicia, ſcilicet aërem excipientia, deducentia,)

 cium

ᵃ Immoderationem.

cium per cavitates ſibi à naturâ datas ſive ſenſiles, ſive inſenſiles eaſque liberas & patentes, quas motu amplificatas vel contractas aër ultrò citroque ſubit, & in tranſitu veluti per cribrum defecatur: moventia verò inſtrumenta mediocri temperie, certâque conformatione, & ſpiritus vitalis influxu illuſtrata ſeſe dilatant, viciſſimque contrahunt, neceſſe eſt igitur illa quidem hujus affectus culpam ſuſtinere, quòd aliquam præter naturam in ſuis meatibus patiuntur anguſtiam, certè moveri diſtendique quantum par eſt nequeunt: hæc autem quòd intemperie aliquâ aut morbo organico laborant, aut ſpiritus influxu ſive animæ moventis per affectum capitis aut nervorum cervicalium deſtituuntur, vel ab externo corpore ut hepate præter naturam diaphragmati agglutinato impediuntur retardanturque in ſuo motu, *ut nos vidimus non ſemel, & nuper in juvene Nobili & Religioſo ex familiâ de Pouly.*

& moventia;

At enim verò cum malè affecti diaphragmatis, aut muſculorum ſive thoracis, ſive abdominis nulla ſigna adſint, nullusque dolor thoracis aut gravitas circa hypochondrium dextrum premat, & verò reſpiratio naturali ſit major, extrà culpam eſſe inſtrumenta moventia colligere eſt, itaque in deducentia & excipientia, hoc eſt, bronchia & pulmones crimen rejici debet, ſcilicet vel in eorum anguſtiam, vel in motum ſeu diſtentionem ad certos uſque terminos à naturâ præſcriptos impeditam. Quoniam ergò aſperæ arteriæ cavitates firmiſſimis & duriſſimis vallatæ ſunt cartilaginoſis annulis, qui non ſunt flexiles & compreſſiles, certè ex anguſtiæ ſpeciebus ſolam pati poſſunt obſtructionem, ſpeciatim tamen caput aſperæ arteriæ obſtipationem à phlegmone muſculi rimulam in larynge conſtituentis.

Hic tantum duo priora in culpâ ſunt,

quæ obſtructionem pati poſſunt,

Atque obſtructio quidem fieri poteſt cùm à cauſis externis, ut vaporibus craſſis & copioſis, fumo è carbonibus excitato, vapore è muſto ferveſcente, halitibus ex fodinis, tum verò ab internis rebus ſive corporibus congeſtis in nobis, aut aliundè defluxis, de quibus mox.

cùm à cauſis externis,

tum ab internis.

Jam quia dilatatio & contractio reciprocæ bronchiorum pulmonum ad naturales terminos ſecundùm naturam perficiun-

Sed moventia, dilatatione & con-

ficiuntur ope fibrarum carnoſarum tanquam exiguorum muſculorum, ſed concurrente parenchymatis pulmonum iiſdem continuati inſigni levitate & poroſitate, cujus merito pulmones nullam moram in ſequendo motu ſeu tractu bronchiorum adferunt, nulloque negotio unà cum thorace dilatantur & contrahuntur, & præterea ſpatio in thorace vacuo liberoque reddito per motum ejuſdem thoracis à diaphragmate muſculiſque ejus variis factum, efficitur profectò dilatationem & contractionem bronchiorum & pulmonum impediri, aut quia parvi illi muſculi atoniâ laborant, aut quia pulmones ſuam levitatem amiſerunt: aut quia ſpatium thoracis minimè eſt liberum, ut par eſt. tractione eorum impeditâ laborant aliàs,

Muſculi igitur atoniâ laborant per ſummam cujuſque generis intemperiem, vel ſpiritus animalis interceptionem: levitas autem pulmonum deperditur ab acceſſu, ſeu additamento corporis alicujus gravis ſive in iis congeſti ſenſim, ſive aliundè influxi, & cujuſlibet vel bronchia ipſa occupantis, vel leves arterias, vel proprium parenchyma pulmonum. aut I. ob muſculos atoniâ affectos, aut II. propter pulmonum levitatem amiſſam:

Ac quidem in pulmonum ſive vaſis omnis generis, ſive ſubſtantiâ congeri poteſt multiplex ſubſtantia, ſanguis ſcilicet inprimis ex rupto, aperto, exeſo aliquo ex levibus vaſis quâcunque ex cauſâ; grumus ſanguinis; pus ex eodem genitum vel ex pituitâ è capite defluxâ & ſenſim putrente, aut conſequens ſuppurationem peripneumoniæ; humor crudus viſciduſque & conſiſtens in tuberculum crudum congeſtus ac incuneatus, & veſiculâ etiam concluſus; Cujus diverſæ ſunt cauſæ.

OBS. XLIV. *Qualem vidi in cadavere Adoleſcentis Nobilis Nicolai Jacques D. de Lumbar Burgundi;* tum verò corpus grandinoſum ex pituitâ lenteſcente & concreſcente ex obſervatione Galeni, ſeu lapilli ſive ex eâdem pituitâ induratâ, ſive forte ex ichoribus aut grumo ſanguinis, aut reliquiis puris vi caloris loci tandem induratis, *cujuſmodi lapillos plures religioſus juvenis quidam Societatis Jeſu hæmoptoicus à pluribus annis ſæpè cum tuſſi reddere ſolet.* De pituitâ in pulm. concretâ &c.

Influere pariter poſſunt in vaſa pulmonum, & ipſammet

met ſubſtantiam ſanguis è cordis vaſis tranſmiſſus, à quo peripneumonia excitatur, ſive è thoracis cavo ſenſim per membranam pulmonis in eum trajectus, ut in pleuritide, pus item ſimiliter è thorace exudans in pulmones ut in empyemate thoracis; aqua denique & præcipuè, eaque aut aſſumpta ſive epota largiùs ex [a] *Hippocratis obſervatione & noſtrâ recenti in viro religioſo dyſpnœâ laborante, qui mihi hodiè faſſus eſt a potu admodum difficultatem ſpirandi ſibi increbeſcere, non æquè autem à cibo ſolito;* aut è capite ſenſim vel confertim defluens, eaque lenta & excrementis cerebri craſſis, vel bilioſis ichoribus, ut ferè fit, immixta; aut denique ſerum ſanguinis, quod è vaſis ſcilicet cordi implantatis exundans per medium cor in leves pulmonum arterias, atque ab iis tum in bronchia, tum in ipſum parenchyma invadere & quemdam veluti pulmonis hydropem inferre poteſt.

Obſervatio.

Aut III. denique ob thoracis ſpatium minime liberum: quod occupant vel 1. partes in thorace ſ. n. contentæ, p. n. ſe habentes, vel 2. extraneum aliquod corpus,

Jam verò thoracis ſpatium intercipitur ſive quia illud ab aliquo alieno occupatur corpore, ſive quia ſepta cavitatis thoracis per vim introrſum compulſa adactaque ſunt. Corpus autem alienum cavum thoracis occupans poteſt eſſe vel pars aliqua ſecundùm naturam quidem in thorace contenta, ſed præter naturam majorem in molem aucta ſeu tumefacta, ut ſunt pulmones phlegmone, aut empyemate, aut tuberculo obſeſſi, pericardium aquâ diſtentum & hydrope (de quo antè) laborans, vel extraneum aliquod aliud corpus, ut humor craſſus in tuberculo crudo ſpinæ adnato collectus, aqua pariter pura ſive extrinſecus veniens, ſive ſeroſa pulmones inter & thoracem ſtagnans, atque hydropem thoracis, de quo infra, faciens, pus denique in empyemate ex apertâ vomicâ in pleuritide, aut peripneumoniâ effuſum in thoracis ſpatium confertim, & ſæpè in copiâ incredibili collectum.

De empyem. expurg.

OBS. XLV. *Nam obſervavimus Illuſtriſſimum Comitem de Furſtenberg adhuc ephœbum & à pleuritide empyicum quater quinquieſve diverſis vicibus vomitu reddidiſſe ſingulis vicibus*

[a] Lib. 2. prædict. Aph. 17. Ἀνάγκη οὖν ἐν τῷ τοιούτῳ, τοὺς μὲν τῷ ποτῷ πλέονι χρησαμένους, δυσπνοωτέρους γίνεσθαι. Neceſſe eſt igitur, eos, qui uberiori potu uſi ſunt, difficilius ſpirare.

cibus ſeſqui-libram circiter puris perfectè cocti idque ſalubriter, præter quam quod inter cutem & muſculos totius abdominis & cruris alterius non exigua copia effuſa ſenſibus ſeſe evidenter prodebat; ne commemorem alios empyicos, ut Generoſos adoleſcentes D. d'Anſeruille, & Jacobum de Saint Ignon D. d'Eſne, in quorum præ vehementiâ pleuritidis à quarto morbi die jam ad ſuppurationem tendentis jugulatorum cadaveribus ad libras plures collectum pus repertum eſt præter eam particulam, quæ affini meo de Saint-Ignon magnam exhalanti animam è naribus me præſente effluxit.

Porrò cavitatis thoracis ſepimenta quæ introrſum compulſa eam intercipere poſſunt, ſunt hinc ſpina, illinc ſternum, ſed præcipuè diaphragma; ſpina quidem, & ſternum, & thorax univerſus ſtrictiora à naturâ & quomodocumque curvata, ut in quibuſdam gibberi ſpeciebus, vel preſſa quâcumque ratione ut à decubitu in dorſum, aut latus alterum; diaphragma autem introrſum compulſum vel à flatibus, vel aquâ in abdomine magnâ copiâ ſtagnantibus, ut in hydrope ventris inferioris, vel à ventriculo ipſo cibo diſtento, aut tumente, & pure inter duas membranas collecto prægnante: Seu ipſa thoracis ſepimenta.

OBS. XLVI. *Ut obſervavi in Honeſtâ Matronâ uxore Magiſtri Joannis Chavotii Pharmacopolæ & civis Pontani:* aut compreſſo unà cum inteſtinis ab immani renis alterius tumore, *ut in Eliſabetâ des Bordes uxore Panarii principalis,* vel denique ab altero viſcere, aut utroque in inſignem tumorem elato juxta illud α Hippoc. *Orthopnœam adferunt hydropici affectus duri, ut hoc tempore vidimus in ſtudioſo quodam Iſraële l'Alman, qui à quatuor menſibus inſigni tumore inflammatorio hepatis oppreſſus cathedræ toto eo tempore inſidere & indormire coactus interiit initio Auguſti præteriti, cujus parens Joannes l'Alman receptor D. de Quarmi in eodem hoſpitali D. Anthonii orthopnœâ ſimili menſe Majo triennio antè jugulatus eſt, in cujus cadavere hepar ſcirroſum valde inventum una cum liene in tabum converſo.* De compr. thorac. ut & ſeq. Obſervatio. Obſervatio.

α Coac. præn. Aph. 424. τὰ ὀρθοπνοϊκὰ ποιέει ὑδρωπιώδεα σκληρά. Erectæ Cervicis ſpirationes Hydrops ſiccus facit.

OBS. XLVII. Sed & annotavimus ante viginti & plures annos *in eximiæ pietatis Adoleſcente fratre Angelo Capucino, cui ab utriuſque viſceris tumore oppidò inſigni & è coſtis etiam extante diaphragma ita coarctatum fuit, ut coactus fuerit diu noctuque in humili cathedrâ erectâ cervice incubare ſomnumque capere vel integrum annum currentem, medicis incubo eum laborare opinantibus: ſed cum ego de mediâ die adoleſcentem breviſpirum, atque febriculâ confectum, viſcera porrò adeò prætumida dyſtentaque offendiſſem, nec temerè in eum tumorem viſcerum graviſſimam diſpnœam rejiciendam judicaſſem, author fui ut acidis uteretur aquis, quarum recens experimentum habebam certiſſimum in levandis viſcerum infarctibus. Commodùm ergo aquis è fonte Birkefeldenſi propter Pontes hauſtis, eique à ſplendido viro præfecto ærarii principalis fortè tum iis aquis utente miſſis uſus pius adoleſcens intra quindecim dies febre atque orthopnœâ liberatus liberali alvi profluvio ſuperveniente ad intermiſſum per adverſam valetudinem officium janitoris rediit.*

Atqui cùm tot tantiſque de cauſis reſpirationis inſtrumenta lædi poſſint, & impotentia incapaciaque uno ſpiritu trahendi capiendique aëris tanti quantum cordis uſus exigit, adeò ut natura accelerare eum motum unius defectum pluribus compenſando; & vero ipſe cogatur æger præ ſuffocationis metu eam in reſpirando corporis poſituram eligere, in quâ maximè liberi ſunt pulmones, nec à thorace ullo modo prémuntur, qualis ſanè eſt cùm corpus ſedet, & erectam cervicem tenet, videndum deinceps à nobis accuratè quandoquidem uſum & facultatem extra noxiam eſſe antè demonſtravimus, quis inſtrumenta affectus præter naturam graviſſimæ author dyſpnœæ obſideat.

Principiò igitur quoniam in propoſitâ dyſpnœâ quanquam nulla eſt accenſa in corde flammea caliditas, magnaque nihilominus inſpiratio uſui ordinario minimè ſufficit, ſed crebritas magnitudini etiam, ne dum parvitati adjuncta eſt ſemper, neceſſe eſt profectò vias ſpiritus & aſperas inprimis arterias omninò eſſe coarctatas, & in eam deductas angu-

anguſtiam, ut quamvis dilatentur trahere tamen concipereque tantum aërem, quanto opus eſt, nequeant: nam ſi prorſus eſſent liberæ; magnitudo ſanè ſola uſui ſatis eſſet.

Præterea quoniam ſtertor, ſibiluſve adjungitur, atque hic ſonus non quidem juſſu voluntatis fit, ſed ſpontaneus eſt aëris ipſius ſive emiſſi exſpirando, ſive potiùs inſpirando immiſſi, ſiquidem in ipſâ inſpiratione exauditur, fit autem ſibilus quia aër percutitur & alliditur ad ſolida corpora, atque hoc contingit cùm citatiſſimo fertur motu, eò verò citatius fertur, quò magis via ſeu ſpatium liberum denegatur ei, exauditur porrò hic ſibilus ab alto pectore venire non ſolo è capite arteriæ, itaque ſonus hic & ſtertor editur, quia bronchia per pulmonem diſperſa ſunt quàm antè anguſtiora, perque ea coactus celeriùs aër currere validiùs bronchia ferit: *quo ſanè in aſthmate concludere eſt coarctata eſſe vaſa pulmonum, & inprimis quæ ſunt ſolida, dura, hoc eſt, aſperas arterias ſeu bronchia.* Quibus de aſthmatis naturâ in genere præmiſſis, Concluditur, in præſente ægro coarctatas eſſe aſperas arterias pulmonum,

Sed enim cùm affectus deſubitò corripiat, eam coarctationem vaſorum aſperorum nequaquam fieri à corpore aliquo ſenſim congeſto adnatove, ſed confertim invadente ea vaſa veroſimile eſt, & præſertim cùm tuſſis conjuncta, cauſam affatim potiùs influere quàm paulatim ſenſimque nedum multò antè congeſtam inſinuet: cùm porrò tuſſis ea ſit ſicca, conditionem ſanè cauſæ talem eſſe indicat quæ apprehenſionem ſpiritus emiſſi eludat. Quia ergo ex ſuperiore obſervatione nimia tenuitas corporis tuſſiferi, aut craſſities contrà & viſciditas ſunt ſiccæ tuſſis cauſæ (quod namque tenue eſt multum & aquoſum efferri ſurſum nequit, ſed circum ſpiritum fluit & elabitur, craſſum autem lentumque, id à pulmonibus detergi niſi ægerrimè poteſt) certè tenuem vel craſſum eſſe obſtruentem bronchia humorem neceſſe eſt: nam lapillorum aut grandinoſi corporis ſuſpicio nulla eſſe poteſt, cùm hactenus ejus generis nihil tale excreverit.

Atqui quia nulla vaſorum eroſionis, apertionis, aut ſimilis affectus cauſa præceſſit, nec ſimiliter pleuritidis, peripneumoniæ, aut ſanginæ ſigna prægreſſa, aut ſubſequuta

 ſpui-

ſpuitio cruenta purulentave, ſanguinem ſanè, aut pus obſtructionis pulmonum cauſam opinari non licet; *relinquitur itaque aqueum eſſe humorem, eumque aut purum, liquidumque, aut jam incraſſatum calore loci.*

ab humore aqueo, in eas illapſo.

Hujus Colluviei ſigna, in capite,

in toto,

& Cauſa antecedens interna, & externa.

Etenim ſeroſæ in capite, & in toto colluviei ſigna clariſſima; in capite quidem aſſidua ſpuitio, tuſſis creberrima extra paroxyſmos, pariterque odontalgia, & achores noviſſimè repreſſi; in toto autem calida viſcerum intemperies & maximè evidens hepatis à parentibus calido admodum temperamento impreſſa, & vitæ genus omnino deſes & otioſum in ſcholis ſcilicet traductum: quid quòd Nobilis æger extra paroxyſmum ſpirat quàm facillimè, an non hoc arguit humoris obſtruentis nihil ſuperare, ſed penitùs reſolvi in eo æſtu & labore reſpirandi? quoniam igitur unus ſeroſus humor eo eſt ingenio, ut vi caloris penitùs reſolvatur, nullumque ex ſe craſſamentum relinquat, *efficitur profectò aſthmatis propoſiti ſeroſum humorem eſſe continentem cauſam.*

Is humor ſeroſus, eſt ſincerus, a calore lenteſcens:

Quod tamen intelligi debet de ſeroſo humore ſincero, cuique nihil reliquiarum mucoſarum cerebri ſit admixtum: hoc enim nihil repugnat à calore lenteſcere & craſſamentum relinquere aliquod, quale ſanè tuſſi tandem reddit Nobilis æger; nam principio tuſſis infeſta eſt ſed ſicca omnino præ tenuitate humoris. Cùm igitur affectus ſit ſummus & graviſſimus, veroſimile eſt ſerum in toto capiteque redundans ab externâ ambientis commotione fervore aliquo concepto ex toto habitu irruere magnâ vi & deſpumare in pulmones, eorumque vaſa omnia, quæ cùm ultra pulmones non porrigantur, ſed in iis ſiſtantur, inde affectus tam diu durat quoad humor perfectè fuerit reſolutus, aut incraſſatus tuſſi & expectoratione forti crebrâque rejectus.

Quem partim è capite magnâ vi in pulmones irruere,

Partim è ſtipitibus magnorum vaſorum aſcendentib. per cor dextrum pulmones impetere,

Neque enim mirum videri debet, ſi in ſtipitibus magnorum vaſorum deſcendentibus ebulliens ſerum, & periodicè in vaſa articulorum exundans arthritidem artuum inferiorum inferre poteſt, idem etiam in ſtipitibus eorum aſcendentibus per inſignes temporum mutationes derepentè fer-

fervens per cor dextrum impetere pulmones affatim, ſimulque etiam quod in capite redundat per colatorium in trachœam arteriam ſponte ſuâ confertim decumbere rectaque.

Equidem cùm hanc præſentis aſthmatis cauſam ſuperior ratiocinatio evidenter demonſtrat, tum verò ceterarum abſentia cauſarum, à quibus dyſpnœa cum ſtertore, vel orthopnœa invehi poſſunt, ſive eæ forinſecus veniant, ſive intus genitæ & per congeſtionem, aut influxum aliundè pulmones invadant, ſpatiumque eorum quocumque modo impediant atque intercipiant, ſatis ſuperque probat firmatque, quam non eſt neceſſe latius diducere cùm intelligenti pauca ſufficiant.

Poſtremò ſi aſthma eſt ea in ſpirando difficultas, quæ non ſolum citra febrem, ſed cauſam manifeſtam & evidentem ſive externam, ſive internam derepentè adoritur, & penè ſuffocat, pleræque autem earum cauſarum à nobis enarratarum ſive externæ, ſive internæ tam conſtantibus certiſque quàm evidentibus ſunt conjunctæ & cohærentes affectibus, ut medicum modò ſagacem nullum fallere valeant: ebullitio contrà ſeri ab externis & incertis omninoque obſcuriſſimis, imminente ſcilicet tempeſtate aëriâ illata, eaque levis, & conſequens ſimitu eruptio è vaſis irruptioque in pulmones adeò ſunt obſcuræ ut oculatiſſimum quemque lateant, nec niſi divinando conjici poſſunt, quid moræ eſt cur non concludamus: *propoſitum a nobis aſthma eſſe ſymptoma obſtructionis vaſorum omnium præſertimque bronchiorum, imò etiam pororum ſubſtantiæ ipſius pulmonum illatæ ab invadente deſubitò aquâ ſive ſeroſo humore partim à capite depluente, partim anadrome quadam è ſtipite cavæ & fortè etiam aortæ pulmones impetente?* Concluditur:

Cujus ſignum quod cordis, per quod ſcilicet ille neceſſariò trajicitur, palpitatio cum hac diſpnœâ eſt conjuncta: undè morbus non temere hydrops pulmonis indigetari poteſt.

Sed urgebit aliquis, quî fieri poſſit ut citra febrem ſanguis ſeu potiùs ſerum ebulliat? eam ſanè ebullitionem ſta-

tuere oportet levem admodum eſſe, ideòque obſcuram, & à cauſâ potiùs externâ tempeſtate ſcilicet aëriâ induci, quàm à latente putredine, cujus cauſa ſit obſtructio vaſorum. Itaque quanquam communis eſt medicorum opinio aſthma febris eſſe expers, tamen eam valdè ſuſpectam habeo cùm febris in nonnullis etiam ſenſui ſeſe non inevidenter prodat, tametſi calor non ſiccus aut acer, ſed halituoſus plerumque humiduſque & blandus ob ingenium ſcilicet aquæ ſuâ naturâ minimè mordax, ſed ſuave & demulcens.

Signa febris in Aſthmate ſunt incerta, quæ deſumpta vel à pulſu,

Ejus namque vulgaris opinionis de carentiâ febris in aſthmate occaſionem non obſcuram eſſe credo, quòd à pulſu aut urinâ alioqui indicium febris non niſi obſcurum peti poteſt, à pulſu quidem quia palpitatio quædam conjuncta ferè eſt cum aſthmate, ratione cujus pulſus inæqualis, & varius admodùm palpitationi uni tribuitur, cùm tamen crebritas varietaſque pulſus febri quoque accepta referri debeat: ab urinâ autem pariter haud certum ſignum febris peti poteſt, cùm urinæ in hujuſmodi dyſpnœâ copioſæ admodùm, ideòque tenues & aquæ inſtar perſpicuæ, itaque longè diſſimiles urinis familiaribus & propriis febrium putridarum ſuſpicionem omnem febris tollunt, revera namque in omnibus febribus, quæ cum fluxionibus ſunt conjunctæ, ut cum arthritide, & ſimilibus, quæ à ſanguinis arterioſi potiſſimùm ſerique in eo redundantis fervore pendent, experimento noſtro urinæ ſemper ſunt prorſus aqueæ, & admodum copioſæ. *Itaque quanquam urina pulſuſque non certè arguant febrem, tamen æſtus & caloris interni ſenſus quem æger habet, imò externi, qui medicum fallere nequit, blandus licet, & non inſuavis, ſatis atteſtatur febris præſentiæ.*

vel ab urinâ

Ejus tamen præſentiam comprobant 1. ſenſus caloris tam interni, quam externi.

2. Signa aſſidentia.

Nec reclamant ſigna συνεδρεύοντα, ſpontanea laſſitudo, oppreſſio pectoris, vigiliæ, ſitis, dejecta appetentia & ejuſmodi. Equidem non poſſum non ſæpè mirari eos Medicos, qui niſi vehementes & urentes admodum febres nunquam agnoſcunt, quaſi verò in febrium ut in reliquorum omnium morborum genere differentia penes magnitudinem, & vul-

gata

gata illa magis & minus non reperiantur? Certè in calidis à naturâ corporibus ac ſanguineis febris aſthmati conjuncta ſatis ſuperque manifeſta eſt, & non obſcuro ſed eximio ſeſe calore prodit:

OBS. XLVIII. Ut in pleriſque ſum expertus, & præſertim in *Religioſo illo Sene Societatis* Jesu *octogenario Bernardo dicto, & in Nobili Viro incolâ vici Pagni, cui nomen Georgius Warno, qui acer & calidus naturâ, aliâs alacer & firmiorum laterum, facileque ſpirans in omnibus laboribus diutiùs ſuſtinendis, jam à decennio ſingulis annis circa inſignes temporum mutationes, & noviſſimè circa eam, quæ hoc anno* 1616. *bis ſub finem ſcilicet Julii contingit memorabilis, tam graviſſimo aſthmate opprimitur ut ipſe aſtanteſque perpetuò jam jam inſtantis ſuffocationis metu angantur & ad ſacrum ille Chriſma licet minùs neceſſarium confugere ſit à vehementiâ morbi coactus: in illo namque vel mediâ hyeme ſuperiore febris non obſcura toto paroxyſmo licet plurium ſeptimanarum mihi apparuit.*

3. Experientia, De aſthm. cum febre.

Ceterùm noſtram de ſeroſo humore aſthmatis continente cauſâ ſententiam confirmat largiſſima aqua pura puta expectoratio toto paroxyſmi licet diuturni admodum tempore Nobili huic Viro familiaris & conſueta; nec me movet quòd præter conſuetudinem ultimo paroxyſmo menſis Julii craſſa flavaque multa reddidit: nimirum cùm corpus illi ab inſolatione & inſueto labore non mediocriter exarſiſſet, itaque ſummis caniculæ ardoribus derepentè nymbo uno & altero ſuccedentibus longè graviſſimus ex inopinato paroxyſmus invaſiſſet, ſerum è capite ratione prægreſſi ardoris lentius redditum ab æſtuoſo corpore facilè excoqui, brevique incraſſari potuit.

Ulterior confirmatio de ſero continente aſthmatis cauſa.

Age igitur quoniam periodicum ſuſpirium, idque ſtertoſum & rectaſpirum obſtructionem ſequitur vaſorum pulmonis & præſertim aſperorum ab irruente confertim ſeroſo humore cùm per anadromem è vaſis magnis, tum [a] κατὰ ῥοπὴν è capite, cujus motus occaſio eſt ebullitio ſive ab immoderato motu animi, exempli gratiâ irâ, & corporis, ſive à commotione aëris, ſive ab omnibus ſimul, ut in No-

Curandi ratio, quæ non tam accommodata eſt puero, quàm morbi ſpeciei non habitâ ratione ætatis.

[a] Inclinationem.

Nobili Viro cujus modò mentionem fecimus, perſpicuum eſt *Curationis ſcopos in ſiſtendâ ſanguinis, ſerique ebullitione, cauſiſque impellentibus*, ſi ſunt in noſtrâ poteſtate, *moderandis conſiſtere*, tum *in purgando ſero in toto habitù redundante ac fluxuro, avertendoque eo quod fluit*, denique *in eo quod jam influxit expectorando;* nam repulſio certè locum minimè habere poteſt.

V. Scopis abſolvitur.

Quorum I. conſiſtit, in moderatione cauſarum impellentium.

II. In ſanguinis miſſione.

Itaque *motibus animi & corporis primùm compoſitis*, primo quoque tempore *Venæ ſectio* præmiſſo tamen eccoprotico medicamento ſi alvus ſtrictior fuerit, tentanda eſt, niſi ætas repugnet, quippè quæ ſanguinis ebullitionem compeſcere poteſt, unaque ſeri redundantiam minuit, fluxumque revellit, & quidem baſilicæ lateris reſpondentis fonti ſeroſæ in toto plenitudinis, niſi ſuppreſſa ſit aliqua ſolemnis & conſueta ſanguinis expurgatio ſive menſtrua, ſive hæmorrhoidalis: nam tum vena malleoli tundenda potiùs; ſed quæcumque incidatur parcâ manu ſanguis extrahendus ob virium languorem huic malo conjunctum, quæ ideò ut uſui ſatisfiat & ſimul revulſio efficiatur major, repeti poteſt vel eodem die ita jubente gravitate affectus.

III. In univerſali purgatione:

Sanguinis autem detractionem ſtatim excipiet *Purgatio* non quidem minorativa, ſed quæ avertendi, ſimulque evacuandi è toto habitu, & capite vim habeat ſed mediocrem tamen habitâ virium ratione, & aliàs minimè calefacientem nec turbantem. Nam cùm ſerum è vaſis magnis & capite fluat, uſuſque ejus avertendi maximè urgeat, & aliâ ex parte ipſum ſatis ex ſe liquidum, jamque ebulliens apparatu non egeat, purgationem ejus non niſi periculo ſuffocationis *a* protelari poſſe ratio ſatis dictat: itaque ſtatim à venæ ſectione iteratâ exhibeatur *bolus ex caſſiâ cum rheo & diaphœnicone*, *vel pilulæ de quinque generibus myrobalanorum*, *aggregativæ*, *de hierâ cum agarico*, *vel cocciæ*, *quibus deglutitis ſalubriter ebibitur juſculum refrigerans*, *ut hordeatum*, *aut decoctum braſſicæ rubræ*, compeſcendi æſtus & agitationis ſeri gratiâ. Potio tamen in eâ ſpirandi difficultate faciliùs hauriri poteſt parata *ex expreſſo agarici & cum tantillo rhabarbari* (nam calidæ naturæ his affectibus maximè ob-

a Exagitari.

obnoxiæ, in quibus quippè redundat ſerum) *infuſorum in decocto cephalico, in quo expreſſo diacarthamum, diaphœnicum, vel electarium de citro cum mannâ, ſyrupo roſaceo, aut melle roſ. ſolutivo habitâ ratione naturæ & conſtitutionis anni diſſolvetur.* Clyſteres ad hunc finem laudantur maximopere experientiâque probantur, quippè quibus revellitur à thorace ſeroſæ alluviei raptus.

Quoniam autem periculi admodum plenus affectus meâ quidem ſententiâ *purgatio univerſalis quarto quoque die eſt repetenda, eum enim plerumque curſum tenet æſtus ſeri in corpore, comes nimirum motus Lunæ in quadras variantis, uti experientiâ obſervavi ſemper:* ſed tum commodùm in uſum venient non ſolùm quæ capiti, ſed pulmoni familiaria ſunt, *quale eſt decoctum veteris galli infarcti ſeminibus carthami, polipodio, agarico, ſoldanellâ, & herbis pectoralibus.* Quando ea repetenda.

Interea autem dum corpus repurgatur ex intervallis, *ceteris revellentibus remediis locus erit frictionibus ſcilicet, ligaturis, lotionibus extremarum partium, cucurbitulis & id genus;* tum verò diureticis pectori gratis ſive *decoctis radicis iridis, capilli veneris, betonicæ, amaraci, hyſſopi, botrios, & conſervis capilli veneris, betonicæ, enulæ campanæ:* uno verbo commendo plurimùm quæ ſuperiori obſervatione à nobis probata ſive avertendæ, ſive ſiſtendæ fluxioni è capite, ſive expurgandæ trachœæ arteriæ, quorum neceſſitas cùm longè major in aſthmate quàm in tuſſi, eò obnixiùs uſurpanda; & præterea in ſummo periculo *ſynapiſmata*, & *cauteria* ex conſilio Aëtii uſurpari poſſunt. IV. In ſeri fluentis averſione. & V, influxi expectoratione.

Atqui quod ad *Victus rationem* pertinet, eam ſuperiores obſervationes abundè ſuggerent: hæc namque ſine dubio *attenuans & eò ſiccior* eſſe debet, quo periculoſior affectus: Quò ſanè potu primis diebus omnino interdicendum, quia pulmones à crebro & laborioſo motu æſtuantes aſſumptum omnem liquorem hauriunt ebibuntque, & eo augent pulmonem infarctum, atque hydropi ejus particulari materiam præſtant. Hiſce accedit victus ratio attenuans & ſiccans.

Quoniam porrò præſervatio iiſdem præſidiis comparari poteſt, non eſt neceſſe de eâ pluribus dicere, ſiquidem ſa- Præſervatio iiſdem remediis

comparatur: additis tantùm ſudorificis.

tis ſuperque notum eſt quæcunque præſenti affectui mederi poſſunt, ea imminentem quoque amoliri, & avertere poſſe. Ad ea tamen accedent *ſudorifica*, quorum formula hæc eſto: ℞. *ligni ſancti lib. j. corticis ejuſdem ℥. j. ß. macerentur in aquæ betonicæ lib. 12. coctio fiat ad dimidias ſub finem addendo polypodii querni, paſſularum ana ℥. j. ſeminum carthami & bombacis contuſorum ana ʒ. j. majoranæ, betonicæ, ſtœchados ana m. ß. colaturæ ſumat ℥. viij. in aurorâ ſeque contineat in lecto ut ſudet.* Loco autem vini hoc decoctum eſto: ℞. *ligni indici ℥. vj. radicis liquiritiæ recentis ℥. ij. macerentur horis x. in lib. aquæ communis xij. & coctio fiat ad dimidias, colatura dulcoretur ſaccari lib. ß.* Eorum tamen uſus in curatione paroxyſmi ut ferri poſſit corpore toto æſtuante & propè ſuffocato ægro non facilè video, ſed ad prophylaxin magnas certè oportunitates habere tàm certum eſt, quàm quod certiſſimum; ſed & quæ ſerum ſine ſenſu in toto abſumunt & alioqui robur omnibus partibus addunt, ut ſunt *magnæ antidoti & id genus* ſi ætas puerilis ferret, ut ſanè ferunt reliquæ ætates.

CAPUT V.

De Aſthmate Continuo. Conſilium.

OBS. XLIX. *CLariſſimum & Reverendum Decanum Eccleſiæ Cathed. Rhem. D. Friſon annum jam vertentem difficultas in ſpirando ea premit, quæ etſi non eſt ſumma, quòd orthopnœa nondum acceſſerit; tamen quia & ſtertoroſa & continua eſt, nec ullas dat inducias, graviſſima ſanè habenda eſt. Nam quòd nuper dum aquis Spadenſibus uteretur eam ſummam paſſus eſt anguſtiam, quæ rectâ eum cervice & ſedentem ducere ſpiritum cogeret, id verò tribui poteſt frigori earum aquarum è fonte ipſo hauſtarum, quod ſanè pectori adverſiſſimum eſſe conſtat annotatione* α *Hippocratis, & experimento noſtro, ſiquidem nunquam ejuſmodi aquas è fonte* ebibi,

Aſthmatis ſigna. Cauſæ procatarcticæ:

α Lib. 5. Aph. 24. τὰ ψυχρὰ &c. τῷ ςήθει πολέμια &c. frigida &c. pectori inimica &c.

ebibi, quin ſubitò evidens moleſtuſque frigoris ſenſus pectus feriret, & conſtringeret, tum in anhelitu augendo non mediocrem vim habet: nam ſi aqua ipſa ab æſtuoſo pulmone allicitur, certè ejus frigore pulmonem lædi mirandum non eſt. Ac quanquam ob exeſam columellam aërem frigidum magis integris cum viribus, & minùs alteratum cor in Reverendo viro trahat, ut ea non ſit neceſſitas ſpiritum rectâ cervice trahendi, quanta in iis, qui columellâ non carent, tamen graviſſima eſt judicanda & periculi pleniſſima affectio.

Quoniam autem vocis raucitatem, tuſſimque ſiccam ab initio comitem habuit, & frequentem alioqui, variiſque catarrhis modò in hanc, modò in illam partem externam irruentibus ſucceſſit, excepitque hæc difficultas ſpiritus, & præterea quanquam tuſſis ſicca eſt, tamen quia violentia tuſſis quid excreat, id verò craſſum apprimèque tenax eſt, hujus certè aſthmatis cauſam continentem (ſupponimus enim diſcurſum ſuperioris in omnes aſthmatis cauſas latè dilucidèque diffuſum) ſtatuere oportet obſtructionem magnam bronchiorum pulmonis à ſeroſâ diluvie è capite in illa ſenſim dilapſâ, ſed jam hoc tempore præ diuturnâ morâ incraſſatâ ac fortè etiam putreſcente & tabem brevi immedicabilem comminante. Antecedentes. Continens.

Accedit quòd cùm ab aliquot annis exeſa ei columella fuerit, haud dubium eſt pulmones frigidam intemperiem & habitualem contraxiſſe (nam gargareonis hic uſus inter alios plures ad effringendam ambientis frigiditatem eximiam ſpectans vel tonſoribus notus eſt) ob quam eum humiditate ab aſſiduo depluvio illatâ conjunctam pulmonibus non id robur ineſſe poteſt, quod contumaciam & craſſitiem materiæ queat evincere.

Age autem quoniam fruſtrà conſilium de liberando ab hujuſmodi humore infarcto pulmone inibitur à nobis, niſi catarrhus jam inveteratus ſi fieri poteſt coërceatur, in ejus ſanè cauſas priùs ſedulò inquirendum. Principiò itaque cùm terminus catarrhi (fluxio enim omnis motus eſt quidam) ſit citra controverſiam caput, meritò quæret aliquis tam pertinaciter & diu depluentium humiditatum cauſas generantes ſive colligentes, quæ ut plurimùm impellentibus Cùm præſentis affectus cauſa antecedens ſit catarrhus inveteratus, hujus cauſa generans inveſtiganda eſt.

 lon-

longè ſunt obſcuriores. Medici ſanè, quos hactenus *Reverendus Vir* conſuluit quantum ex illo intellexi, *corpus inæquale & mirè diſcratum omnium malorum parentem criminantur, cauſanturque hepar quidem impensè calidum, ventriculum autem contrà frigidum humidum materiam tenuem & vaporoſam cerebro continenter communicare: hoc verò ratione poſitûs, ſiquidem veluti tectum calidæ domui ſuperponitur, eam excipere de facili, imò inſtar cucurbitulæ allicere & haurire, ſed allectam præ humiditate & frigore reſolvere & ſuperare non poſſe: itaque vaporem ſuperſtitem ad ingenium nativum aquæ redire.*

Quæ non dependet â corpore inæquali & diſcrato;

Quæ profectò etſi probabilia ſunt & tritis Medicorum ſcitis confirmata, ſi tamen accuratè expendantur, pleraque ex his gratis jactata incertaque admodum æquis rerum æſtimatoribus judicabuntur. Enimverò floridus nitiduſque qui non ita pridem in facie hominis totoque habitu emicuit ſemper color, mira ad omnes functiones animi & corporis alacritas, incredibilis morum ſuavitas, & præſertim ſingularis prudentia, cujus laude apud omnes commendatiſſimus ſemper vixit, an non æqualis optimæque temperaturæ certa ſunt *judicio* α *Galeni* argumenta? quod ſi eſt, hepar certè ſupra mediocritatem à naturâ incaleſcere non niſi temerè dici poteſt, & hoc confirmat vaſorum in procero aliàs corpore mediocritas. Atqui ſi hepar à mediocritate versùs calorem non excedit, quod ſupereſt firmum ventriculi præter naturam frigidi humidi indicium? *quanquam certè ſi ex ſapientum ſenſu, non ex vulgi medicorum opinione res hæc definienda eſt, hæc frigidæ in ventriculo intemperiei conjectura ab immoderato hepatis calore petita vana admodum eſt, incertaque, cùm ventriculus ſitum in medio viſcerum obtinuerit, ut in phyſicis demonſtratum, & monuit* β *Galenus, ut tepidus aliàs ejus calor à vegetiore viſcerum circumſtantium calore non mediocriter juvaretur.*

Non ab hepate impensè calido;

Non à ventriculo frigido;

Sed ſanè mediocritatem temperaturæ ventriculi laudabilis ciborum coctio ſatis ſemper demonſtravit, cujus coctionis

α In arte parva.
β In Lib. de uſu part.

nis excrementa optimæ notæ indices fuêre hactenus. Nec enim illi alvus liquidis fluere excrementis, non ructus acidi moleſtiam faceſſere ſolent, & ſi quos emittit nidorem potiùs illi præ ſe ferunt calidæ indicem temperiei. Denique quanquam à pluribus annis aſſiduam ille in equitatu vitam egerit, tamen nuſquam crudos indigeſtoſque vomitu cibos reddere contigit; nec pariter ullâ animi contentione ventriculus in ſuo munere perbellè & feliciter defungendo interturbatur; itaque laudabilis naturalium in eo viſcerum agnoſcenda eſt ſymmetria.

(Incaleſcentia volæ manuum & pedum unde?) Quòd ſi plus juſto hoc tempore volæ manuum ac pedum incaleſcunt, cum calorem hepati adventitium eſſe, & febriculæ tribuendum reor, quam aut putreſcens in pulmone humor frigidus & craſſus, aut obſtructio hepatis foveat, quâ *Reverendum Virum* ſcatere ex ærumnoſâ & laborioſâ præſertim à cibo vitâ, cui civilia bella illum aſtrinxerunt, conjicere eſt: nihil namque viſcerum & meſeræi obſtructiones æque facilè parit & auget, atque immoderatus ſtatim à cibo labor ſive equitando, ſive alio quovis valido corporis exercitio ſuſceptus, uti vel mediocriter in arte exercitatis ſatis perſpectum eſt. Sed & hoc certè teſtari multis experimentis poſſum gravibus & importunis illis catarrhis febriculas à viſcerum obſtructionibus pendentes perpetuò ferè adjungi comites.

Neque à cerebro frigido humido: Poſtremò cerebrum à naturâ non eſſe frigidum humidum quàm par ſit cùm acres ſenſus, tum eximia in homine prudentia tot in negotiis publicis rectè & ſapienter adminiſtratis teſtata manifeſtè declarant.

Unde igitur urgebis, catarrhi tanta contumacia, quam nec temporis longinquitas, nec tot Sapientum Medicorum conſilia hactenus edomare, aut moderari potuêre, ſi non ab habituali capitis humiditate? equidem etſi ultrò fateor plurimam in capite redundare colluviem ſeroſi humoris tot malorum fomitem, hujus tamen ſynathriſmi præter cauſas naturales & neceſſarias in operis præfatione explicatas, vitæ rationem in aſſiduis vigiliis acrioribuſque curis & gravibus animæ contentionibus pro adminiſtratione negotiorum (ſed à ſeroſâ colluvie in capite redundante,)

 rum

rum ſuæ fidei induſtriæque commiſſorum ſuſceptis poſitam, & omnibus aliàs aëris injuriis expoſitam opportuniſſimam dediſſe occaſionem : & præterea poſtremam hanc quoque cauſam eſſe maximam redundantiæ in toto ſeroſi humoris, quæ cephalicam illam alteram foveat augeatque arctè teneo, accurateque defendo. Nam cui mirum videbitur homini politico diu noctuque ſereno, uvido cœlo aſſiduò equitanti, & ab aliquot jam annis in frigidiore Lotharingiæ ſolo verſanti corpus conſtantis ætatis ratione denſitati proximum eam toto in habitu pororum adſtrictionem contraxiſſe, quæ omnem ſeroſi humoris difflationem inhiberet, & introrſum cogeret?

ab ejus in toto redundantiâ auctâ,

Cui mirum videbitur in homine functionibus animæ aſſiduè intento, atque apricationi obnoxio caput laborare ſeroſâ colluvie ſive ſponte è toto cum ſanguine & ſpiritu de more naturæ ad caput allabente, ſive vi caloris externi concitatâ, & ibidem aliàs congeſtâ ob neglectas per animæ aliorſum diſtractionem vacuationes naturales, ut ſpuitionem & emunctionem?

& à cauſis externis concitatâ:

Ac de cauſis impellentibus non eſt quod anxiùs ſatagamus, cùm ex eodem victus inſtituto illæ poſſint intelligi. Nimirum homini deſultoriam vitam agenti cùm variæ aëris injuriæ, eæque in hoc ſolo creberrimæ perferendæ ſint, nova ſanè in dies & ſæpè contraria ſuboritur occaſio catarrhi concitandi, quas occaſiones ſatis cuique notas ſupervacaneum eſt pluribus explicare.

quæ à capite cum lentis cerebri excrementis in bronchia pulmonum defluens,

Poſtremò cùm ex ſupradictis conſtet *fluentem humorem eſſe ſeroſum*, eum tamen lentum eſſe & mixtum ex parte excrementis cerebri mucoſis, hinc intelligi poteſt, quod hominem officiis animæ prorſus addictum, & munerum naturæ ſecurum non ita felicem coctionem & particularem cerebri nutritionem edere poſſe neceſſe eſt, itaque multum mucoſi humoris in capite congerere; ex quo ſerum certè in eodem redundans lentis illis excrementis immiſceri inter delabendum oportet. Defluere namque tenuem admodum humorem è capite in catarrho propoſito, qualis per coryzam ſolet, arguit lingua albicans & aquoſus è naribus

ribus diſtillans humor, confirmatque quòd & nulla palatum acrimonia caliditatis index ferit ac titillat, & tuſſis ſicca eſt, quòd humor præ tenuitate ſpiritus ſubterfugiat impetum; nihil namque prohibet eum humorem bronchiis pulmonum jam concluſum vi caloris brevi craſſeſcere, & concreſcere partibus tenuioribus reſolutis. ibi vi caloris brevi craſſeſcit.

Atque his ita conſtitutis *Curationis ſcopi in catarrho ſiſtendo & pulmonibus ab infarctis humoribus liberandis potiſſimùm verſari debent.* Quoniam autem hactenus multa à Clariſſimis Medicis ſapienter adminiſtrata eſſe intelligo, mihi moderabor hac in parte & intento tantùm digito indicabo ea remediorum genera, quæ avertendi catarrhi vim habent, ut ſi quæ ex iis fortè antea ſunt prætermiſſa, ea deinceps tentari poſſint. Curationis ſcopi II.

Principiò igitur ea uſurpanda cenſeo primo quoque tempore, quæ *colluviem in toto ſenſibiliter expurgare poſſunt per alvum* & citrà aliàs apparatum humoris ex ſe fluxi, nec inciſione aut deterſione egentis (nam in morbo ita provecto venæ ſectionem vires languidæ perferre nequeunt) exemplum eſto hic bolus. ℞. *caſſiæ ʒ. vj. diaphœnici ʒ. j. pulveris rhei electi ʒ. ß. penidarum ℈. iiij. miſce cum ſaccaro, fiat bolus, & aſſumpto ſuperbibat jus galli:* tum verò *diuretica* in formâ liquidâ exhibenda, de quibus ſuperiore obſervatione; tertiò *quæ ſimpliciter avertunt*, ut ſunt *frictiones, ligaturæ.* I. Scopus in Catarrho ſiſtendo verſatur. ubi 1. Colluvies totius expurganda α. per alvum: β, per urinam, γ. per avertentia.

Quibus ſuccedere utile *particularem capitis illuviei ſeroſæ expurgationem eamque partim ſenſibilem*, ut per *errhina*, quale hoc: ℞. *majoranæ, ſalviæ recentis ana m. j. radicis iridis ℥. j. ß. contuſis omnibus affundito aquæ vitæ ʒ. j. vini albi generoſi ℥. iiij. expreſſus ſuccus in nares prono trahatur capite*, partim *inſenſilem* per ea quæ exſiccandi vim habent ſive aſſumpta, ut ſunt *magnæ antidoti*, ſive admota qualia ſunt tum *calida aſtringentia maſtice, ſandaracha, juniperi grana, macis, caryophilli roſis additis in ſacculo impoſita*, tum *veſicantia*, ut *cantharides*, & quæcumque ex alto trahendo proximè à parte mandante avertunt, quale hoc emplaſtrum. ℞. *ficuum pinguium, fermenti acris ana lib. ß.* 2. Caput particulariter à ſero vacuandum cùm ſenſibiliter; tùm inſenſibiliter.

ſemi-

ſeminum viticis & naſturtii contuſorum ana ℥. j. ſeminis ſynapi contuſi ℥. ij. emplaſtri de betonicâ ℥. iiij. malaxentur & concorporentur cum olei irini ſufficienti quantitate, formetur emplaſtrum, extendaturque ſuper alutâ, & capiti raſo impoſitum quotidiè manè renovetur. Ad quem ſcopum pertinet *cauterium vertici impoſitum.*

3. Fluens materia intercipienda eſt per aſtringentia.

Quintò denique *fluens materia intercipienda eſt* aſtringentibus deglutitis aut ore contentis. Quale hoc: ℞. *boli armeni ʒ. ij. aquæ conſolidæ & farfaræ lib. j. miſce in phialâ, quæ agitetur donec tota fiat rubra, cujus miſturæ ℥. j. aut altera ſero bibatur. Syrupus myrtillorum, diapente, & opiatæ ſive pilulæ, ſive electaria ab Hollerio deſcripta non improbantur.* Atque hæc ſunt, quæ cùm fluxuram tum fluentem reſpiciunt materiam.

II. Scopus in pulmonibus ab infarctis humoribus liberandis occupatur: Quod aſſequimur vel eorum expurgatione ſenſibili inſtituta 1. per alvum.

Quod autem ad eam *quæ jam in pulmones fluxit*, hæc ſanè *cùm ſenſibiliter expurgari, tum verò inſenſibiliter exſiccari* quoque poteſt: *ſenſibilis igitur evacuatio* fieri poteſt per alvum, per renes, per os tuſſi concitatâ. *Ac per alvum* magnifacio cum magnis viris *generoſos paſtillos Galeni ex ſynapis ſcilicet attenuantis humoris craſſitiem ʒ. j. ſalis communis lentorem detergentis ʒ. ß. & elaterii vacuantis granis xv. tritis ſcilicet omnibus cum aquâ & in octo paſtillos redactis, qui exhiberi poſſunt alternis diebus, ſed præmiſſis clyſteribus & ſuperbibitis ℥. vj. mulſæ ad celeriorem elaterii deſcenſum*, quod ob vim veneficam & hypercatharticam diu morari non debet. Idem præſtant *ſuccus radicis ſambuci ad ℥. ß. cum melle roſaceo, & radicis ireos ſed in longè minore doſi, & cum mannâ*, ſi tamen eorum vis in corpore diuturnitate morbi fracto pertimeſcitur, alternis diebus hæc purgatio ſaltem utilis erit: ℞. *radicis enulæ campanæ, polypodii querni, ſeminum carthami, paſſularum exacinatarum ana ℥. ß. hyſſopi, ſatureiæ, thymi ana m. j. foliorum ſenæ mundatorum ℥. j. fiat decoctio ad lib. ß. addendo ſub finem agarici recens trochiſcati. ℥. ß. radicis ireos florentinæ ʒ. iij. in colaturâ diſſolve ſaccari albi, mellis optimi ana ℥. j. fiat apoſema in tres doſes manè quatuor horis ante cibum ſumendas.* Vel hoc ℞. *radicis petroſelini, fœniculi, aſparagi, ſe-*

minis

minis carthami ana ℨ. j. radicis ireos ℨ. ß. thymi, epithymi, hyſſopi, tuſſilaginis, capillorum veneris, ſcabioſæ, bugloſſæ, & borraginis ana m. ß. jujubarum, ſebeſten ana num. xij. paſſularum ſine granis ℨ. j. foliorum ſenæ ℨ. j. ß. coquantur ad tertias & factâ colaturâ agarici trochiſcati ʒ. iiij. cujus porrige ℨ. ij. vel denique *decoctum galli veteris infartum ſeminis carthami ℨ. j. foliorum ſenæ ℨ. ij. aniſi, & ſeminis anethi ana ʒ. ij. radicum enulæ, polypodii querni, liquiritiæ raſæ ana ℨ. ß. hyſſopi, praſſii, ſatureiæ ana m. j. paſſularum exacinatarum ℨ. ß. pulmonis vulpis triturati ʒ. ij. his gallus infartus in libris xv. aquæ ad medietatem coquatur, & forti expreſſione factâ decoctum percoletur, & aëri exponatur, reſidentiâque ſeparatâ quod liquidius eſt in uſum veniat ℨ. vj. addendo oxymelitis ℨ. j. reſidentia autem cum hierâ, oleo & ſale per clyſterem infundatur.*

Jam per renes expurgari poteſt contenta pulmone materia decoctis ſuperiore obſervatione declaratis. 2. Per renes.

Denique *per os anacatharſis* promoveri poteſt lambitivis, 3. Per os. in quo genere ſunt *ſyrupi de hyſſopo, de marrubio, eclegma ſanum & expertum, è pino, & hoc ex piperis albi calfacientis frigidum humorem, ſyrupi de praſſio & oxymellis ſcillitici tanquam attenuantium & detergentium craſſitiem & lentorem ejuſdem ana ℨ. j. huic baſi additis penidiis & pineis acrimoniam ſuperiorum guttur abradentem obtundentibus, ſimulque tuſſim excitantibus, & humectantibus, nec non edulcantibus.* Vel hic Augenii ſyrupus de helenio: ℞. *radicum helenii & polypodii querni maceratorum in vino albo dulci horis* 12. *ℨ. ij. paſſularum corinthiacarum ℨ. ß. ſebeſten num. xv farfaræ, pulmonariæ, foliorum ſatureiæ & calamenthi ana m. j. folium unum magnum tabaci, liquiritiæ raſæ ʒ. ij. ſeminum urticæ, bombacis ana ʒ. j. ß. coquantur in mulſâ dilutiſſimâ ad lib. j. ß. & cum pari quantitate ſaccari fini, fiat ſyrupus perfectè coctus, cujus uſus lambendo, cui oleum de ſulphure injici poteſt, ſcilicet olei de ſulphure arte chymicâ extracti ʒ. j. ℨ. iiij. ſyrupi ſuperioris.* Aut denique ſyrupus de tabaco ejuſdem: ℞. *decoctionis foliorum tabaci lib. j. ß. ſaccari fini tantundem, fiat ſyrupus perfectè coctus, qui cum mulſæ dilu-* (Augenii ſyrupus de helenio & de tabaco.)

 tæ

tæ ex decoctione hordei factæ ℥. iiij. pro duabus ſyrupi lambendo ſumatur : cui ſyrupo addi poſſunt ſpecies diairis calidi Nicolai, & pulmonis vulpis, illius quidem ʒ. ij. hujus ʒ. j. pro tribus ℥. ſyrupi, ut fiat eclegma : quæ eclegmata vim habent mirificam *exſiccandi inſenſibiliter pulmones*, & robur iiſdem addendi, *quæ ſunt poſtremæ indicationes.*

Vel inſenſibili.

Ad quas commendantur (ut ſuffumigia omittam, quæ cùm in aëre ſolùm libero ægri reſpirare, nec niſi ægrè poſſint, ut in uſum commodum veniant facilè non video) *conſervæ enulæ campanæ, anthos, uti & laudo pulverem aut decoctum botrios, & pulmonis vulpis, ſive conſervam, ſive aquam quæ fit & extrahitur ex iis pulmonibus additis ſalviâ, hyſſopo, capillo veneris, radicibus ari, liquiritiæ cum ſaccaro candido, & ad ℥. iiij. propinatur. Denique flores ſulphuris cum omnibus probo ſed ſic correctos. ℞. Floris ſulphuris ʒ. j. pulveris ireos, & cinamomi ʒ. j. ß. ſaccari candidi ℥. j. miſce, fiat pulvis cujus ʒ. j. ſumatur cum duobus cochlearibus aquæ cardui benedicti.*

Obſervatâ quoque Victus râtione tenui, parcâ, atque ſiccante.

Age tandem *Victus tenuis & parcus ſiccanſque* eſſe debet, hoc eſt *è ſolidis & ſiccis non ſorbitionibus, juſculis, cæteriſque liquidis conſtans, & ferè ex carnibus aſſis iiſque boni ſucci & concoctu facilibus*, quales optimè innotuerunt Viro prudentiſſimo : *panis fermentatus ſatis & ſale ac fœniculo conditus, vinumque eſto mediocre quoad vires, aut hydromel ex decocto radicis enulæ, hyſſopi, tuſſilaginis, ſcabioſæ, paſſularum, florum cordialium:* vel hoc melicratum *℞. fœnigræci p. j. hyſſopi m. j. ficus num. vj. fiat decoctio ad lib. j. in colaturâ diſſolve mellis crudi ℥. ij.* Ut autem omnis ſatietas varietaſque vitanda, ſic parciſſimè bibendum, & fallenda ſitis, *prunis, vel liquiritiâ in ore maſticatis.* Fructus autem omnes cavendi præter dulces, quales *uvæ paſſæ, ficus & pruna.* Omninò arctè exquiſitéque vivat ut ſenſim ſupervacuus omnis humor exſiccetur & catarrhi fomes exhauriatur.

De curatione Aſthmatis.

OBS. L. *Hujuſmodi victus accuratè obſervati beneficio & pilularum duntaxat ſeroſam in capite colluviem expurgantium quidam Religioſus è Societate Jeſu adhuc juvenis qui ante*

tè ſeſquiannum à diuturno catarrho eam in ſpirando contraxerat difficultatem & corporis extenuationem ut jam maraſmo tabeſieri conficique præter meam ſententiam corpus Medici docti judicarent : (Autumnus tum vigebat) curationis autem ſpem ſed exiguam tamen in uſu lactis aſinini circa veris initium ponerent, reſtitutus eſt ſibi ita, ut vel antè veris adventum & florem corporis recuperarit, & tantam ſpiritus trahendi facilitatem, quæ ei ambulationem eamque vehementem & æqualem diebus vel integris, reditumque felicem ad ſuos hoc eſt Rothomagenſes permitteret. Eum antè memini calculos identidem rejicere tuſſi ſolitum, quos ipſe vidi, quibuſque ſerum è capite continenter delabens & à longo tempore unà cum mucoſis cerebri excrementis materiam dederat & æſtus partium thoracis (rufus enim erat calidoque admodum à naturâ temperamento) concretionem in corpus ſolidum durumque & lapidoſum.

Cæterùm non erit ingratum conſilium quod reperi inter ſcedulas meas ad dyſpnœæ majorem intelligentiam pertinens hic inſerere quanquam nomen ægroti mihi effluxit è memorià, quippè ſcedæ non inaratum.

CAPUT VI.

De Hydrope Pulmonis.

OBS. LI. *Ingenuus puer & ſcholaſticus habitans è regione ſacrarum ædium R. Patrum in ſpirandi difficultatem duos antè menſes (ut accepi) incidit, quæ ſenſim increbreſcens æqualiter ſine febre & ſine tuſſi orthopnoicâ, & ſtertoroſà quodammodo videtur jam fieri : nam non niſi cum alto anhelitu & gravi ſpirare videtur imò auditur, & decumbit ſemper cum gravi ſtertore : ac tametſi corpus exercere poteſt, à labore tamen quolibet non mediocriter affectus augeſcit.*

Cauſam hujus difficultatis non facilè ſtatuere eſt, quippè nulla hactenus præceſſère indicia vel levia, vel obſcura decubitus humorum è capite, non tuſſis, non raucedo vocis, aliave ſigna fluxionis : pariter neque obſtructionis Cauſæ præſentis affectus inveſtigatio eſt difficilis.

Gg 2 bron-

bronchiorum pulmonis, ut ſuſpicio aliqua eſſet aſthmatis præſertim cùm quamdam æqualitatem & eundem tonum, progreſſumque affectus ſemper tenuerit, nec periodicam exacerbationem ex intervallis aſthmati familiarem habuerit: ſimiliter ſanè tuberculi crudi, vel empyematis nullæ notæ ſeſe prodiderunt hactenus, nec peripneumonia aut pleuritis prægreſſa, ut omnis ſuſpicio faceſſat membranas pulmonis thoraci adhæſiſſe, quanquam ſæpe hanc cauſam conjunctam eſſe cum ſimili anhelitu obſervo. Denique nullus viſcerum ſubjectorum tumor ſcirrhoſus, qui diaphragma premere poſſit, accuſari poteſt.

Cauſa procatarctica, Unica autem eaque evidens admodum cauſa præceſſit potus ſcilicet plurimus & frequens, imò ordinarius aquæ frigidæ, iſque diuturnus totâ ſuperiore hyeme, & maximè à quovis corporis exercitio pueris ordinario, quam aquam haud dubium eſt ſanè propoſitam ſpirandi difficultatem producere potuiſſe ſive impreſſâ intemperie frigidâ & veluti congelatione, ut loquitur Galenus, diaphragmati, muſculis, nerviſque thoracicis, imò & fibris muſculoſis bronchiis pulmonum inſertis, de quibus antè, ſive potiùs obſtructione eorundem vaſorum quemadmodum & levium arteriarum, ſed & pororum toto parenchymate pulmonis diſperſorum, *qui affectus hydrops pulmonis dici poteſt ex analogiâ Hydropis cerebri de quo antè ex* α *Hippocrate.*

& continens. *Veriſimile eſt enim ab exercitio æſtuantes, vel ab aliquo affectu latente febriculoſo pulmones epotam largiùs aquam attraxiſſe ex parte & imbibiſſe, itaque ſenſim collectam oneri pulmoni fuiſſe, atque eum ad has anguſtias adduxiſſe tandem.* Quanquam non improbabile dictu ex eâdem aquâ efferveſcente hydropem thoracis ſuccreviſſe etiam, ut ſequenti obſervatione pluribus demonſtrabitur.

Curatio inſtituta Cùm igitur *in has duas cauſas intemperiem ſcilicet frigidam partium inſpirationi inſervientium, & præſertim hydropem pulmonis hactenus totius curationis ſcopos direxiſſem*, ſemel & iterum *purgationem* præſcripſi *ſeroſorum humorum*

1. per purgationem. exhibitis *mannâ, melle roſaceo ſolut. expreſſo agarici partim* in

α P. 79. hujus lib. Piſonis.

in potu partim in juſculo veteris capi : cui adjunxi poſtea *diuretica* in affectibus thoracis valdè commendata & ſimul intemperiei frigidæ accommodata, *decocta ſcilicet hyſſopi, calamintæ, ſcabioſæ, botridis, iridis, & ſimilium, tum ſyrupos ejuſdem cenſus, tabellas diairis, conſervas enulæ campanæ, anthos, nec non fotus & unguenta modicè calefacientia.* 2. per diuretica. 3. per frigidæ temperiei correctionem.

Sed fruſtrà, quia & puer guſtata ſemel medicamenta ferè reſpuit & affectus altiùs radicatus illa ſprevit quoque, tum mihi conſilium ad generoſiora vertendum eſſe putavi *ad antidotos ſcilicet magnas, eclegmata vulgaria, flores ſulphuris, emplaſtra diachylon, vel ex ſynapi & ficubus univerſo thoraci admota*, præterquam circa regionem cordis ne febrim inducant. Hac fruſtrâ alia adhibita eſt.

Quibus remediis niſi puer juvetur, deliberandum certè videtur *de evacuatione ſenſibili per thoracis apertionem cum cauterio potentiali factam* (nam ſudorifica aut ſuffumigia crebra ſpiratio non facilè tulerit) ſed de illo ſtatuent Medici, quorum fidei æger committetur. Eâque nihil juvante, quæ demum inſtituenda.

CAPUT VII.

De Hydrope Thoracis, & Hydatide Pulmonis.

OBS. LII. *Nobilis Vir Chriſtianus de Chatenois D. d'Eccuelle, temperamento impensè calido, & annorum aliquot ſupra octoginta ſenſim gravi ſpirandi difficultate opprimi cœpit, & eâ quæ de nocte potiſſimum negotium exhiberet. Scilicet cùm primùm ſomnus eum de more teneret, tum deſubitò ſuffocatio ſomno interrupto ſenem excitabat, ut invitus è lecto ſurgere, & ſimitu ad feneſtras cubiculi confugere liberioris aëris naribus apertis captandi cogeretur : videre erat ſenem inflammatâ facie ſpiritum ex alto citantem ſcapulis palpitantibus, & nullibi locorum conſiſtentem placidè, & vel rigidiore de hyeme ab omni foco maximè averſum, imò dio ſeſe ul-*

ultrò exponentem, ab eâ tamen anguſtiâ ſenſim ſine ſenſu die procedente liberiorem fieri præſertim poſt meridiem; ſed ſuccedente ſomno iterum affectio recurrebat & urgebat pariter optimum ſenem.

Jam autem unum & alterum annum ita æger mirè ſuſpirioſus vixerat, ut animam in dies aut potiùs in noctes agere videretur, Medicis quos ille conſuluerat aliis incubum, aliis ſonticum morbum opinantibus, cum meo conſilio uti illi viſum.

Præſentis affectus cauſa continens.

Ego igitur attentè anhelitum illum intuitus, multaque per unam aut alteram horam apud me meditatus ſuper cauſis tam pertinacis anguſtiæ, & quotidianum circuitum præ ſe ferentis, concluſi tandem humorem illum ſive bronchia ipſumque pulmonem occupantem, ſive medio in pectore potiùs ſtagnantem ejuſmodi eſſe, ut ſomni quidem tempore per palindromen ſpiritus vitalis in præcordia refluentis novum conciperet quendam fervorem, adeò ut cum ita efferveſcens ſpatio veluti ſuo contineri ut antè non poſſet, pulmones comprimeret neceſſariò, itaque motum liberum interciperet; fervore autem eo ſenſim quieſcente per ſe ſpiritu ſcilicet è præcordiis in habitum corporis, ut fit in vigilantibus, refluente, tum pulmones ſpatium liberius recuperare, ægrumque ſic ſpirare non tantâ cum anguſtiâ: eum porrò humorem unum ſeroſum eſſe poſſe ſive aqueum, qualem videram olim ſemel & iterum in diſſectis corporibus. *Quamobrem ſumma ratiocinationis meæ adducta eò eſt tandem, ut difficultatem illam ſpiritus ſingulis noctibus urgentem & de die nonnihil remittentem in hydropem thoracis rejiciendam eſſe apud me ſtatuerim.*

Curatio peracta 1. corporis expurgatione. 2. Aquæ per lateris apertionem eductione.

Cùm autem affectum diuturnum & graviſſimum nondum attritis adhuc viribus primo quoque tempore corrigendum eſſe ratio juberet, *corpus ſtatim repurgandum præſcripſi, & conſului ut aperiri ſibi permitteret latus alterum, ut ſenſim aquâ illâ eductâ animam liberiorem duceret æger.* Quod conſilium meum tardiùs quàm par erat cùm audiſſet Magiſter Joannes Vincentius Chyrurgus Suæ Celſitudinis nimium in hac re mitis & ægro blandiens, interea hic

Eventus.

mor-

morte non immaturâ exceſſit è vivis: *ſed Chyrurgus cùm in demortuo diſſecando audacior fuiſſet quàm in latere vivi adhuc tundendo & aperiendo, reperit pulmonem præcordiaque in plurimâ aquâ ſeptis thoracis intercluſa innatantia:* Quod comprobavit mirificè judicium à me ſuper cauſâ morbi factum. Aqua in thorace cadaveris aperto inventa eſt.

OBS. LIII. *Anno verò circiter nono ſupra 1600. menſe Febr. Adoleſcens pius & doctus ac Nobilis Burgundus Nicolaus Jacques, D. de Lombar orthopnœâ inveteratâ à multis annis & febre funeſtâ laborans hic extremum obiit diem vi morbi repentè jugulatus. In ejus cadavere præter inflammatorium in hepate tumorem repertus hydrops thoracis, ſed in uno duntaxat latere, & pulmo veſicis humore conſiſtente lentoque & pellucido inſtar albuminis ovi prægnantibus refertus.* De eod. affect.

OBS. LIV. *Hyeme autem ſuperiore duos quoque alios hydrope thoracis oppreſſos vidimus, quorum unus fuit Reverendus Canonicus Collegiatæ S. Crucis Deſiderius de Rupé, qui circa Octobrem Menſem primo Autumni frigore febre & catarrho in pectus decumbente correptus exactis ſex ſeptimanis circiter utcumque revaluit; ſed die Natalis Domini, optimo dierum, Aquiloniâ tempeſtate deſubitò ſæviente cùm ſacri pervigilii celebrandi mediâ de nocte domo exiiſſet, ab horrore longo in febrem rurſus ac difficultatem ſpirandi gravem incidit, quæ ſomnum abrumperet nec niſi ſedenti & erecto ſpiritum ducere permitteret. Ego tum inſignem in hypochondrio utroque, ſed præſertim dextro tumorem febri vehementi conjunctum cum deprehendiſſem, non aliam (ut ingenuè fatear) dyſpnœæ cauſam ſum ſuſpicatus, quàm evidentem illam diaphragmatis compreſſionem à diſtentis nimium viſceribus, ſed in diſſecto cadavere demortui Reverendi viri ſexageſimo ſcilicet die à recurſu febris præter hepar tumidum, induratum, retorridumque & pumicis inſtar hiulcum ac poris diſtinctum, univerſus thorax aquâ purâ plenus inventus & in ſtupendâ copiâ.* De eod.

Scilicet vi frigoris ambientis ſanguis à prægreſſâ febre aduſtus in viſcera præcordiaque ſeu ſanguinis fontes impulſus ut horror diutinus, pulſuſque indicavit parvus adeò per quatriduum, ut venæ ſectionem ab urente febre alias inſinuatam

pror-

prorſus diſſuaſerit, impulſus (inquam) ſanguis in vaſis ſubſtiterat, ſed ſerum in thoracis medium ſpatium longè latéque è vaſis exudarat, quam ſeri copiam ſtupendam auxiſſe probabile eſt epotam ptiſſanam largiùs pridie mortem ab anheloſo ſcilicet, ſed æſtuoſo pulmone attractam immodicè impenſiúſque, ut urina tum ſuppreſſa penitus arguit. Animadverſione autem digna fuit in Reverendo Viro reſolutio ferè utriuſque brachii jam à principio recurſus manifeſta, quam tamen tribui debere fluxioni è capite non improbabile tum fuit quod catarrhus priori febri ſeſe adjunxerat, faciléque is commutari poteſt cum ſtupore brachiorum. Hic ut reliqui hydrope thoracis laborantes pariter ægerrimè reſpirabat circa primam vigiliam nec ſe loco continere poterat, non ſolùm ob motam febris veſpere recrudeſcentis ſed ob fervorem aquæ thorace deliteſcentis.

De eod. OBS. LV. *Alter fuit honeſtus civis Pontanus Gerardus Bruneſſau, qui annum ferè vertentem dyſpnœâ laboravit, quæ ſimiliter ſuccedente veluti ſuffocatione quâdam ſomnum quotidie interrumperet, hominemque in cathedrâ ſedere & quieſcere perpetuò cogeret. Hunc verò, quanquam non eſt diſſectus, poſtquam ceſſiſſet naturæ, tamen hydrope thoracis certiſſimo laboraſſe facilè ſemper ſum ſuſpicatus ex invaſione illâ ſuffocationis ſomnum abrumpentis, & confirmavit quod uno aut altero menſe antè mortem venter quidem imus deſubitò intumuit, ſed ſcrotum maximè immani & ſtupendo hydrocele diſtentum eſt: nam nota eſt Medicis omnibus ſympathia mirifica, quæ thoraci convenit cum partibus genitalibus ab* [α] *Hippocrate paſſim annotata, & frequenter à me in tuſſiculoſis comprobata.*

De eod. OBS. LVI. *Hoc hydropis thoracis genere conjicio Reverendum Patrem unum ex primariis Societatis* Jeſu *viris mihi hic olim benè notum & à duodecim circiter annis apud Fixenſes viventem teneri ab eo tempore, imò antè.*

Audio enim illum omnino ſimili laborare ſpirandi difficultate, qualem in ſuperioribus ægrotis obſervavimus, continuâ, ſed

α In epid. lib. 2. ſect. 1. Aph. 41. Ὄρχις οἰδήσας ἀπὸ βηχέων ὑπόμνημα κοινωνίης στηθέων γονῆς; teſtis tumor a tuſſi ceſſans nos commonefacit genituræ & pectoris conſenſionis.

ſed quæ ſingulis diebus circa decimam horam noctis interrupto primo ſomno virum pium è cathedrâ , in quâ rectâ cervice quietem capit, derepentè excitat & ad auram frigidam apertis feneſtris captandam hauriendamque quanquam invitum, cogit , quæ tamen difficultas ſenſim poſt aliquot horas de illâ vehementiâ remittit.

Pertinacia certè paroxyſmi nec non diuturnitas affectus conjecturam noſtram de hydrope thoracis potiùs quàm de incubo confirmare videtur. Cùm enim exquiſitam vitæ rationem pro ſingulari animi moderatione & temperantiâ hactenus ſemper vir pius ſervaverit , atque ab omnibus aëris injuriis ſartum tectumque ſe defenderit , nemini mirum videri debet tot annos ferre potuiſſe hujuſmodi morbum, ſi conſtat in palpitione laborantibus ſuſque deque pro animi libidine viventibus cor impunè poſſe ferre viciniam aquæ in ſuâ capſulâ perpetuò morantis: quod volui annotaſſe pro ſingulari meâ erga tantum virum obſervantiâ & animo juvandi ex parte adverſam ejus valetudinem, ſi qua reſtat ſpes redintegrationis ejus convenientibus remediis, de quibus infra.

Etenim cùm hic affectus ſive quia rarus, Galeno ſiquidem ſemel viſus , ſive quia obſcurus & abſtruſus , hactenus omnino quod ſciam à Medicis Practicis ſit prætermiſſus , operæ pretium mihi facturus eſſe videor breviter *de naturâ , diagnoſi , & curatione* quod ſentio dicere. Principiò igitur quanquam hydrops ventris inferioris , vel etiam ſupremi hoc eſt cerebri, de quo antè, ad tumorem præter naturam meritò poteſt referri quod ſenſu judice abdomen non mediocriter intumeſcat , tamen cum thorax oſſeus quippè ex parte diſtendi totus nequeat, non loquor de tumore ſolius cutis , hydrops ſanè thoracis ad tumoris genus referri nequit. An igitur intemperiei cum materiâ, ut hydrops quivis; an potiùs morbis in numero, ut aqua in pupillâ & empyema thoracis à Galeno , accenſebitur ? utri certè annumeraveris & vera dices , & ad curationem parum intereſt. Præfamen in morbi hiſtoriam. Ad quod morbi genus pertineat.

Sed unde hæc aqua ſincera puraque in thoracem venire poteſt , & per quas vias decurrere cùm manifeſti meatus

Hh nulli

nulli ſint per quos tranſponi queat? an exeſa, aperta, rupta, fiſſave aliqua pars vel potiùs vas aliquod? ſed ſi ita eſt cur non etiam ſanguis ſero in thorace collecto immixtus reperitur?

Aqua quomodo in thorace colligatur,

An autem α *natura ſibi invenit vias*, ut loquitur *Hippocrates*, cœcaque per ſpiracula ſibi apprimè cognita aquam redundantem refundit, ut ſæpè alia excrementa vel craſſiora, pituitam quippè *Hippocrates*, pus & ſanguinem *Galenus* excludi obſervarunt? an potiùs aquoſus humor unà cum ſanguine leviter è vaſis ebulliens reſudat ſub vaporis formâ ex iis, imo ex membranis ſive pleuræ ſive pulmonum iiſque ſuperatis mox in amplo eo ſpatio remiſſo calore ad ingenium redit aquæ, non aliter atque è cute ipſâ quicunque vapor aqueus abire ſolet? id ſanè fieri poſſe haud dubium eſt, cùm internæ membranæ in raritate externam cutem longè ſuperent. *Confluxio una*, *conſpiratio una*, *compatientia omnia* inquit β *Hippocrates:* an denique idem ſerum è finibus extremorum vaſorum per amplas thoracis membranas decurrentium ſub propriâ formâ, & ſenſibili exilit exundatque confertim in thoracis cavum, ut è vaſis ventris inferioris quandoque in abdomen, vel in inteſtina ipſa, ut hydrops abdominis & diarrhϾ aquoſæ ſatis indicant? *hic ſanè modus mihi probatur præ cæteris: & analogia ſimilium affectuum ſatis evidenter confirmat.*

De Hydat. pulmon.
Hydat. pulm: cauſa continens.

OBS. LVII. Atqui ſi hæc ita ſunt, vaſa autem quæ corpus viſcerum percurrunt longè rariora ſint, quippè quæ externâ deſtituuntur membranâ, *non eſt profectò difficilis inquiſitio hydatidum, quæ medio in pulmone pii Adoleſcentis Burgundi cujus mentio antè facta, mihi obſervatæ: Nam quid mirum ſerum tantillo muco, vel potiùs purulentæ materiæ exquiſitè permixtum alicubi colligi, & ejus puris ſive pituitæ lentæ partem concreſcere in veſicam ſive cyſtin, ut in abſceſſibus ſatis frequentibus atheromate, ſteatomate, & meliceride?*

α Lib. 6. ſect. 5. Aph. 2. Epid. Ἀνευρίσκει ἡ φύσις αὐτῇ ἑαυτῇ τὰς ἐφόδους οὐκ ἐκ διανοίης.

β Lib. de alim. Aph. 15. ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα.

ride? nam hydatides certè citra abſceſſum nuſquam mihi obſervatæ.

Age autem cùm hydrops thoracis magni momenti ſit affectus & plenis aleæ remediis duntaxat medicabilis, ut poſteà dicetur à nobis, magni ſanè refert eum à tot tantiſque affectibus ſimilitudine & difficultate ſpirandi ei conjunctis diſtinguere: *primum itaque & commune illi cum empyemate ſignum* erit murmur ſcilicet aquæ, quod imo in pectore exaudiri poteſt corpore horſum vorſum tranſverſim convoluto, vel ſuccuſſato à valente homine ſcapulis inſtante & apprehendente, agitanteque: ſed *ſignum pathognomonicum* ſtatuere oportet eam in ſpirando difficultatem ac crebritatem, quæ deſubitò ſomni primo tempore invadat, & quiete defraudet, ſed tamen procedente die ſenſim lenteſcat, quod ſignum cùm ratio mihi dictaverit, tum experientia in omnibus comprobavit: *denique ſignum alterum etſi fortaſsè non commune* omni hydropi thoracis, ſed ei cujus origo ab aquæ è capite in pulmones depluvio, reſolutio ſcilicet alterius brachii aut utriuſque, cujus cauſa vel exundatio aquæ in pectore ſtagnantis per viciniam & communionem vaſorum inſignium ſub axillis repentium, ve propagatio materiæ è capite diſtillantis, vel potiùs compreſſio refrigeratioque ab aquâ in thorace ſtagnante intercoſtalium muſculorum, à quibus ad brachia derivantur nervi, his namque impeditis brachium ſenſu motuque deſtituatur oportet. Sic enim pulmone inflammato brachium reſolvi obſervavit [α] *Hippocrates*, *ſi*, inquit, *vehementer inflammentur appendentes utrimque pulmonis partes, ut in latus incumbat, reſolvuntur eâ parte corporis.* Hanc ſanè paralyſin brachii obſervavi in memoratis nuper ægrotis.

Hydropis Thorac. ſigna diſtinctiva,

Pathognomonica,

non omnî communia.

OBS. LVIII. *Sed & ante viginti quatuor annos fuit obſervata in Illuſtri Viro Ludovico Joanne de Lenoncourt D. de Serres, qui hujuſmodi hydrope oppreſſus extremum obiit diem, uti edocuit diſſectio cadaveris, cui opportunè rure urbem fortè reverſus interfui.*

De Paralyſi. brachii per ſympathiam Thoracis.

α Coac. præn. Aph. 400. in m. ἢν μὲν οὖν σφόδρα φλεγμαίνωσιν αἱ ἀορταὶ προσκαθῆσθαι πρὸς τὸ πλευρὸν, παραλύονται τὸ κατὰ τοῦτο τὸ μέρος τοῦ σώματος.

De eod.

OBS. LIX. Quin etiam nuper me adiit *Vir honeſtus Joannes Valtrinus civis Marvillenſis orthopnoicus, qui quoties urget orthopnœa, tum ſibi ſummum brachium vehementer teſtatus eſt dolere. Argumentum non inevidens ſympathiæ brachiorum cum thorace.*

Curatio abſolvitur averſione cauſæ anteced. & vacuatione continentis quæ fit per purgantia, ſive diſcutientia præſertim per cauterium potentiale, & actuale.

Poſtremò ut ad *Curationem* veniam cùm *ſcopi ad averſionem & vacuationem antecedentis cauſæ* pertinentes, remediaque iiſdem ſatisfacere idonea ex ſuperioribus obſervationibus facilè colligi & repeti poſſint, *vacuatio certè contentæ materiæ in thorace* tentari quidem poſſet ſive *purgantibus*, *ſive per tuſſim vacuantibus*, *ſive diſcutientibus*, *ſive aliis id genus*, ſed verendum ne ab eorum calore agitatâ materiâ dyſpnœa increbreſcat ſuffocatioque ſuboriatur. Quò ſanè conſultiùs videtur, ut vacuetur illa ſenſibiliter thorace aperto *cauterio potentiali*, eoque involuto tectoque ſive emplaſtro, ſive cataplaſmate in iis qui muliebres animos gerunt, in aliis autem maſculi animi *cauterio actuali*, eoque ſive multiplici ex Aëtii ſententiâ, ſive ſimplici potiùs, nam unicum ſanè ſatis eſſe poteſt cùm præſertim nullum excrementum neque pus nedum aqua confertim evacuari debeat. Equidem ſi quo in morbo illud [α] *Hippocratis* valet *hydropicos ſtatim ſecare*, in hydrope thoracis præcognito ſine cunctatione valere debet, cùm vires in eo minùs effœtæ ſint, quàm in hydrope qui calamitoſis ſuccedit febribus, viſcerumque inflammationibus, aut empyemati.

CAPUT VIII.

De Dyſpnœa graviſſima, multiplicis variique morbi Effectu.

Morbi invaſio prima;

OBS. LX. Generoſa *mulier Franciſca Borgia de Mory Dageno, uxor Nobiliſſimi & Fortiſſimi Equitis N. Marci de Noroy D. de Port-ſurſeille menſe Februario ineunte Anno decimoſexto ſupra milleſimum ſexcenteſimum eam ſpirandi difficultatem ſenſim incurrit, quæ tandem evidenter gravis, crebra,*

Signa.

[α] Lib. Epid. 6. Sect. 7. Aph. 8. ὑδατώδεας θᾶσσον τάμνειν.

brâ, ſublimiſque eſſet & cum erectâ cervice, ſed inæqualis; de nocte ſcilicet plurimùm ſed diverſis horis ingraveſcens, modò primâ vigiliâ, modò ſecundâ aut tertiâ pro vario cunæ pruinæ caſu; at de die remittens de ſuâ vehementiâ. Huic difficultati palpitatio cordis ſeſe adjunxit, à quâ pulſus non admodum depravaretur, ſed increbreſceret tamen & minueretur admodum adeò ut in acme paroxyſmi prorſus in brachio ſiniſtro deliteſceret. Symptoma.

Animadverſione autem digniſſima hæc ex auditu accepi, ex quibus de affectus ſpecie certæ conjecturæ potuerunt elici. In primis quartana febris Nobilem Mulierem magnam ſuperioris Autumni partem detinuerat ſatis vehemens illa quidem, quæ etſi ſub hyemem languiſſe prorſus videretur, ſæpicule tamen & ex incertis intervallis non mediocrem æſtum inferebat, & continuâ ſiti atque inexplebili urebat, & ad aquæ frigidæ potum largum & frequentem quotidie cogebat. Quid amplius? cùm ſuperiores hyemes totas coryza, tuſſiſque negotium optimæ mulieri exhibuiſſent, tum hoc tempore acriùs inſtare cœperunt; prurire quin etiam, erubeſcereque præter morem nares, parteſque confines, ac ſanguis ex iiſdem grumoſus ſæpè ſtillare, uti & in morbi decurſu puſtulæ aquoſæ os fœdare, & aqua ex dormientis ore continuò diffluere; denique caput gravari & ſternutatione frequenti concuti. Cauſæ antecedentes:

Cùm igitur manifeſta adeo eſſent capiplenii, & catarrhi in pectus indicia, atque propinato medicamento phlegmagogo à præſente medico Doct. Petro Baroto egregio Anatomico Collegii noſtri gravis illa dyſpnœa tantum cœpiſſet levamentum, ut ægra itare per domum, hortoſque perambulare poſſet, prope ſui juris facta, ecce derepentè tertio die ſub crepuſculum & primam vigiliam dyſpnœa ingraveſcere adeo vehementer cœpit, ut in manifeſto ægrotam ſuffocationis verſari diſcrimine domeſtici omnes crederent. Morbi medicamento quodam abſolutio. Invaſio altera priore gravior.

Quod morbi incrementum non temerè errori externo fuit imputatum, ſubito ſcilicet & magno terrori, quo fortè tum perculſa fuit, nec non pariter ſummæ aëris injuriæ, cui circa crepuſculum primamque & plurimam noctis partem illa animi anxia propter ſubitum caſum domeſticum incautè per pauculos licet dies ſeſe expoſuerat. Hujus cauſæ procatarcticæ.

Exinde igitur dyſpnœa & præſertim de nocte gravior non deſtitit opprimere Generoſam Mulierem, ſed ita ut per inſignes temporum mutationes valdè ſemper angeret ac propè ſuffocaret per aliquot dies, dein verò mitiùs benigniúſque ſed premeret tamen. Febris interea non dare quietem etſi levis admodum, ſed tamen ſiti, vigiliiſque ferè perpetuis comitata. Lingua autem nigra quidem non tamen arida: & urinæ perpetuò decolores, hoc eſt, aqueæ ſeri lactis ſed non exquiſitè depurati inſtar, & ſedimento carentes niſi quòd aliquando purulentum quid in imo ſubſidebat.

Signa ἀποδεικτικά.

Signa Cauſarum,

Cùm hic ſtatus rerum eſſet toto quadragenario, vomitus inde urgere cœpit & de nocte ferè quotidie, iſque non ſolùm aſſumptorum ciborum, ſed etiam ſi cœnâ abſtineret, aquæ ſinceræ ejuſque ſupra admirationem profuſæ, cui vomitui quanquam non ceſſanti ſeſe poſt octiduum circiter diarrhœa etiam aquoſa & diuturna adjunxit.

& aſſidentia.

Non eſt autem ſilentio prætermittendum ferè ab initio morbi univerſum caput cachexiam evidentem præ ſe tuliſſe, abdomenque ſed præcipuè hypochondrium dextrum diſtentum apparuiſſe & maximè pedes, qui ſedenti præſertim ægræ adeo immanem in modum intumeſcebant, ut aqua per cutem quaſi tralucere videretur, nedum fluctuantem eam tactu deprehendere erat.

Prognoſtica.

Demum ad hæc acceſſit circa deliquium Lunæ in initium Maji incidens ſoporoſa affectio & inſolens, quæ cùm apoplexiæ aut lethargi metum non vanum mihi injeciſſet, tum non protelandam ultra putavi providentiam animæ & rerum domeſticarum & tempeſtive quidem: nam feliciter ejus ratione habitâ, ut prudentem piamque mulierem decuit, mox apoplexia gravis adoritur, quæ vix exacto dimidiato die optimam mulierem longè antè cœlo aſpirantem communi vitalique interdixit aëre.

Eventus.

Dyſpnœa hæc complicata erat.

Atque hæc eſt hiſtoria vehementiſſimæ ex ſe & immedicabilis dyſpnœæ, cujus cauſas haud facilè fuit in tantâ ſymptomatum hæterogeneorum multitudine diſtinctè cognoſcere: ſed tamen ſingula penſitatè revocanti ad partes affectas ſuaque principia non fuit omnino ἀδυνάτον. *Mihi igi-*

1. Cum Catharro: 2. Hydrope thoracis. 3. Inflammatione & tumore viſcerum.

igitur ſingula expendenti præter catarrhum è capite ſatis manifeſtum duo detecti alii longè graviores affectus, licet ex ſe obſcuri, ſcilicet hydrops thoracis, & tumor viſcerum ac præſertim dextri phlegmonodes.

Hujus ſigna & cauſæ procatarcticæ.

Phlegmonodis quidem affectus α tecmiria habui febrem continuam etſi valdè mediocrem & quaſi latentem, tumoremque hepatis non obſcurum, & occaſiones externas, terrorem ſcilicet animi vehementem ac ſubitum, & horrorem corporis triduanum ferè ab inclemente cœlo. Hiſce ſcilicet ex cauſis ſanguis ſpontè in viſcera, hoc eſt, officinas ſeu fontes & præſertim hepar recurrit, ſimulque vehementer compulſus fuit, ut craſſiore parte reſtitante in iis tumor non mediocris fuerit excitatus iſque brevi ſcirrhoſus per reſolutionem aqueæ in eo partis ſcilicet factam ab incendio febrili. Nam reliqua aquoſior portio magnâ ex parte tum compulſa ab iiſdem cauſis redundavit in vaſa magna deſpumavitque & irruit in thoracem, unde ſimitu hydrops quoque thoracis ſecutus eo modo, quem antè aperuimus.

Illius cauſæ, & ſigna.

Hujus autem tecmirium fuit exacerbatio dyſpnœæ ſive primo ſomni tempore dictam antè ob cauſam ſive quotieſcunque ſerum ſemel ibi collectum aliquem conciperet fervorem aut à commotione aëris per tempeſtates ſeu temporum mutationes ſubinde ingruentes; aut per animi pathemata & præſertim iram: Nam aliàs cùm deferveſceret ſerum ſpontè, tum ægra minùs angebatur præſertim cùm dextrum tantum latus thoracis aquâ ſcateret, ut decubitus & quies in eo uno non ita difficilis arguebat.

Cauſa primæ invaſionis; ſecundæ.

Mihi igitur probabile admodum videtur *priorem illam difficultatem fuiſſe* catarrhi ſobolem adeo ex ſe evidentis, ut ſupervacaneum videatur ejus ſigna repetere & apparatum ad aſthma in pulmonibus longè antè ſcilicet à ſuperioribus annis impreſſum explicare: ſed *ſecundam longè graviorem illi adhuc ſuperſtiti ſuperveniſſe cenſeo* per ſeri è vaſorum ſtipitibus decubitum & confluxum in thoracem ſenſim ab ambientis inclementiâ toto triduo quo ſe crepuſculo & frigori

α Gr. τεκμήριον. Id eſt: nota affectus. ut Hipp. annot. lib. præn. Aph. 76.

gori externo expoſuit illatum. Accedit quod veroſimile eſt admodum è pulmonibus multâ aquâ epotâ prægnantibus (ſiquidem antè ex *Hippocr.* monuimus pulmones æſtuantes epotam aquam affatim imbibere) non minimam ejus partem percolaſſe exudaſſeque in inane thoracis ſpatium.

Pleonexiæ ſeroſæ cauſæ procatarcticæ,

Seroſæ autem pleonexiæ ſive illius quæ depluit è capite in pulmonem, ſive illius quæ è toto habitu pulmonibuſque ipſis irruit in thoracem medium, cauſæ perevidentes fuerunt, partim error externus, partim corporis conſtitutio calida ſicca tum nativa, tum aſcita ratione febris præſentis, & fortaſſe etiam empyreumatis quartanæ. Scilicet potus aquæ vel gelidæ profuſiſſimus totâ hyeme quotidianus & frequens uberem materiam illi dedit. Notum autem eſt totam ſanguinis maſſam copioſo ſupra modum ſero diffluere in calidis ſiccis naturis & præſertim quartanariis, quibus perpetui quippe ſudores, urinæ copioſæ, ſpuitioque aſſidua, ut alias admonitum.

& antecedentes internæ: atque ſigna.

Cùm igitur ſerum plurimum in quartanariæ mulieris corpore redundaret ſuppreſſum ab hyberno frigore, & ſenſim ab intemperante potu auxiſſet, quid mirum tantâ corpus pleonexiâ ſeroſâ laboraſſe, quæ non ſolùm ventres interiores impleret thoracem, abdomen, imo caput, ſed totum habitum corporis prolueret inflaretque & cachexiâ defœdaret? Confirmarunt ſanè hanc admirabilem colluviei ſeroſæ redundantiam ſtillicidium è naribus ſanguinis, & ſanguis ipſe ſectâ venâ extractus morbo jam progreſſo (nam pulſus admodum parvus & vix apparens eam prohibuerat in primâ morbi invaſione) tum verò aqueus vomitus, diarrhœaque aquoſa præter cætera antè annotata, & in primis diſſectio cadaveris.

Seri in corpore præſentiam, confirmarunt partim excretiones aquæ;

Nam & cerebrum univerſum aquâ totum perfuſum repertum (unde ſoporoſi affectus tandem ſupervenerunt iique lethales) *& thoracis dextri ſpatium magnâ vi aquæ diſtentum: quin etiam nonnihil aquæ in imo abdomine collectum repertum.* Nam probabiliter major portio aquæ priùs collecta erat in abdomine ſenſim depluit in artus ſingulis diebus, quod ipſa ferè ſedere cogeretur potiùs quàm jacere. Supervacaneum

partim ejus ocularis poſt mortem in cadavere demonſtratio.

au-

autem eſſet tempus terere in recenſendis medicamentis quibus tot tamque graves affectus non quidem expugnati ſed oppugnati fuère *à Clariſſimis Medicis Chriſt. Cacheto ſingulari ingenii & facundiæ laude celebri, & Joanne Fabro D. d'Anſi ſpectati judicii & prudentiæ Viro, atque præfato Petro Baroto unà mecum:* nihil non profecto quod aut ratio, aut experientia inſinuaret utibile, intentatum à nobis. Nam quòd deſiderare quis potuerit thoracis apertionem ſenſibili aquæ evacuationi commodam, ea quidem à me vel ſtatim ab initio morbi propoſita fuit, ſed diſſuaſerunt tùm affectus complicati ſcilicet cachexia univerſalis, hepatis phlegmonodes affectus & lienis quoque, lethales ſcilicet ex ſe affectus, ne infamaretur præſidium alias conducibile. Cur apertio thoracis non eſt inſtituta.

Cæterùm præter ſuperiùs annotata *memorabile eſt etiam quod in diſſecto corpore apparuit ſubſtantia hepatis & utriuſque renis omninò decolor & albida.* An quia depluvium aquæ ejuſque lentæ aſſiduum floridum viſcerum colorem unà cum calore inſito corruperat extinxeratque? *Notabile & hoc fuit quod pulmones ipſi retorridi & multo purulento tabo prægnantes reperti:* ſcilicet veroſimile eſt ſaltem ſub finem morbi reliquias ſanguinis irruiſſe in anhelantes pulmones & ibi putruiſſe tandem, unáque ab ejus inquinatione computruiſſe parenchyma pulmonum; *nam alter è pulmonibus ferè torrefactus & corruptus totus inventus.* Memorabilia quædam diſſecto corpore in hepate, renibus, & pulmonibus reperta.

CAPUT IX.

De Pleuritide, & doloribus Lateris.

OBS. LXI. *Civis quidam Pontanus nomine Fiacer Wilhelmus quadragenarius, calidoque & ſicco temperamento Martio menſe Anni* 1613. *conſtitutione aëris ex Auſtrinâ in Aquiloniam ſubitò commutatâ, à ruſtico labore (vitium namque propriarum cultor eſt non ignavus) domum repetens, gravi laſſitudine, & horrore ferè diali oppreſſus incaluit tandem ſub noctem, capite doluit, denſumque ſpirans dextri lateris dolore ſimulque tuſſi ſiccâ, atque ſiti correptus*

 fuit.

fuit. Febris autem, dolorque lateris tertio quoque die impari, ut ferè fit, plurimùm ingraveſcebant, remittebantque nonnihil ſequentibus paribus: dolor univerſum latus vel ſcapulâ tenus conſtringebat pungebatque ſub mammâ graviter, ac præſertim quo tempore tuſſiret, & alterius quoque lateris jugulum balthei inſtar attinebat, decumbendique facultatem niſi ſupino corpore, certè ſuper dextro latere permittebat: atque hic dolor ſeptimo die à largiore & profuſo ſudore deſævire cœpit, tuncque lingua ex nigrâ, aridâque humeſcere primùm: denique alternis ſimiliter diebus ſudore liberaliùs manante dolor ſenſim elanguit, ut decimo quarto die prorſus conquieverit, indeque febris ſenſim imminui, ut vigeſimo octavo tandem die morbi homo ſuæ ſponti redditus fuerit.

Pleuritidis ſigna diagnoſtica.

Hic morbus haud dubiè *Pleuritis* fuit propriis quippè inſignitus tecmiriis febre continuâ, dolore lateris punctorio, ſed extenſo admodum, crebritate & parvitate ſpiritus, pulſuque ſerrato, tuſſi atque ſiti. Quæ ſigna cùm ex ſe tam ſint evidentia, quàm quæ evidentiſſima, non poſſum non ſæpè ſtomachari, certè mirari eorum ſocordiam, quibus dum hærent & cunctantur in hoc morbo actutum atque invaſit definiendo exprimendoque, & neſcio quem catarrhum fingunt, magno cum ægrorum diſpendio occaſio præceps ſemper avertendæ fluxionis elabitur & præripitur, cùm nullum morbi genus certioribus æquè & notioribus circumſcribatur notis, ut non facilius ſit ex literarum conjunctione vocabulum formare, quàm ex quinque illorum ſymptomatum ſyndrome deſignare pleuritidem.

Utinam verò cauſa continens ejus tam certò exprimi poſſet quàm & genus morbi, & pars affecta: cùm enim extra controverſiam ſit ejuſmodi dolorem fluxionis unitatem partis, & temperiem confertim corrumpentis eſſe ſobolem, tamen non ita proclive eſt humoris ſpeciem tumorem conſtituentis definire.

Cauſa continens ſecundùm omnes Medicos quadruplex,

At quanquam paſſim quadruplicem ejus differentiam ſcholæ omnes deprædicant pro quadruplici humorum qui in ſanguinis maſſâ continentur differentiâ, tamen hanc doctrinam ita audiendam eſſe ſentio, ut pleuritis ab uno aliquo

quo ſincero humore minimè fiat, ſed omnis omnino à ſanguine quatuor complexo humores qualiſcumque in vaſis reſideat ſive venis, ſive arteriis, ſed ita tamen, ut cùm in ſanguinis maſſà aliquis ex quatuor humoribus præcellat ſemper cæteris, inde pleuritidis quatuor differentiæ ſtatui poſſint expreſſæ nomine humoris in maſſâ ſanguinis prædominantis.

Juxta quatuor humores in maſſâ ſanguineâ prædominantes:

Neque enim in vaſis ſinceros humores reperire, aut credibile eſt aliquem ex iis à maſſâ ipſâ ſeparari, & ſeparatim pleuram invadere; hæc namque humorum ſecretio à ſe invicem abſque putredine fieri certè nequit, quippè putredo niſi progreſſo morbo fit, & in ſanis corporibus nuſquam reperitur, qualia ferè ſunt, quæ pleuritide corripiuntur, morbo ſcilicet præcipiti ſubitoque ſi quis alius, & plethorica ferè ex inopinato adoriente corpora. Itaque quævis pleuritis à ſanguine fit ſemper ſive temperato, ſive intemperato, hoc eſt, bilioſo, pituitoſo, aut melancholico.

Atqui quanquam ita eſt, *tamen experientia me docuit pleuritidem ſæpè ſæpiùs fieri à ſeroſo ſanguine prono quippè ad fluxum ratione ſeri plurimi adfuſi, & inflammabili ratione calidi in ſanguine temperamenti, qualis ſanguis ferè eſt arterioſus, cujus doctrinæ argumentum habeo ſalutarem ſolutionis modum, eumque duplicem, inſenſilem ſcilicet materiæ continentis reſolutionem, & ſenſibilem per ſudorem vacuationem ejuſdem, quarum illa fit lentè, hæc confertim: quibus fortè addi poteſt ea quæ ab arte fit reſolutio.*

Secundùm Autorem eſt plerumque ſolus ſeroſus ſanguis;

Fateor equidem à quovis ſanguine produci pleuritidem & ſalutaris ejuſdem ſolutionis prædictos eſſe modos, inſalubris autem & funeſtæ gangrenam ſeu corruptelam quandam latentem, neutrius denique eſſe ſuppurationem; ſed quæ primis modis ſalubriter finiatur, in eâ ſanguinem quidem integrum atque complexum quatuor humores adhuc in vaſis ſtabulantem ſed accenſum ac ferventem febris eſſe conjunctam cauſam, partem autem ſeroſam duntaxat è vaſis erumpentem deſpumantemque effundi, & longè latéque invadere in ipſum membranæ corpus, ſeu ſpatia duas inter pleuræ particulas, vel in pleuram, & thoracis muſculos, doloris ſci-

Sed ita, ut ſanguis febrem,

Serum dolorem excitet.

ſcilicet continentem cauſam, arctè teneo accuratéque defendo.

Quod comprobat ſalutaris morbi ſolutio: tam per inſenſibilem reſolutionem; quàm ſenſibilem per ſudorem evacuationem,

Quî enim fieri poteſt, ut ſanguis ἄκρητος hoc eſt, craſſus & lentus, & ſero pauco dilutus in extrema vaſa effuſus aut prædicta potiſſimùm ſpatia iter relegere ſpontè in vaſa unde fluxit interiora poſſit, aut verò à calore ſive reſolvi penitus tenueſque in auras abire, ſive in vaporem aqueum ſudoris materiam faceſſere? hujuſmodi certè converſio in aqueum vaporem aut etiam tenuiorem ſubſtantiam fibroſo corpori minimè competere poteſt, ſed uni ſero, ſive humori aqueo à quâcumque cauſâ fervorem primò concipiat.

(Dolor quomodo ſedatur)

Quomodo enim ſuperſtite quidem febre, ſudore autem ſuperveniente dolor conquieſcit, niſi quia reſoluto humore diſtendente pars affecta, ſeu membrana laxatur ſuæque naturæ reſtituitur, hoc eſt parte aqueâ ſanguinis diſſipatâ; ſanguis autem ipſe in vaſis reſtitans ſincerus ac putreſcens, aut potiùs majorem uſtionem patiens fovet febrem? ita ſanè neceſsè eſt & eum curſum meâ ſententiâ tenent pleuritidis eæ ſpecies, quæ ſalutarem ferè exitum habent ſive per ſudorem, ſive per inſenſilem vacuationem, ſive per urinas copioſas. Hanc enim ob cauſam *mirus* [α] *Hippocr. ſudores, & urinas in pleuritide probè fieri bonum eſſe & ſalutare dixit.* Fieri namque vix poteſt, ut ſi ſanguis qualis qualis occurrit in venis membranam impetat, penituſque in eam effundatur, cùm ſit craſſarum partium, non ad ſuppurationem tendat, aut malignam aliquam tetramque corruptelam contrahat: à quibus ſanè periculis immunes ſunt eæ pleuritides, quæ à tenui & ſeroſo ſanguine excitantur.

(Quomodo febris oboritur)

Nam cùm à levi ebullitione ſanguinis ſerum in eo ſtatim ſecernatur ac longè latéque deſpumet, ac membranas invadat, hinc febris ſimulque dolor acutus ſubitò adoriuntur hominem & cùm ſanguis ſeroſus bilioſus ferè ſit, imò atrabilaris, ideoque facilè inflammabilis; tertianos certè

[α] Coac. præn. Aph. 393. ἔςι δὲ ἀγαθὸν μὲν καὶ τέτοισι ἱδρῶτας, οὖρα διαχώρησιν χρηστὰ γίνεσθαι.

tè motus tum febris tum dolor ſervant, ſed partim fervore ſanguinis per ſe conquieſcente, partim ſeroſo humore per ſudorem reſoluto uterque affectus febris ſcilicet & dolor remittuntur ſenſim, & paribus diebus langueſcere videntur.

Hujus generis pleuritides calidis naturis meo experimento familiares ſunt, ſæpiuſque in vitâ ſolent recurrere. Hujus generis pleuritides quibus familiares,

OBS. LXII. *Memini namque plures & ſpeciatim collegam & affinem meum Cl. Doctorem Tuſſanum Furnerium ter quaterve pleuritide laboraſſe, & feliciter liberatum eſſe.* Nam quæ à ſanguine ſincero & pauco ſero diluto gignuntur, dubii ferè ſunt exitus, & plurimùm lethales, quia ſanguis craſſus ſive in vaſis, ſive ſpatiis membranarum conſiſtens neceſſariò tandem ſuppuratur, aut corrumpitur; itaque tranſit vel in empyema tabiferum; vel in gangrenam brevi interficientem. Quæ pleuritis lethalis?

Ratum itaque ſit fixumque in propoſitâ pleuritide febris quidem continentem cauſam fuiſſe ſanguinem adhuc in ramis venæ, ſive potiùs arteriæ ſine pari accenſum & inflammatum: doloris autem acuti membranæ ſerum ipſum magnâ vi è vaſis exundans & vehementer diſtendens membranam ipſam. Præſens pleuritis eandem cauſam continentem agnoſcit:

Quoniam porrò linguæ nigredo cum inſigni ariditate conjuncta fuit & φλογόσιως ſive inflammationis ſanguinis, quàm putredinis clariora extitêre indicia, nihil enim purulentum exſpuit, & ſolis ſudoribus dolor febriliſque ardor ſoluti ſunt; febris autem aliàs continuarum termino, hoc eſt menſe lunari terminata eſt, *credibile eſt profectò arterioſum ſanguinem potiùs quàm Venoſum eumque inflammatum magis; quàm putrentem ejus febris fuiſſe fomitem.* Ejus ſigna:

Atqui cùm in latus neutrum ab initio quidem in dolens quoad dolor viguit decumbere uſquam potuerit, *pleuram externam certè affectam fuiſſe facilè eſt conjicere*, quod etiam confirmat ſputum cruoris ſemper expers: nam in quibus externa afficitur pleura, fieri vix poteſt ut ſanguis duplicem per membranam pleuram ſcilicet internam, & pulmonis propriam pervadere, ſputaque cruore inficere valeat. & pars affecta.

Fueritne verò propterea ſpuria pleuritis, an legitima non diſputo, modò conſtet externas ejuſmodi pleuritides, quæ ſive externam pleuram, ſive muſculos intercoſtales obſident internis gravitate & diſcrimine non cedere, imo ſuperare: quod cùm diuturnâ comprobarim experientia, tum ratio etiam dictare videtur, ſcilicet in illis materia vacuationi per anacatharſin minùs eſt dictam ob cauſam opportuna.

Cauſæ antecedentes internæ, & externæ.

Age igitur quod ad cauſas ſynathriſmi ſeroſi humoris in toto attinet, hæ ſunt ſanè partim internæ & neceſſariæ, calida ſcilicet & ſicca viſcerum intemperies, partim externæ, potus aquæ largior aſſiduus, juſculorum uſus, denſiorque corporis habitus à neglecto corporis cultu in durâ ſævâque hyeme prægreſſâ: inter moventes autem ſeu impellentes familiam ducit aquilonaris conſtitutio derepentè ſæviens præſertim ſi auſtrina præceſſerit, cujus merito ſanguis calidior & ad motum proclivior reddi ſolet: non ſolùm enim externi vi frigoris ſanguis introrſum pellitur, ſed influens calor præſentiam ejus perhorreſcens ſpontè refugit in præcordia, cujus motum quia ſanguis potiſſimùm arterioſus ſequitur, hinc motus ſanguinis non tam in viſcera interiora ſeu fontes à quibus primò fluxit hepar ſcilicet & lienem, quàm in partes cordi adjacentes uti ſunt pleura & pulmones ὁρμὴν & impetum habet.

Quò ſanè plerumque miſcentur complicanturque pleuritis, & peripneumonia ob communionem vaſorum, teſte experientiâ.

(Cur ruſtici in Galliâ ſingulis hyemibus pleuritide infeſtentur.)

Atque hæc cauſa externa, diverſa ſcilicet aëris conſtitutio magnam vim ſanè habet in jugulandâ innumerabili hominum paganorum turbâ ſingulis hyemibus, experientia me hactenus diuturna docuit: nam cum illi ruſticis operibus intenti æſtuent, ſubito Boreæ flatu concuſſi, quem levandi æſtus & ſitis gratiâ ultro libenterque nudo excipiunt corpore, incidunt frequentiſſimè in hunc morbum, ejuſque violentiâ primo tempore minimè fractâ, ope medicâ quippe deſtituti, brevi corruunt. Quod ſanè annotavit

etiam

etiam *Magnus Hippocrates :* α *Exercitata ac denſa corpora*, inquit, *citiùs à pleuriticis morbis & pulmonis intereunt quàm otioſa.*

Sed ad illam cauſam externam accedit *interna alia & inevitabilis, in ſitu ſcilicet venarum azygos poſita: ramis nimirum illis in pleurâ ultimò ſiſtentibus ſanguis ſemel impulſus hærenſque, quippè cui pergendi ulteriùs facultas denegatur, firmetur in pleurâ inflammeturque aut putreſcat neceſſe eſt.* Quibus accedit interna alia & inevitabilis.

Ceterùm quanquam principium curationis pleuritidis & peripneumoniæ in iiſdem ſcopis verſatur, tamen quia utrumque diſtinguere à ſe invicem operæ precium eſt, ſunt autem ferè germani & ſimiles ideo affectus, quæ ſimilitudo vel doctiores ſæpè fallit β *Hippocratis annotatione*, juniores deinceps meminerint non ſolùm *doloris ſpecie* diſtingui, pleuriticus namque acutus eſt & pungit vehementer alterutrum latus aut utrumque, cùm in peripneumoniâ gravis quidem ſed obtuſus & parvus, ac paucos alioqui dies premat pectus ferè ſupra mammas, ſed etiam hiſce notis : ſcilicet in peripneumoniâ *ſputum cruentum* primis ſtatim diebus & largiùs diffluit ſi ſalubris præſertim futurus ſit exitus, ſed diutiùs & quadraginta etiam dies, *ut obſervavi non ſine admiratione in Ampliſſimo Prudentiſſimoque Viro Antonio de Gatinois D. de Drouville, qui à pulmoniâ & pleuritide complicatis convaluit beneficio tam copioſæ excreationis cruentæ, ut quotidie linteum unum & alterum lecto inſtratum tabo rejecto complueret :* præterquam quod enim è pleurâ tanta cruenti ſputi copia rejectari nequit, *abſceſſus in pulmone relictus, ſed detectus quadriennio poſt in cadavere ſcilicet Magni Viri à ſimili affectu recrudeſcente interempti repertus ſatis docuit.* Peripneumoniæ & Pleuritidis diſtinctio. 1. Diverſitate doloris. 2. Sputi. (Obſervatio.)

Deinde verò *vomitu* utrumque affectum à ſe diſtingui, quanquam nullus quod ſciam Practicorum annotaverit, diuturna tamen me experientia docuit : primis nimirum die- 3. Vomitu pulmonicis familiari.

α Coac. præn. Aph. 398. τῶ δὲ σωμάτων τὰ γεγυμνασμένα καὶ πυκνὰ θᾶσσον ὑπὸ τῶ πλευριτικῶν ἐν περιπλευμονικῶν ἀπόλλυται τῶ ἀγυμνάςων.

β Lib. 1. de morbis Aph. 56. uſque ad finem. Galen. lib. 2. de decretis Hipp. & Plat. & alibi.

diebus obſervatione noſtrâ pulmonicis vomere familiare eſt; fortè quòd membrana communis eſt œſophago & bronchiis pulmonum ideoque facilè pulmonibus ventriculus *συμπάσχειν* ſolet.

Prognoſis. Advertent quoque juniores obiter, quanquam α *Hippocratis obſervatione* pleuritis non antè decimum quartum diem ad ſuppurationem tendit, *noſtrâ tamen obſervatione* non ſolùm in juvenibus, ſed etiam viris ætate conſtante ſeptimo vel etiam quarto id evenire, & evidenter detegi rigore & ſubſequente febre ab illis diebus invadentibus, & ſingulis diebus recurrentibus. *Sic ſanè in Generoſo Adole-* Obſervatio. *ſcente ex familia d'Anſeruille quarto ſtatim die morbi poſt triduanum horrorem incepit perfectaque fuit ſeptimo ſuppuratio.* Obſervatio. *Sic in generoſo juvene Jacobo de Sainct-Ignon rigor febriſque quarto, quinto, ſexto ſeptimoque repetentes prænunciarunt ſuppurationem: diſſectio autem cadaverum ſecundum intra morbi ſeptenarium in illo facta ſuppurationem antè perfectam fuiſſe ſatis demonſtravit, cùm univerſus thorax pure prægnans re-* Obſervatio. *pertus eſſet. Quin memini me vidiſſe pus in thorace cujuſdam Sacerdotis Armorici (qui antè quindecim annos ferè quinquagenarius huc venerat ſtudiorum cauſâ) & pleuritide nono die extinctus obiit, quòd præpoſtero conſilio purgante medicamento uſus eſſet neglectâ venæ ſectione & dilatâ in ſextum, quo ſum advocatus.*

Agedum autem ut brevibus pauciſque perſtringam *Curationis propoſitæ Pleuritidis ſummam*, cùm hujus doloris continens cauſa ſit ſanguinis fluxus, & præſertim ſeroſæ in ejus maſſâ partis in pleuram externam, *ſcopi ſanè cura-* Curatio tres habet ſcopos. *tionis præcipuè in evacuandâ totius plenitudine ſanguinis, & ſeri ad fluxum paratâ, in revellendâ derivandâque fluente ejuſdem portione, denique in fluxâ vacuandâ quâcumque ratione conſiſtunt;* repulſio namque locum hic habere non poteſt,

α Lib. 2. de morbis Aph. 96. ut &
Lib. Aph. ſect. 5. Aph. 8. Ὁκόσοι πλευριτικοὶ γενόμενοι οὐκ ἀνακαθαίρονται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι, τουτέοισιν ἐς ἐμπύημα μεθίσταται. Quicunque pleuritici facti, in quatuordecim diebus non repurgantur, his ad ſuppurationem tranſitio fit.

teſt, quòd motus ſanguinis introrſum à repellentium thoraci applicatorum uſu non ſine magno ægri diſcrimine momentum caperet non mediocre.

Sed reliquæ ſupra dictæ ſanè indicationes in vehementiſſimâ hac pleuritide magni ſunt faciendæ, cùm aliàs in miti & parvâ & corpore minimè plethorico una materiæ contentæ reſolutio ſatis eſſe poſſit, quæ non ſolùm fomentis obtineri poteſt, ſed ſolo pectoris tegumento, & quiete in loco tepido.

OBS. LXIII. *Ut ego in me ſum expertus: nam cùm Anno 1606. ineunte hyeme per plures dies, eoſque totos ripæ fluminis adſtitiſſem, operis palos illic pangentibus animum præſentiâ meâ additurus, ecce dolor extenſivus ab aquæ è toto decubitu pectus dextrum externumque oppreſſit toto octiduo, ſed hic ſenſim elanguit, ex quo primum domum reverſus calido me loco continui reſoluto ſcilicet per ſe humore ſeroſo.*

De Pleurit. miti & parvâ.

Ergo ut ex orbitâ in viam redeam, *quia plenitudo ſanguinis ſeroſi minui ſimulque revelli poteſt venæ ſectione, ſeri expurgatione per alvum, diureticis, ſudorificiſque:* ſecta igitur fuit primo quoque tempore vena καθ' ἴξιν, baſilica ſcilicet dextra, & iterum, ac tertio, ita jubente morbi vehementiâ & exacerbatione novâ alternis urgente, nec viribus aut ætate abnuentibus cùm ſpes omnis ſanationis alioqui in hoc uno ferè præſidio ſita ſit. Nec enim procraſtinandum unquam reor, quoties febris ſe primùm oſtendit gravi ſpirandi difficultate & dolore lateris ſuccincta, & ſæpè vel in ipſo exortu hujuſmodi inflammationis (ut cum Galeno loquar) jugulare mihi contigit hoc uno remedio, ſed opportunè & haud cunctanter adminiſtrato, non protelato, ut paſſim fieri video à nimium meticuloſis medicis & ſigna expreſſiora parum conſideratè exſpectantibus.

I. Scopus indicat, ſanguinis ſeroſam plenitudinem minui. V. S.

Quanquam contrà non minùs pernicioſa mihi videtur nimia eorum fiducia, qui quamdiu æger de dolore querelas effundit, à ſectione venæ minimè deſiſtunt, nullâ habitâ ratione ſuppurationis non ſolùm progreſſæ, ſed etiam ſæpè intra primum ſeptenarium perfectæ: quibus importunis ſanguinis detractionibus vel decies, aut pluries repe-

Circa quam abuſus notandus.

titis ſpiritu vitali cum ſanguine exhauſto vires, roburque ægris crudeliter adimunt, quippè quæ neceſſariæ prorſus ſunt perfectæ puris anacatharſi, quæ ſæpè non niſi plurium menſium ſpatio obtineri poteſt.

OBS. LXIV. *Ut olim obſervavi in Illuſtriſſ. Adoleſcente ex comitum de Firtzenbergh familiâ, qui empyicus a pleuritide malè curatâ redditus meæque fidei tandem commiſſus, liberali & confertâ per os rejectatione puris, ac vomitu repetito ter quaterve ad libram unam & ampliùs ſingulis vicibus, tertio tandem menſe exacto ſervatis accuratè intereà viribus ſibi reſtitutus eſt ex integro.*

2. Purgationem tam per alvum, Jam ſectioni venæ commodùm adjungitur *Purgatio* per ea, *quæ ſerum è toto deducunt*, qualia ſunt *manna*, *mel roſaceum ſolutivum*, *iris*, *agaricus*, & *rheum etiam in febribus*, in quibus ſanguis dum inflammatur bileſcit, imò atrabileſcit. *Clyſteres* ad hæc valdè commendantur, & cum opinione quorundam excuſare poſſint venæ ſectionis, ne dum purgationis defectum, ſæpiùs & certè tutò injici poſſunt.

quàm per renes. *Diuretica* autem omnino mihi probantur ſed quæ pectori familiaria ſunt inprimis, de quibus in aſthmate, uti ſunt *decocta ex capillaribus herbis*, *hyſſopo*, *origano*, *ſeminibus urticæ*, *bombacis*, *floribus tuſſilaginis*, *oxymel*, *ſyrupi de hyſſopo & ejus generis.*

II. Fluentem materiam revelli eod. modo. Atqui cùm ſuperiora omnia inſignem in *revellendo* vim habeant, tum ſpeciatim hanc utilitatem exhibent *frictiones*, & *ligaturæ*.

III. Intendit ſeri influxi vacuationem, tam per inſenſibilem reſolutionem: Poſtremò quod ſpectat ad *continentis cauſæ vacuationem*, ea certè partim *diſcuſſione ſeu inſenſili reſolutione*, partim *expectoratione* tentabitur, ſi modò reſudet materia in bronchia. Reſolutio igitur obtinebitur uſu calidorum *fomentorum*, *linimentorum*, *ceratorum*, *vel cucurbitula ex Paulo*. *Fomenta* autem principiò temperata & ſicca, quia hyemalis morbus eſt, commendantur, ut ex *furfure*, *milio*, *farinâ avenæ*; ſed declinante morbo calida humida etiam probantur: ℞. *radicum altheæ p. j. chamæmeli*, *anethi* ana *m. j. ſeminum lini*, *fœnigræci* ana ℥. ß. *ſeminum cumini* ʒ. *iij.*

iij. bulliant in aquâ pro fomento. Linimenti forma hæc ſit. ℞. *olei amygdalarum dulcium recentis* ℥. *j. chamam.* ℥. ß. *adipis gallinæ, anſeris, anatis* ana ʒ. *ij. fiat linimentum.*

Anacatharſis verò perficietur partim *laxantibus* bronchia uti ſerum faciliùs reſudet, & *tuſſim irritantibus*, ut excretio juvetur, partim *exſiccantibus*. Primi generis ſunt *laxantia oleum de ſemine lini, ſyrupus de bechio, capilli veneris irritantia autem tuſſim ſunt oxymel & ſyrupus acetoſus, quæ lambendo tepidaque ſumi debent, & longè à paſtu ſemper, proindeque manè, & jejuno ſtomacho. Jam ſiccantia ſunt ſyrupus florum papaveris rubri, raſura dentis apri.* ℞. *olei ſeminis lini* ℥. *iiij. pulveris dentis apri* ʒ. *j. miſce & calidum ſummo mane exhibeatur.* ℞. *raſuræ dentis apri* ʒ. *j. conſervæ tuſſilaginis, bugloſſi* ana ʒ. *iij. ſyrupi florum papaveris rubri q. ſ. fiat opiata.* Quàm per expectorationem.



MORBI VENTRIS INFERIORIS, A PROLUVIE SEROSA.

SECTIO IV.

CAPUT I.

De Diarrhœa Seroſa: Vomitibus aqueis.

I. Diarrhœæ ſeroſæ in medio & fine autumni frequentes ſunt.

Quotus quiſque eſt qui medio, certè præcipiti Autumno, quo tempore primo lapſa cadunt folia, ſi modò negligentior fuerit in corporis cultu, & ambientis injuriâ minimè ſe vindicaverit, non experiatur alvum liquidioribus ſolitò ſibi fluere excrementis, iiſque revera ex prædominio aqueis, ſed bilioſis aut lutoſis & per plures quandoque dies?

Nam depluvii aquæ è capite in ventriculum & vomitu vi naturæ rejectatæ ex ſuperioribus obſervationibus exempla repetere licet, & ſupervacaneus, ſit particularis de eodem argumento tractatus.

De Diarr. Seroſ.

OBS. LXV. *Anno certè præſente, ut ſuperiore, ſub Auguſti finem cùm jam calor & frigus diverſis eodem die alternarent horis, obſervavi non paucos è ſtudioſis, & præſertim eos qui libris aſſidui plus olei in animi elucubrationibus, quàm vini in commeſſationibus impendiſſent, cùm fortè primâ noctis vigiliâ in tegendo corpore fuiſſent minus cauti, hujuſmodi laboraſſe diarrhœis, per quas fluerent quatuor aut ſeptem dies Hippocrati dicta* [a] ὑδατόχλωρα ὑποχωρήματα, *ſed in quibuſdam tantillo affuſa cruore.*

De eod. affect.

OBS. LXVI. *Mihi ſanè cùm medio alioqui Autumno id*

[a] Egeſtiones aquæ ſimiles. Vid. Coac. præn. Aph. 134.

id contigiſſet olim ſæpiculè, præter conſuetudinem jam eodem ineunte & in omnibus tempeſtatum anni ſuperioribus mutationibus contigit, ut ſaltem unum diem alvus flueret liquidis id genus excrementis; quibus non ita poſt dolores nephritici ſucceſſère. Anno autem præſente ſub finem Septembris contrà nephriticis doloribus pertinacibus admodum diarrhœa profuſa ſatis ſucceſſit, duravitque duos ſeptenarios eaque ſeroſa ferè, ideoque cum euphoriâ conjunctâ.

Earum cauſa proxima interna: & *προκαταρκτικαὶ*;

Scilicet in quibus corporibus ſerum redundat plurimum ratione vitæ in otio traductæ, id frigus Autumni nocturnum ſive matutinum apertos à calore meridiano, vel tempore lecti poros offendens itaque altiùs & intimiùs penetrans introrſum deorſumque extimis è vaſis magnâ vi pellit ſecum detruditque: ſeroſi namque humores ſanguini toto habitu immixti, quia non accuratè cum eo coëunt, facilè ſeparantur quidem, & ſeparati quia ſuâ naturâ proni, fluxi, & graves à frigore repercuſſi relegunt iter quod fecêre, & in vaſorum ſtipites inſignes refluunt, præterque viſcera labentes remeant decurruntque per inferiores vaſorum truncos in meſaraicos gaſtricoſque ramos, ſed illos præſertim utpote deorſum repentes (nam gaſtrici in ventriculum aſcendunt)indeque in amplam inteſtinorum cavitatem. Quo ſanè diarrhœæ aquoſæ vomitu aquoſo crebriores ſunt.

Viæ, per quas movetur ſerum.

Cur, vomitu aquoſo crebriores ſunt:

Quia autem in medio per hepar decurſu radices meatuum cholidocorum præterfluunt, inde ſi bile prægnantes eos offendant, ut fere offendunt, abluunt ſanè bilem, uti pariter in medio per inteſtina deſcenſu abſtergunt ſecum reliquias, aut etiam adipem ſi fortè inteſtina eo ſint oblita, *itaque evadunt dejectiones copioſæ & aqueæ ex prædominio, ſed bilioſæ aliquatenus aut limoſæ, aut pinguiuſculæ.*

atque bilioſæ & limoſæ nonnunquam evadunt?

Atqui ſanè ejuſcemodi dejectiones minimè præter naturam ſtatui debent, *ſive materiæ conditionem, ſive viam & regionem, ſive moventem ſpectemus cauſam:* nam ſerum defunctum ſuis muneribus nec ampliùs utile, quid eſt niſi excrementum, quemadmodum & multò magis cætera, quæ ab eodem inter defluendum abſterguntur; itaque omnino excerni ſerum debet quâcumque viâ.

Prognoſticum I. deſumptum à cauſâ internâ.

 Sed

II. à viis, quas ſerum pervadit.

Sed enim cùm per denſatos ab ambientis inclementiâ poros evadere nequeat, ex aliâ autem parte venter inferior, præſertimque craſſa inteſtina ſentinæ cujuſdam utilitatem ex inſtituto naturæ exhibeant, nequaquam diarrhoeæ ejuſmodi præter naturæ ordinem ſuccedere-cenſendæ ſunt, ſi redundantiæ ſeri non aliâ ratione obviam iri poteſt, quàm excretione, & verò ei omnino medendum eſt: nam certum eſt ſuperfluum in corpore ſerum non minimis naturam urgere & mactare incommodis, quæ ex ſe ſatis evidentia, & alibi jam inſinuata non eſt neceſſe denuò inculcare.

III. à cauſis externis.

Poſtremò ſi occaſionis, cauſæque impellentis ratio habeatur, quoniam principium motus non eſt morbus aliquis, aut qualitas præter naturam, à quibus natura aliàs irritari ſolet, ſed conſtitutio aëris frigida, externa ſcilicet cauſa, hac ratione quoque diarrhoeæ propoſitæ præter naturam utique non ſunt judicandæ. *Quæ ſi ita ſunt, ſuſque deque ejuſmodi profluvii providentiam habere par eſt.*

Quoniam tamen ex adverſo ſerum per vaſa retrorſum refluens non poteſt non aliquâ ratione ſanguinis commeatum remorari, & diadoſim chyli, vel etiam perfectionem ejus in inteſtinis interturbare, ac ceteroqui homini ad philoſophiam, civiliaque nato negotia non poteſt non incommodum eſſe, videndum, ut quàm citiſſimè eâ homines liberentur moleſtiâ.

Curatio perficitur 1. averſione cauſarum moventium. 2. materiæ ſubtractione. 3. Confortatione partium.

Hoc ergo obtinebimus, ſi *inprimis ab injuriâ ambientis corpus vindicetur, tepidoque ſeu calido potiùs loco quieſcat, quò vis cauſæ moventis impetuſque refringatur*, deinde *materia fluxi ſubtrahatur, tum ſiccâ victus ratione, tum derivatione ſeri per renes;* denique interea *excipientes partes roborentur.* Quæ beneficia conferent, partim *uſus vini abſyntitis diluti decocto cichorii, aut aquâ calybeatâ, conſervæ roſarum antiquæ;* partim *litus abdominis ex oleis chamæmelino, roſaceo, maſticino, abſyntite;* partim denique *emplaſtrum de cruſtâ panis.*

Atqui non infrequentes ſunt ſeroſæ quoque diarrhoeæ à decubitu aquæ ex capite in alvum ſive earum occaſio ſit inſolatio, ſive quæcumque alia in catarrho ciendo potens.

OBS.

OBS. LXVII. *Commemorabile eſt certè quod Octobri Menſe præſentis Anni Fratri Roberto Ravanne contigit: tametſi enim arthritis eum ſuperiori menſe præter morem afflixiſſet, nihilominus in ſummam eamque inſolentem ſpirandi difficultatem cum terrifico ſtertore conjunctam incidit, undique ſed poſt quatuor dies in alvi profluvium profuſum admodum, à quo nonnihil meliùs habere viſus eſt. Sed inſidum fuit judicium, cùm poſt alterum ſeptenarium ſuffocatus interierit.* De decubitu aquæ ex cap. in alvum.

Agedum obſervare eſt in *principiis febrium continuarum*, quarum præſertim focus hepar eſt, maximè ſi inflammatorio aliquo affectu opprimitur, cujus index tenſio, renitentiaque viſceris, alvum ut plurimùm aqueis biliofis fluere excrementis non ſolùm per ſeptem aut quatuordecim dies, ſed ad quadraginta etiam. II. Diarrhœæ aqueæ & biliofæ accidunt etiam in principiis febrium continuar.

OBS. LXVIII. Ac ut omittam eos, quibus per unum aut alterum ſeptenarium duravit ejuſmodi profluvium, *memini in Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Sene Anna d'Eſcars, Cardinale de Givri ſanctimoniâ vitæ commendabili, inſigni hepatis obſeſſo phlegmone de tumore, quique diuturnitate morbi abierit in ſcirrhum, quadraginta dies totos alvum fluxiſſe liquidis, copioſiſque admodùm & manifeſtè bilioſis.* De diuturno alvi profluvio: bilioſo.

OBS. LXIX. *Anno autem ſuperiore Illuſtris Baro Ferdinandus ab Honauſem, cùm inflammatorio hepatis affectu febreque continua tertiùm & intra annum recrudeſcente teneretur, toto morbi decurſu aquea-bilioſa profusè reddidit. In cadavere autem ejus inter alia cacopragiæ viſcerum indicia jecur immani tumore extuberans repertum, cujus ſuperficies quidem tota duos circiter tranſverſos digitos vieta prorſus flaccidaque, & mollis prementi manui apparuit, interiùs autem corpus ligni inſtar edurum & retorridum prorſus.* De eod. affectu.

OBS. LXX. Nec mirari debet quiſquam eam æſtuantis hepatis in bilis proventu fœcunditatem. *Memini nāmque Clariſſ. Medicum Franciſcum Poirotium phlegmones eryſipelatodis hepatis decimo tandem menſe violentiâ fractum, morte jam inſtante, evomuiſſe non ſine ſummis cruciatibus & intolerabili cardiogmo meracæ bilis porraceæ libras tres quatuorve, & porro in ejus cadavere hepar ſcirrhoſum, atroque virore totum luridum fuiſſe repertum.* De vomitu bilioſo.

Quin

Quin etiam in continentibus febribus, & præſertim iis, quæ phlogoſin ſanguinis arterioſi conſequuntur, cujus tecmirium magna linguæ nigrities & ariditas, ſi præſertim inſignis habitus corporis denſitas ſive ratione ætatis ſive ratione conſtitutionis temporis acceſſerit, experientia docet alvum liquidis diffluere excrementis, etſi minùs bilioſis quàm in ſuperioribus.

De diuturno alvi profluvio feroſo.

OBS. LXXI. *Memini equidem in Illuſtriſſ. Arthritico, de quo poſtea, & antè in hiſtoriâ lethargi intermittentis, totoque febris decurſu ejuſmodi ſeri diluvium per alvum obſervaſſe me ſedulò ſemper, quanquam pluries febris in anno repeteret, & ad quadrageſimum diem excurreret.*

Harum Diarrh. cauſæ.

Scilicet in illis febribus omnibus fervente ſive in toto, ſive præcipuè circa hepar ſanguine maxima portio ſeroſi humoris longè latéque efferveſcens, poroſque habitus occluſos offendens, & maximè ſi ab ambiente repellatur, facilè præ vernaculâ tenuitate deſpumat per portas viſcerum in meſentericos ramos, indeque in inteſtina, cùm ſanguis reliquus fervore concepto attenuatus in poros parenchymatum viſcerum ſubeat ſponte ſuâ, vel etiam attractus, ejuſque ichoroſâ portione cum ſero diffluente craſſamentum terrenum reſtitans viſcus reddat ſcirrhoſum, & indomabilem duritiem relinquat.

Prognoſtica.

Quanquam autem ejuſcemodi dejectiones verè ſunt ſymptomaticæ, quia in morbi principio & cruditatis ſuperveniunt tempore, tamen utiles ſunt habendæ, cùm materiam morbificam aliàs per ſudorem, aut urinam abituram imminuant, ideoque ſinendæ, quòd in copiâ non valdè exorbitare ſoleant, & natura aliàs facilè ferat, etſi minùs quàm ſudorem aut urinam. *Experientiâ certè comprobavi ſemper febres ab iis imminui non mediocriter, excipio tamen eas quæ cum phlegmone viſcerum ſunt conjunctæ & ferè ſunt lethales ex ſe, in quibus exigua utilitas ex ejuſmodi dejectionibus emanat.*

Curatio per purgantia.

Quæ cùm ita ſint, *iis remediis* duntaxat locus eſſe videtur, *quæ aſtringendo roborandoque ſimul purgare ſerum cum bile experientia docet*, in quo genere familiam ducit *rheum barbarum*. Itaque ex uſu erunt *infuſum ejus ex decocto myro-*

bala-

balanorum, *& id genus*, vel *ſyrupus de cichorio compoſitus cum rheo*, quæ medicamenta quarto quoque die ſalubriter repeti poſſunt, & interea *alterantia*, ut *ſyrupi granatorum*, *de cichorio ſimplex*, *julepus Alexandrinus*, *aut conſervæ roſarum*, *& cichorii* utiliter exhibebuntur. *Monendi tamen ſunt juniores, ne his duntaxat contenti potiores negligant ſcopos, qui febrem, vel inflammationem reſpiciunt, ut ferè à practicis vulgaribus fieri video, qui alvi fluxui, catarrho, aut ejuſmodi minimi momenti ſymptomatis duntaxat intenti, venæ ſectionem, & graviora ejuſmodi præſidia, quæ febris alioqui ſuadet, non ſine magno ægrorum diſcrimine prætermittere conſuevêre.*

& alterantia.

Cautio.

Porro præter ſuperiùs memoratas dejectiones ſeroſas annotavimus ſæpè in *declinatione febrium ſive intermittentium ſive continuarum dejectiones liquidas quidem ſed cineraceas omnino*, & crudo lixivio tam germanas & ſimiles, quàm lac lacti.

III. Contingunt dejectiones ſeroſæ cineraceæ in declinatione febrium.

OBS. LXXII. *Mihi quidem illæ antè annos triginta ſex, quo tempore medicas ſcholas Lutetiæ adire cœpi, contigêre in tertianæ febris declinatione: & eaſdem poſtea in plurimis ſedulò annotavi.*

De quibus meâ quidem ſententiâ ſic ſentiendum eſt, ut omnino criticæ & ſalutares haberi debeant, quippè per quas focus febrilis perfectè cumulatéque expurgatur, ut recidivæ metus omnis deinceps faceſſere debeat, & infida ferè febrium ſolutio ſit, quæ ejuſmodi excretionem prævertit: nam cùm putredinis omnis finis ſit calx, & cinis ex doctrinâ α Ariſtotelis, quoties certè cinis ejuſmodi è corpore excernitur, tuto loco res ægri eſſe neceſſe eſt, & nihil materiæ morbificæ relinqui.

Prognoſtica.

Experientia autem me hactenus docuit longè poſt perfectam morbifici humoris coctionem ſupervenire haſce dejectiones, & non antè quàm ſerum quâcumque ex cauſâ redundarit in corpore, impetum fecerit in alvum, ut derepentè flante Boreâ, aut aliâ ſimili ex cauſâ: non enim cinis ille in anguſtis vaſorum anfractibus hærens ab alio dilui,

α Meteor.

lui, abſtergique ſolet, quàm à ſero confertim ſcilicet è toto habitu irruente in alvum; tametſi non negaverim aquas acidas id beneficium olim contuliſſe multis, & nominatim iis quorum antè memini in Aſthmate, qui à diuturnis lentiſque febribus infarctum viſcerum conſequentibus liberati ſunt ſuccedente profluvio cinereo uſui aquarum Birkefeldenſium propè Pontes.

IV. Tandem diarrhœæ ejuſmodi aqu. tumores tam univerſales quàm particulares ſequuntur.

Poſtremò *Hipp. Magni obſervatione*, [α] *diarrhœa ſpontanea aquoſa eſt ſaluberrima criſis tumorum aqueorum ſive totius*, qui leucophlegmatias dicitur, *leucophlegmaticos* (inquit ille) *alvi profluvium ſolvit:* ſive *particularis abdominis*, [β] *incipienti* (inquit) *hydropi alvi profluvium aquoſum ſine cruditate morbum ſolvit* ſed ea diarrhœa ſupervenire debet ἀρχομένης τῆς νόσου *in principio morbi*, fracto enim ægro longitudine morbi ab imbecillitate retentricis profluvium alvi lethale eſt, & præterea *fortis eſſe* ἰσχυρὴ ſive copioſa non impar morbo, nam nihil paucum criticum: certè ea omninò eſt cum conferentiâ conjuncta, quia per eam purgantur qualia oportet.

De deject. aquoſ. ex intervallis repetentib.

OBS. LXXIII. *Hujuſmodi ſanè dejectiones aquoſas ex intervallis ſpontè repetentes obſervavi non ita pridem in Religioſo Patre Societatis Jeſu, quarum beneficio factum eſt ut aſcites quanquam inveteratus à pluribus menſibus ſubſtiterit intra mediocrem admodum tumorem nec valdè incommodum, qui tandem etiam exacta victus ratione detumuit.*

α Coac. præn. Aph. 482. τοὺς λευκοφλεγματοῦντας διάῤῥοια παύει.
β Coac. præn. Aph. 457. ἐπὶ δὲ ὑδέρῳ ἀρχομένῳ διάῤῥοια γενομένη ὑδατώδης χωρὶς ἀπεψίης λύει τὸ νόσημα.

CAPUT II.

De doloribus totius ventris inferioris, aut certè quarumdam in eo partium, ut coli, ſtomachi, veſicæ, ureterum, uteri & ejuſmodi paſſim pro colicis, ſtomachicis, nephriticis, hyſtericis, ſed perperam habitis, quippè qui fiunt per ſympathiam principii nervorum, ſexti ſeptimive parium convulſorum, à ſeroſo humore per febres in vaſis magnis efferveſcente & rapto in caput, & ſiſtente in prædictorum nervorum principio, itaque violenter diſtendente.

OBS. LXXIV. *Anno circiter nonageſ. ſexto ſupra milleſimum quingenteſimum miſſus ab Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Cardinale Lotharingiæ Carolo piæ memoriæ ad cœnobium Belliprati, Ordinis Bernarditani, tertium ab urbe Lunæ lapidem diſtans, explorandæ Religioſorum valetudinis ergò, offendi alios quidem graviſſimis torqueri abdominis totius cruciatibus, iiſque conjunctis cum tanto alvi ſtupore ut nihil prorſus emitteret infernè, atque cum crebris vomitibus ructibuſque, & id genus ſymptomatis, quæ affectum vulgo dictum colicum conſequi ſolent, & præterea febre eâque valdè mediocri, ſed pertinaci admodum; alios autem hiſce ventris doloribus jam liberatos, ſed ex iis hos quidem inveteratâ paralyſi emortua penè brachia & quaſi temerè homoplatis alligata tanquam telluris inutile pondus trahere, illos autem epilepticis inſultibus crebris ex intervallis vehementer concuti, nonnullos denique lethargo, vel ſimili aliquo eoque ineluctabili ſopore opprimi.*

Dolorum ventris inferioris complicat.

Signa, & varia ſymptomata.

Intuitus porrò in ægrorum ora habitumque diligenter temperiem omnium ex fuſco ſed ſaturato rubore ſuffuſo totius colore, capillamentoque nigro, & ſqualido, ſtrigoſoque habitu ad calidam ſiccam & atrabilarem deprehendi omnino inclinare. Victus illorum plenus & liberalis ſatis

Cauſæ προηγέμεναι:

προκαταρκτικαί.

 præ-

præſertim in meri uſu, ad otium & quietem cæteroqui corporis plane comparatus erat: ædes autem undique ſylvis cinctæ, & uliginoſo admodum ſolo poſitæ, quod inſinuabant ſatis templi ipſius parietes columnæque mirabili quodam ſitu viridantes infernè, ſed ſupernè tanto illuſtres candore ut pridianum diceres incruſtamentum, quod antè quinquaginta annos inductum erat, quippè quod nec pulvis, nec ardor ſolis obfuſcare fœdareque tanto tempore potuiſſet.

Priori ſimilis.

OBS. LXXV. Age *ſeptennio poſt cùm in profectione meâ ad fontem Spadenſem divertiſſem ad alterum cœnobium opulentiſſimum Stabulenſe, incurri in multò plures Religioſos Benedictini ordinis omnino pari adverſæ valetudinis conditione, eodem temperamento, victuſque ratione non diſſimili, ſed in eâ hæreſi omnes faſcinum ſeu veneficium quoddam contumaciæ morborum antè memoratorum, quibus graviter divexarentur, non lautiorem victus rationem eique imparem corporis laborem crimen ſuſtinere debere. Quam vanam ſortilegii ſuſpicionem abſterſit ab animis eorum tandem (credo) levamentum quod à conveniente victus ratione à me præſcriptâ, qui ſuperfuerunt percepêre, cùm non pauci antè ex eâ domo gravitate morbi oppreſſi fatis conceſſiſſent, & abſterrere etiam debuit conditio eorum, qui his malis urgerentur: nam ſoli Religioſi Presbyteri & ſui juris, quique lautiore victu uterentur, iis obnoxii vivebant, cùm adoleſcentes, quibus parcus aut nullus vini uſus conceſſus eſſet, prorſus ſani degerent.*

Dolores hi pro colicis habiti I. modò declinationibus tertianar. febrium ſuccedunt, modò continentibus complicantur: Utrumque probatur Obſervationibus aliquot ſequent.

Atqui cùm mihi per temporis in illis diverticulis conceſſi anguſtiam non fuiſſet datum penſitatiùs contemplari idæam febris, quæ ſeſe comitem doloribus illis ſacras pervagantibus familias adjunxiſſet, deinceps accuratè mihi annotatum *dolores eos pro colicis habitos* modò quidem *tertianarum febrium declinationi ſuccedere*, modò *continentibus ſeſe immiſceri complicarique febribus*, certè iis quarum aliquæ exacerbationes ſed obſcuræ admodum, nec niſi valdè attentis notabiles eæque tardæ per ſeptenarios quippe & quandoque quaternarios, ut jure illæ continentium & homotonarum numero accenſendæ viderentur.

OBS.

OBS. LXXVI. Ac quod ad *Tertianas* attinet, *memini jam antè viginti quinque annos eam dolorum ejuſmodi ſucceſſionem febri prædictæ obſervaſſe in quodam miniſtro ſalinarum Medii vici, & aliquot poſt annos in Illuſtriſſ. Antiſtite, de quo in lethargo, cui in fine tertianæ productæ, (cujus quippè paroxyſmi naturalem longè excedebant diem) exactis jam uno & viginti paroxyſmis dolor acerbiſſimus medium internumque ventrem ſeptem per dies ſine pauſâ & quiete excrucians ſupervenit, eique ſive ab uſu aſari vomitu ſuccedente, ſive potiùs ſpontè elangueſcenti arthritis memorabilis, de quâ infra, circiter poſt unum & alterum menſem ſucceſſit.* De ſucceſſione dolorum ventris inf. febri tertianæ.

OBS. LXXVII. *Annis demum poſtremis hiſce decimo quarto ſcilicet, decimo quinto, & decimo ſexto & ſeptimo, ſupra milleſimum ſexcenteſimum raros certè tertianarios vidimus (vidimus autem longè plures hiſce annis quàm totis viginti ſuperioribus propter conſtitutionem aëris, ut credibile eſt, calidam impensè & ſiccam) qui non in morbi non ſolùm declinatione, ſed medio curſu hujuſmodi dolorum ſæpiùs quandoque ex intervallis recurrentium, & quaternarium ſaltem unum, aut plures continenter urgentium vim moleſtiamque experirentur.* Antecedenti ſimilis.

OBS. LXXVIII. Age quod ad *Continuas Febres* attinet, *pervagatæ ſunt hiſce etiam quatuor annis poſtremis febres continuæ quidem & Chronicæ, quæ non urente admodum ſed mediocri calore, atque illo quarto quoque vel ſeptimo die exacuente, ſed ſenſim dein lenteſcente inſignes doloribus antè deſcriptis intercurrentibus, & unum aut alterum ſeptenarium continentem vexantibus longè moroſiores reddebantur.* De complicat. dolor. ventris cum febrib. continuis.

Sedulò porrò obſervavi ejuſcemodi dolores in iis, quæ ſalubriter terminarentur febribus ſuperveniente vel ſudore largo, & in pleriſque ſed juvenibus; vel hæmorrhagiâ liberali quandoque, vel denique commutatione cum paralyſi ſolutos fuiſſe, aut etiam averſos prorſus.

OBS. LXXIX. *Memini certè Adoleſcentem Nobilem Germanum Philippum à Sotheren Illuſtr. Epiſc. Spirenſis nepotem febre continuâ tres menſes, ſed hiſce doloribus exacerbatâ per intervalla laboraſſe: eos autem dolores ſpontè fluente ſanguine ad decem & ampliùs libras diverſis vicibus quanquam* De ſolutione ejuſmodi dolor. per hæmorrhag.

 vel

vel ſexies ſectâ venâ ita ſuadentibus febre & hæmorrhagiâ immoderatâ conquieviſſe tandem.

Per ſudorem. OBS. LXXX. *In Joan. autem Rolino cive Pontano milite & aliis ſudore aſſiduo profuſoque ſpontè manante ceſſaſſe.* Per caput expurgantia. In aliis verò medicamentorum caput expurgantium frequenti uſu, *ut in Reverendo Juvene M. Lambelin Canonico.* Per paralyſin brachior. *In miniſtro denique quodam Societatis Jeſu hos dolores cum brachiorum paralyſi commutatos, eaque ægrè ſanabili.*

De eorum commutatione cum Epilepſiâ. OBS. LXXXI. Contrà autem in febribus lethalibus obſervavi commutatos partim cum epilepſiâ, *ut in pari conjugum Pontanorum, cujus marito nomen fuit Joannes Bouleau, quorum uterque intra duos menſes ſævitiâ dolorum, & epilepſiâ ſuccedente verno tempore fuit extinctus*, cum lethargo autem, Cum lethargo. *ut in altero cive Pontano Joanne Rouan*, & *in Reverendo Juvene Joanne la Taye, Clerico Virdunenſis Diœceſis.*

Cum delirio &c. OBS. LXXXII. Denique cum delirio, paralyſi, & epilepſiâ ſuccedente verno tempore, *ut in Parocho S. Crucis nomine Petit-Jean, & in Nobili Viro Claudio Charbonier, Conſiliario ejuſdem civitatis, cujus morbi hiſtoriam paucis perſtringere non erit ab re.*

Hic primam ſenectam attingens & temperamento aliàs calido ſicco circa menſem Septembrem Anni decimi quinti ſupra milleſimum ſexcenteſimum febre corripitur continuâ, quæ etſi typica eſſet manifeſtè, tamen attentè conſideranti momenta ejus per non ſeptenarios & inſignes temporum mutationes exacerbationem quandam obſcuram licet accipere, ſenſimque remittere videbatur, ſemper tamen à paſtu ſomnoque, ut ferè fit judicio ſenſuque ægri major & evidentior: ſcilicet ſanguis inflammatus & ab his occaſionibus introrſum coactus emicare ſolet poſtea & in habitum auctior quàm antè recurrere.

Ea autem fuit chronica diuturnaque admodum, quippe ad ſextum menſem producta, ſed inprimis inſignis ob varia graviaque & periodica capitis ſymptomata, quæ omiſſa febris particulari hiſtoriâ annotatione digna mihi viſa ſunt. Primis igitur menſibus, cùm vehemens graviſque capitis dolor diu exercuiſſet hominem, ac ſecundo menſe atroces abdominis cruciatus

ciatus crebris infeſtos vomitibus miráque alvi ſegnitie eſſet paſſus, tum poſtea epileptici motus levi cum delirio vigiliiſque circa inſignes temporum mutationes recurrentes ſed ferè diales fatigarunt, perculeruntque virum bonum, quibus brachiorum tremores & paralyſis ſucceſſêre. Advertendum autem tertio menſe Borea derepentè ſæviente tuſſim negotium exhibuiſſe plurimum, & paralyſim brachiorum ſudore per aliquot dies è toto liberaliter emanante ſemel & iterum ſolutam fuiſſe, brachiaque ſibi reſtituta in integrum. Circa porrò plenilunium & Martii initium recrudeſcente magis ac magis febre vigiliæ triduo urgere, delirium, motuſque convulſivi increbreſcere; quorum violentiâ frequentiâque tandem in deliquio Lunæ abreptus Vir inſignis pietate ac probitate è vivis exceſſit.

Atqui non eſt omittendum ſæpè *Tertianas Febres* commutari cum *continuis licet obſcuris*; quas ferè comitantur ejuſcemodi dolores valde pervicaces, qui permutantur pariter in commemoratos capitis affectus. II. Complicantur etiam partim utriuſque generis febres cum ejuſmodi doloribus.

OBS. LXXXIII. *Memini certè cùm Claud. Juvenis civis Pont. anno ſuperiore laboraſſet febre tertianâ, ſucceſſiſſe continuam, ſed quam ferebat ὀρθοστάδην, eique ſe adjunxiſſe dolores etiam ventris graves & quadraginta dies totos urgentes, quibus langueſcentibus paralyſis brachiorum octiduo antè à me denunciata ſupervenit, quam excepit ſeptimum poſt diem epilepſia laceſſens hominem per unum diem, & poſt quartum recurrens & ægrum intra quaternarium proſternens.*

Poſtremò cùm colicus facilè commutetur cum memoratis illis capitis gravibus affectibus, tum omnium frequentiſſimè cum paralyſi in *hoc ſolo Lotharingiæ*, ut olim annotavit *Cl. N. Piſo parens meus piæ memoriæ*. Sed & *Melunenſib.* familiaris eſt hæc mutatio: & certè ſi quos hactenus vidi ſigillatim recenſere vellem, res faſtidii potiùs quàm utilitatis plena eſſet.

Imo verò quartanarios obſervavimus hoc anno decimo ſeptimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum iiſdem doloribus ventris graviter exercitos. III. partim febres quartanæ.

OBS.

OBS. LXXXIV. *Ingenuus Adoleſcens Nicolaus d'Aubeterre Trecenſis, cùm medio Septembri in quartanam incidiſſet, ferè ſtatim ab ejus principio ſingulis paroxyſmi ineuntibus per pauculas horas atroces paſſus eſt dolores toto ventre, unáque alvus ter quaterque liquidis illi ſemper fluit excrementis uſque ad medium Januarium; quo tempore & dolores diarrhœaque inducias dare cœperunt (quanquam dolorem circiter menſem ſuperiorem diſſimulaſſet metu & horrore propomatum deinceps ingerendorum, quorum faſtidium abominatioque ingens eum cœperat) ſed altera tum de novo acceſſit febris, eaque quartana ſub veſperam invadens cùm prior circa meridiem affligeret: hoc autem memorabile illi contigit, quod jam à primo paroxyſmo utriuſque febris exanthemata ſingulis paroxyſmis toto febris duplicis tempore erupere, eaque alba lataquè admodum ſed principio paroxyſmi exacto ſenſim evaneſcentia.*

Præcedenti ſimilis.

OBS. LXXXV. Adhæc *Illuſtris quidam Eques ſexagenarius habitu euſarco & calidus impensè humiduſque à naturâ, & jam ab ineunte anno & paulò antè lentâ quâdam detentus febre conjunctâ cum catarrho aliàs illi familiari, unáque nephritico dolore ex intervallis recurrente, ut ſatis amplam fidem fecit urina atra, hoc eſt, atris magis minùs ichoribus perfuſa præſertim ab equitatione, & arena ſemper plurima ſubſidens, imo lapilli quandoque, à quorum excretione dolor pauſam caperet, generoſus, inquam, eques vix dum defunctus labore nephritico trium ſeptimanarum incurrit circa Octobrem medium in quartanam, quæ totum menſem comitata catarrho magis quàm antè exundante eum afflixit graviter; atque cùm ſequenti menſe acceſſiſſet ad priorem altera quartana pridie paroxyſmi præcedere ſolita, & identidem dolores præſertim circa ſtomachum ſive colum, nauſeæque negotium exhiberent, exactis tandem circiter ſex ſeptimanis prior quidem quartana de vehementiâ nonnihil remittere cœpit, niſi quod conſtitutione anni ad borealem & frigidam ex tepidâ vertente rigor æſtuſque deinceps incrementum caperent: poſterior autem circa initium Januarii ita evidenter elanguit, ut de die non niſi umbra ejus appareret, tametſi totam noctem æſtus reciprocus ſæpiculè ſomnum abrumperet & inquietum redderet hominem,*

nem, ut eſt familiare nocti quæ paroxyſmum prægredi ſolet obſervatione [α] *Hippocratis. Nam prior paroxyſmus in dies horulam circiter antecapiebat, ut ferè concideret cum poſterioris declinatione: tum verò ab eo tempore in declinatione ſcilicet noviſſimæ febris & in principio atque toto inæqualitatis tempore primæ febris, quo antea ſopor gravis &* δυσδιέγερτος *equitem premebat, dolores ſucceſſêre totius ventris acerbi illi quidem & ferè continui cum alvi aſtrictione tantâ, ut vix clyſteres admitteret & admiſſorum exiguam partem duntaxat redderet, ſed elapſo eo deinceps tempore octo circiter horarum, morboque jam ad augmentum manifeſtè procedente dolor mox conquieſcebat, tumque alvus reddebat reliquam & majorem partem clyſterum ſuppreſſam antè, unáque multa excrementa non pauca, bilioſa quippè, & muco albuminis inſtar ovi ejuſque crudi concreſcente pituitam vitream prorſus referente aſperſa. Ac dolor quidem etſi vehemens univerſum ventrem occuparet ferè, tamen vagus nunc ſtomachum, nunc renes, aut latera, ſæpiùs tamen imum ventrem divellebat, & ſimitu vomitus antea rarus frequens erat, iſque partim humorum aqueorum, partim bilioſorum, cùm antea toto morbi tempore nauſea illi ſemper moleſta fuiſſet ſed inanis, cùm ſolâ excreatione ſimplicem aquam redderet. Denique præter mucos illos vitreæ pituitæ prorſus æmulos ſemper antea unos aut alteros ſine ullo doloris ſenſũ redditos (nam ſpontè bis duntaxat alvus fluxit liquidis excrementis) ſemper bilem longè plurimam excretam eamque croceam magis aut minùs ſedulò annotavi. Poſtremò memorabile fuit quod toto morbi decurſu ructus illi moleſti admodum fuêre familiares aliàs omnibus nephriticis. Ceterùm ſub finem Januarii anni decimi octavi ſupra milleſim. ſexcenteſ. ſecundâ quartanâ omninò extinctâ ex improviſo die intermiſſionis ſub veſperam febris nova derepente adorta eſt Illuſtrem Equitem, eaque tertiana ſed ſatis facilis & cujus quartus paroxyſmus ſeptimo die vix fuit conſpicuus, ſpemque in-*

Mm *jecit*

[α] Lib. Epid. lib. 6. ſect. 2.
Lib. Aph. ſect. 2. Aph. 13. Ὁκόσοισι κρίσις γίνεται τουτέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος, ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ. Quibuſcunque judicatio fit, his nox gravis ante exacerbationem.

jecit unam ſuperfuturam deinceps quartanam quæ prima invaſit & conſtantiam ſuam hactenus retinuit. Atque hæc de hiſtoriâ quartanæ doloribus ventris ſtipatæ, quam Typographus urgens opus & moræ impatiens non permittit ulterùs progreſſam deſcribere.

Hippocratis teſtimonio Autoris opinio confirmatur.

Atqui ſanè, aut valdè exerro, *mirum Hippocratem* hujuſmodi dolores non latuiſſe, *Coaca ejus præſagia* ſatis inſinuant, meminit enim *Optimus Senex* frequenter dolorum in lumbis & circa umbilicum cum febre conjunctorum, quos annotavit ſolvi ſalubriter partim hemorrhagiâ, α *dolores in lumbis eruptionem ſanguinis ſignificant;* & β *ex lumborum doloribus larga ſanguinis effluxio*, vel alvi fluxu, γ *quibus ex lumborum doloribus recurſus fit in caput, & manus torpidæ ſunt, doletque ventriculi os, aut ſonant, ſanguis largiter erumpit, & ſoluta alvus diffluit: his turbulenta mens eſt magnâ ex parte*, & infra, δ *an non hæc ſolvuntur convulſionibus, aut ægrorum alvi laborant dum per ea ſymptomata aguntur:* aut verò inſalubriter plerumque commutari cum graviſſimis morbis ſtupore & paralyſi manuum ex ſententiâ modò allatâ; cum tremoribus brachiorum: ε *quibus lumborum dolor, ii male habent, num iis tremores incidunt?* cum convulſionibus ſive univerſalibus: ζ *dolores circa lumbos, & tenue, & labores ad hypochondria, ſine appetentiâ cibi, unà cum febre, iis progreſſus dolor in caput interficit celeriter convulſionis modo;* ſive particularibus η *ex doloris lumborum recurſu perverſio oculi malum:* cum delirio denique

α. β. γ. Coac. præn. Aph. 306. 307. 308. Τὰ ἐν ὀσφύϊ ἀλγήματα, αἱμοῤῥοϊκά. Αἱ ἐξ ὀσφύος ἀλγήματος αἱμόῤῥοιαι, λαῦραι. Οἷσιν ἐξ ὀσφύος ἀλγήματος ἀναδρομὴ ἐς κεφαλὴν, καὶ χεῖρες ναρκώδεες, καὶ καρδιαλγικὰ, καὶ ἠχώδεα, αἱμοῤῥαγικὰ λάβρως, καὶ κοιλίαι καταῤῥήγνυνται τούτοισι, καὶ γνῶμαι ταραχώδεες ἐπιπολύ.

δ Eod. libro Aph. 313. in fine. Ἆρα καὶ λύεται τὰ τοιαῦτα σπασμοῖσιν; ἢ τῶν τοιούτων κοιλίαι νοσέουσι διὰ τῶν αὐτῶν ἰόντων.

ε E. L. Aph. 318. Οἷσιν ὀσφύος ἄλγημα, οὗτοι κακοί. ἆρα τούτοισι τρομώδεα γίνεται.

ζ E. L. Aph. 317. Τὰ κατ᾽ ὀσφὺν καὶ τὸ λεπτὸν χρόνια ἀλγήματα, καὶ πρὸς ὑποχόνδρια πόνοι, ἀπόσιτοι ἅμα πυρετῷ, τούτοισιν ἐς κεφαλὴν ἄλγημα σύντονον ἐλθὸν, κτείνει ὀξέως τρόπον σπασμώδεα.

η E. L. Aph. 314. Ἐξ ὀσφύος ἀναδρομῆς πόνου, ὀφθαλμῶν ἴλλωσις, κακόν.

que, α *quibus ex lumborum doloribus recurſus fit in caput & cetera, his turbulenta mens eſt magnâ ex parte.* Et infra, β *qui ex lumbis dolor in cervicem, & caput redundat aberrat mente;* & infra, γ *ex lumborum doloris recurſione in os ventriculi mente aberrantes moriuntur:* poſtremò cum pluribus ex hiſce ſimul coëuntibus: δ *quibus ex lumborum doloribus recurſus fit in caput & manus torpidæ*, ut ſupra, & ε *qui ex lumbis dolor in cervicem & caput redundat ex quo reſolvitur æger more particularis reſolutionis, convellitur, aberrat mente; an non hæc ſolvuntur convulſionibus aut ægrorum alvi laborant, dum per ea ſymptomata aguntur.*

Non eſt autem conſilium hîc agere de doloribus quibuſdam ventris inferioris qui familiares ſunt principiis ſive paroxyſmorum tertianarum febrium, ſive exacerbationum earum febrium, quæ φλεγμονώδεις hepatis ſequuntur affectus.

De Dolorib. ventr. infer. familiaribus febrib. quibuſdam.

OBS. LXXXVI. *Cujuſmodi dolores annotavi olim in Illuſtri Matronâ, Dominâ de Baſſompière, qui quarto quoque die in ipſâ febris epiſemaſiâ recurrebant acerrimi illi quidem & prope intolerabiles, & triginta circiter horas vigebant, cum in tertianis unam, aut alteram horam duntaxat ægros lancinent.* Nam in his febribus dolor manifeſtè motum ſequitur humoris membranoſum genus toto ventre inſilientis ac vellicantis, ex hepate ſcilicet & liene ſymptomaticè rejectari, ut doloris ſpecies nullam tentionem, aut convulſionem, ſed acrimoniam & exulcerationem quandam præ ſe ferentis, tum diarrhœa bilioſa ſimul conjuncta, imò icterus ſymptomaticè ſuperveniens in *Nobiliſſ. Muliere* & exanthemata ex ſeri bilioſi fervore in *Adoleſcente quartanario, de quo antè*, efflorescentia ſatis indicarunt.

Colicus dolor & nephriticus maximè af-

Age autem colico illi dolori vulgò dicto finitimum aliud doloris genus non minus crebrò pervagatur & ſævit in homi-

α. β. Vid. litt. δ. Pag. 274.

γ E. L. Aph. 316. ἐξ ὀσφύος ἀλγήματος ἀναδρομαὶ ἐς καρδίην &c. παρενεχθέντες &c. τελευτῶσι.

δ Vid. litt. γ. Pag. 274.

ε E.L. Aph. 313. Τὰ ἐξ ὀσφύος ἐς τράχηλον καὶ κεφαλὴν ἀναδιδόντα, παραλύοντα παραπληκτικὸν τρόπον, σπασμώδεα παρακρουστικά. Cæt. Vid. ſub lit. δ. Pag. 274.

fines inter ſe ſunt: minum & præſertim in otio vitam traducentium genus; qui dolor paſſim nephriticus habetur & dicitur. Hic autem quanquam maximam cum colico habito modo deſcripto affinitatem & ſimilitudinem ſanè habet, ut Galenus ipſe & perſpicaciores medici in eo diſtinguendo hæreant laborentque ſæpè plures dies, & fortaſſe unum & idem genus eſt doloris ab eâdem ſæpè cauſâ oriundum, ſed cum aliquo diſcrimine non magno tamen quod ſcilicet in hoc renes magis laborent & compatiantur primario affectui de quo inquiretur diffuſius infrà: tamen meâ quidem ſententiâ utrumque inter ſe diſtinguere hiſce notis licet.

Diſtinguuntur tamen à ſe invicem.

1. Parte affectâ, ubi ſcil. magis vel minus dolor perſentitur.

Primum quidem *dolor* hic ſæpè & in principio *modò alterutrum renem latuſve ureteri reſpondens, & maximâ ex parte ſiniſtrum, modò imum ventrem & pubi conterminum diſcruciat*, non autem *univerſum ſemper abdomen*, ut ille alter de quo antè, etſi in progreſſu ſæpè totum trahitur in conſenſum; ſub finem autem os ſacrum tam vehementer affligit, ut à ferreis id piſtillis propè contundi videatur.

2. Doloris modo.

Ac cùm non *paulatim ut colicus; ſed derepentè ſæviat, & crudeliùs ſæviat*, tamen ſæpè inducias præbet ex intervallis contrà quàm colicus, atque ille idem aſſumpto cibo licet deliniatur, tamen à ſomno ægreſcit ferè, & deſubito excitat ægrotantem, cùm ſecus ſit in alterâ, omninoque pervicaciùs durat & ferè ad quadrageſimum diem extenditur, cùm colicus vix quindecim continuos dies durare ſoleat, etſi aliquando ex intervallis per ſeptenarios vel quaternarios recrudeſcere ſemel & iterum in eodem ægro ſæpiùs annotarim. *Nam duorum tantùm memini quibus ad 40. protenſam obſervavi, Claudii ſcilicet Juvenis & Reverendi Adoleſcentis Lambelin.*

3. Febre, dolori conjunctâ aut non.

Jam cùm colicus habitus dolor conjunctus ſit ſemper cum *febre*, imò hæc per unum aut alterum quaternarium imo per plures ſæpe menſes præcedat, & comitetur tametſi ferè obſcura, ut ægri de eâ querelas nullas edant, neque medici valde ejus ſatagant, vehementiâ quippè doloris & ægrum & medicum ad ſe omnino trahente; dolor contrà pro nephritico creditus febre ut plurimùm vacat, niſi fortè

tè aliam ob cauſam ſuccreſcere eam contigerit.

Ac quod ad *cauſam procatarcticam* quidem attinet Nephritidis, evidens cauſa & frequentiſſima eſt aquilonaris conſtitutio circa medium Autumnum & primum ejus frigus & præſertim hyemis meo experimento quotidiano, quam πρόφασιν *Magnus* annotavit α *Hippocrates. Quibus*, inquit, *per hyemem ſanis frigus circa lumbos & gravitas ex parvâ occaſione fit, & alvus retinetur; ventriculo ſuo munere ritè fungente coxarius vel renalis dolor aut urinæ ſtillicidium fortaßè contingit*, colici autem doloris occaſio omninò obſcura eſt.

4. Cauſis procatarcticis utriuſque doloris diverſis.

Porrò ſi *comitantia ſymptomata* ſpectemus, cùm alvus in colico ab initio & toto morbi progreſſu adeò aſtricta ſit, ut ne flatum reddere poſſit, ex adverſo in nephritico alvus primis diebus liquidis fluere ſolet excrementis, certè officium ſuum ex voto facit, vomitus autem quanquam frequentior eſt & importunior in nephritico, tamen is eſt pallidæ ferè bilis, ſed cum aquâ plurimâ mixtæ, niſi per diuturnitatem doloris corrumpatur & æruginoſa fiat: in colico verò viridis magis, aut praſſina ſed minore affuſa aquæ rejectatur.

5. Symptomatibus comitantibus eorumque ſignis.

Ructus denique inſipidus ſeu motus quidam ventriculi convulſivus ſingultui propior familiaris eſt, imo proprius & perpetuus comes nephritico, ut eum pro pathognomonico ſigno & certiſſimo nephritici doloris ſemper fuerim expertus.

Poſtremò urina pauca admodum toto morbi colici progreſſu, vel etiam à primo inſultu, eaque flava admodum redditur, & ſi quandoque turbatur, primò tamen cujuſque exacerbationis febrilis per quaternarios, aut frequentiùs per ſeptenarios recurrentis clara eſſe ſolet, itaque varias mutationes brevibus ex intervallis ſubit, ex clarâ ſcilicet in turbidam & ex turbidâ in perſpicuam, ut ferè in omnibus obſervavi.

6. Tandem ſignis ex urinâ colicorum.

Mm 3 OBS.

α Coac. præn. Aph. 487. οἷσιν ὑγιαίνουσι χειμῶνος ἐόντος περὶ τὴν ὀσφὺν ψυχρότης καὶ βάρος ἀπὸ βραχείης προφάσιος καὶ κοιλίης ἐπίστασις τῆς ἄνω καλῶς ὑπηρετούσης ἰσχιὰς ἢ νεφρῶν πόνος ἢ στραγγουρίης τάχα ἂν συμβαίνη.

De urinâ in dolore colico.

OBS. LXXXVII. *Et ſpeciatim in Reverendo Presbytero Treverenſi Schut, qui quarto menſe ab hujuſmodi febre & dolore evaſit tandem, ut ferè juvenes omnes evadere ſolent, contrà autem ſenes interire.* At verò in nephritico ab initio quidem urgentis doloris urinæ longè copioſæ fluunt ſive ſimul & ſemel multæ reddantur, ſive creberrimè & guttatim, idque non ſine pruritu in glande, ſed tenues perſpicuæque admodum, tametſi antè doloris inſultum, imò etiam ſæpè non ſuccedente dolore impensè rubræ, ſive potiùs atræ redduntur, ut pro cruentis niſi attentè conſiderentur haberi poſſint.

De urinâ doloris nephritici.

OBS. LXXXVIII. *Ejuſmodi urinæ atræ mihi ſanè olim fuêre in autumno familiares, & per pluſculos dies vel etiam quindecim aſſiduæ, ſed ferè iis poſt aliquot dies dolor nephriticus à me deſcriptus ſucceſſit, aliàs cùm nullam aliam injuriam iis ſuccedentem expertus eſſem, plurium ægrorum deinceps poſtea querelas ſuper iis compoſui, & animi anxietatem earum occaſione obortam longè faceſſere juſſi, de quibus poſtea diffuſius.*

Declinante autem dolore urinæ non ampliùs tenues, ſed turbidæ & diverſis craſſamentis ſive arenoſis, ſive etiam craſſioribus & adinſtar lapillorum friabilium conglobatis, ſive etiam lapillis ad inſtar ſaxi eduris ſcatentes & commixtæ. Signa hîc conſultò prætermitto infrà declaranda, quæ ſcilicet non perpetua in omni nephritide, ſed quibuſdam temporibus & certis naturis duntaxat exiſtunt familiaria: tempeſtivum enim eſt jam in *propoſitorum dolorum naturam & cauſas & primum in ejus, qui paſſim colicus dicitur, inquirere;* nam hiſtorias varias nephriticorum enarrare diſertè velle eſſet de die facem accendere, quippe cùm morbus ſit omnium longè frequentiſſimus.

Inquiſitio in naturam & cauſas horum dolorum, & primò colicorum vulgo dictorum.

Inteſtini Coli ſtructura & uſus.

Agedum cùm colum maximum ac craſſiſſimum inteſtinorum ſit à naturâ flatuum conceptaculum, qui flatus vel de neceſſitate materiæ in primâ coctione ex cibis præſertim frigidis humidis & flatuoſis, ut ſunt quædam legumina, & fructus crudi, vel etiam ex temperatis cibis, ſed calore ventriculi languido non benè ſubactis, vel ex pitui-

tâ

tâ acidâ inteſtinis adhæreſcente, ſed fermentatâ quâcumque ex cauſâ ut calefacientium intempeſtivo uſu prodeunt, vel denique qui extrinſecus ventriculum inteſtinaque invadunt, quales ſunt externi flatus Boreæ ſævientis, haud dubium eſt apud me & omnibus in confeſſo eſt à flatibus ſive majori proventu ſuccreſcentibus, ſive diutiùs in alvo quâcunque ex cauſa e. g. durioribus fecibus retentis collectiſque uberiùs colum violenter diſtendi poſſe, quippè illis omnis quietis incapacibus & exitum perpetuò quærentibus, quòd loco contenti rarefiant agitenturque magis ac magis, itaque dolores inde admodum atroces ſolutâ partium exquiſitiſſimi aliàs ſenſus continuitate ſuboriri, eoſque extenſivos & vagos propter amplitudinem inteſtini, & aliàs cum ſonitu & murmure conjunctos, nec non turbâ ventriculi, ructibus, nauſeâ, aut etiam vomitu propter viciniam utriuſque partis, alvi denique inferioris aſtrictione inſigni; ſed tamen fugaces ferè eſſe hoſce dolores, & ſolutâ alvo brevi evaneſcentes cum exeuntis flatus ſenſu conſtat.

Quanquam autem eam doloris colici ſpeciem à flatibus inductam ſatis frequentem eſſe ultrò fatear ſive à cruditate, & victu inſalubri per hujus ævi intemperantiam collectis, ſive etiam aëris frigidioris inſpiratu in ſeptentrionalibus plagis;

OBS. LXXXIX. *Cujus vim ego in me à pluribus annis meo malo ita experior, ut nunquam Boreas ſæviat, quin uri mihi inteſtinum quantum quantum eſt dies noctesque ſentiam, ut ex eo dolore vel in conclavi imò in lecto Borea flatum etiam lenem certiſſimè diviner denunciemque:* tamen quos ante deſcripſimus *dolores abdominis frequentiſſimos & cum febre conjunctos, ac pro colicis paſſim habitos, etſi primâ ſpecie iiſdem affines, longè tamen diverſos eſſe, aliamque à flatibus, aut pituitâ vitreâ ſi placet, aut etiam Borea flatu cauſam habere, ſi attentè penſitatéque naturam, conditioneſque doloris, & concomitantia ſigna conſideramus, profectò reperiemus.* De colico dolore flatuoſo. Dolores abdominis frequentiſſimi cum febre conjuncti, pro colicis habiti, aliam quam quæ vulgò exiſtimatur, habent cauſam.

Licet namque conveniant omnes hi dolores cum verè colico in extenſione & acerbitate doloris, partiumque diverſarum adjacentium ſympathiâ, in ſegnitie alvi nullis ceden-

cedente medicamentis, in ructibus, in vomitu denique; tamen non ſola ſumma inteſtini pars coli ſitu proprio circumſcripta & ventriculo contigua dolet, ſed modò hæc, modò illa duntaxat abdominis pars, modò & ut plurimùm univerſum abdomen quantum quantum eſt, & diverſis temporibus hæc vel illa regio dolere primùm incipit ſive ima, ſive media umbilico aut lumbis reſpondens, ſive denique lateralis. Nec verò venter diſtendi univerſus attollique & intumeſcere ac extare ſuper coſtas, ilia & pubem, ſed contrà potiùs percipitur deprimi, ſubſidere in ſe, unáque cum umbilico introrſum retrorſumque revelli, vel umbilicus lumbis videatur eſſe quaſi aſſutus, ut in ægro veluti exterebrato efformetur inſignis cavitas haud abſimilis equino præſepio, eaque circumſcripta terminis prædictis.

Quod confirmant, tum eorum quædam proprietates;

Denique dolor non tam diſtenſivus ſecundùm epigaſtrii latitudinem, quàm lacerativus ſecundùm potiùs ventris longitudinem ac profunditatem, & quandoque perforans ſentitur ac ſi terebrâ pertunderetur pars dolens, quæ potiſſimùm eſt umbilicus etſi in quibuſdam doloribus citra febrem latus perterebrari ſentiatur. Diſtentionem porrò ſecundùm longitudinem potiùs inteſtinorum fieri quàm latitudinem, ut fit in dolore colico à flatu, hinc intelligere eſt quod longanon ſecundùm longitudinem ita ſurſum revellitur & diſtenditur, ut non ſolùm exitu feces intercludat & flatus, ſed aditu glandem vel ſiphonem clyſteris prohibeat, ut niſi magnâ vi intus adigi poſſint. *Ridiculè enim operæ pharmacopœorum, dum fruſtrà immittere tentant clyſterem, cauſantur magnam vim flatuum ſyphonem ingreſſu interdicentium, & magis ridiculi Medici qui iis credunt, cùm per revulſionem potiùs ſurſum ſubſidat conniveatque cavitas longanonis, non per diſtentionem à flatibus.*

(Quid clyſteris in inteſtina ingreſſum impediat?)

Confirmat id autem ructus familiaris hiſce doloribus, qui ſatis docet motum periſtalticum inteſtinorum, & flatus inclinationem ſurſum ob intercluſam penitus viam deorſum tendentem: facilè enim eſt intelligere longanone ſecundùm longitudinem diſtento ſurſumque revulſo parietes ejus in ſe conſidere, atque adeo cavitatem internam connivere.

Tum ructus iis familiaris.

vere.

vere. *Itaque dolores hos pro colicis habitos non tam diſtentionem inteſtinorum ſecundùm latitudinem ab obſtruente aliquo corpore & implente ventrem, præque copiâ divellente, quàm convulſionem quamdam ſeu diſtractionem ſecundùm longitudinem conſequi veroſimile eſt.*

Nimirum cùm dolor vehementiſſimus atque ſubitus non tam intemperiei ſimplici nudæque tribui poſſit, ut ſolutio etiam ſubita ſatis inſinuat, quàm ſenſibili alicui ſolutionis continuitatis ſpeciei, cùm præſertim nulla cauſa inſigniter calefaciens aut refrigerans accuſari poſſit ſive externa, ſive interna; aliâ autem ex parte ſolutio continui inteſtinis ſuperveniens ſit vel exeſio, eroſiove, vel vulnus ſeu diviſio, vel ſpaſma divulſioque, eroſionis porrò, aut vulneris cum his doloribus conjuncti nulla juſta ſuſpicio eſſe poteſt, cùm & cauſæ ejuſmodi nullæ præſentes ſint, & ex excrementis etiam ſoluto dolore nihil tale conjici poſſit, *ſupereſt certè, ut uni divulſioni tanquam cauſæ dolores propoſiti referri debeant accepti, eique ſecundùm longitudinem factæ, ut ex aditu infernè intercluſo colligere eſt.*

Colici flatuoſi cauſa.

concluditur eſſe divulſio quædam inteſtinorum,

Nam qui ſenſus veluti perforationis percipitur, is ſanè meo judicio non eſt à cauſâ perforante illatus, ſed potiùs ab inæquali partium convulſione ſeu diſtractione: nam quia una magis quàm alia divellitur introrſum ac retrahitur, atque major dolor obſcurat minorem, indè certè quæ maximè convellitur illa quaſi perterebrari videtur, quòd divulſio adjacentium minor quodammodo obſcuretur.

Sed enim diſtendi poſſunt inteſtina vel per ſe, vel per ſympathiam & ratione connexionis partium ſibi adjacentium, aut certè adnatarum, & quævis diſtentio fieri poteſt vel ſecundùm totum inteſtinorum contextum, facta ſcilicet per extremorum ſeu finium diſtractionem, vel ſecundùm partes; ex quibus priorem evidenter anguſtia totius ventris ferre nequit, longè impar inteſtinorum longitudini corporis magnitudinem toties ſepties adæquanti: *itaque non diſtenduntur inteſtina ſecundùm longitudinem totam & per extrema, ita ut involutio contextus eorum diſſolvatur; ſed fit ſecundùm partes, ita ut ſuperiores quidem deorſum,* ante-

quæ fit non ſecundùm totum inteſtinorum contextum,

Sed ſecundùm partes:

anteriores autem retrorſum, inferioreſque ſurſum revellantur & ſæpè inæqualiter. Quoniam porrò credibile vix eſt cauſam convellentem inteſtina ipſa univerſa afficere, & verò dolor ferè lumbis inſtat, urgetque maximè, atque aliâ ex parte non ſolùm inteſtina afficiuntur, ſed partes omnes toto ventre inferiore contentæ evidenter eo afficiuntur: (Nam ventriculus & veſica fellis manifeſtè convelluntur, ut ex ructu ferè aſſiduo, & vomitu bilis arguere eſt, tum etiam veſica urinaria, & uterus ipſe, ut dolor ad pubem manifeſtè docet) *veroſimile eſt dolores prædictos ſequi affectum ſeu divulſionem non tam inteſtinorum propriam, quàm partis alicujus communis inteſtinis cum cæteris omnibus membris inferiore alvo contentis*, cui conſentiunt ratione connexionis inteſtinorum tunicæ propriæ unáque ſurſum introrſumque revelluntur, & fortè etiam non improbabile dictu eſt viſcera ipſa quodammodo convelli per convulſionem illius partis communis: nam id difficultas in ſpirando comes memoratorum dolorum per revulſionem quamdam viſcerum ſurſum diaphragma prementium facta inſinuare videtur.

ratione connexionis partium ſibi adjacentium.

(Peritonei ſtructura & uſus.)

Atqui certè *peritoneum* propagatum in meſenterium ex anatomiâ omnium omnino viſcerum & partium inferiore alvo contentarum eſt commune vinculum; imò communis membrana, ſiquidem eas omnes inveſtit involvitque, & cingit undequaque, ipſa ſcilicet è lumbis exoriens, ſed propagata & diffuſa ad omnes omnino eas partes. Præterea *nervi ſextæ conjugationis* è thorace egreſſi omnibus omninò partibus inferioris ventris ſeſe communicant, & ad omnes propagines aliquot emittunt. *Per ſympathiam itaque ſive propaginum nervi ſexti paris, ſive peritonei convulſio omnium partium ventre inferiore concluſarum ſequi poteſt:* facilè enim eſt intelligere contractis in ſe præter naturam vel ramis ſexti paris, vel peritoneo adnatas iis partes neceſſariò quoque convelli contrahique in ſe.

Hæ partes ſunt: vel 1. propagines nervi ſexti paris; Vel 2. peritoneum,

Eæque ubi & quomodo convellantur.

Hæc porrò *convulſio ſive nervorum: ſive peritonei* fine dubio fieri poteſt vel *in ipſo exortu nervorum quidem è thorace, peritonei autem è lumbis, vel in ipſâ radice ſeu principio primo*, hoc eſt, capite ipſo, à quo ſcilicet primam originem repetunt. In-

Interim tamen ultrò fateor dolores hujus generis non ſolùm contractionem communis partis ſeu vinculi membranæ ſcilicet, ac nervi prædicti ſequi poſſe, ſed aliquas in ventre eſſe partes, quæ eam contractionem violentam ſubire poſſunt, quæ trahat in ſui conſenſum reliquas toto abdomine contentas partes. Nimirum experientia me docuit *Ureteres*, meatus quippe anguſtos quidem, ſed tunicâ forti admodum conſtantes, quoties in enitendo excludendoque lapillo valdè laborant, contrahere ſe ſponte naturæ ita vehementer, ut univerſum quantum quantum eſt peritoneum ceteraſque ei colligatas partes divellant contrahantque non ſine atroci dolore; cujus violentæ contractionis conſequentis divulſionem ureterum cùm dolor totius abdominis ſit evidens argumentum, tum verò eam retractionem vehementem & violentam declarat manifeſtè teſticuli reſpondentis ureteri retractio tanta, ut in abdomine recondi totus videatur, & propè deliteſcat. 3. Ureteres.

Hucuſque ergo efficimus dolores pro colicis, aut nephriticis habitos convulſionem veluti quandam ſequi inteſtinorum, partiumque omnium, quas inferior venter ambitu ſuo complectitur, inæqualiter factam & confertim, ſed quæ ſequatur divulſionem ſeu contractionem peritonei, ſive nervorum ſexti paris, vel in exortu proximo conterminoque iis partibus, vel in mediato & remoto, in principio ſcilicet ſive capite ipſo, & quandoque etiam ſequi ureterum ſpontaneam contractionem à ſummo conatu immoderatam & propè violentam, ut dolores qui dicuntur nephritici partim fiant convulſo principio ſive nervoſi ſive membranoſi generis, partim ſequantur particularem ureterum contractionem violentam trahentem in ſui conſenſum adnexas ſibi partes: etſi ſanè, quoties priore modo contingit, non ſemper ſe prodit nephritis, quia ſcilicet non ſemper laborant renes ſaburrâ arenoſâ quæ moveatur ſimul à communi cauſâ, ut mox explicabitur.

Age autem cùm ex continuitate doloris veram eum convulſionem ſequi arguere ſit, non autem motum convulſivum qui ex momentaneis intervallis interpolatur nec continuitatem habet, atque convulſionis veræ duæ ſint omni- Priores verâ convulſione laborant,

nò cauſæ ex [a] *Hippocratis Galenique* doctrinâ & omnium Medicorum, *Repletio* & *Inanitio:* ſcilicet, ut in muſicis inſtrumentis chordæ vel nimio humore imbutæ repletæque, vel vehementiùs ſiccatæ & inanitæ tenduntur & contrahuntur immodicè, ut quandoque etiam rumpantur, ſic nervi atque corpora nervoſa eâdem ratione ex nimiâ vel repletione, vel ſiccitate vehementer corrugantur, ut ſimul etiam muſculi contrahantur, convulſioque ſuccedat, certè alterutrius cauſſæ propoſiti dolores ſint effectus neceſſe eſt. Atqui quia nullæ inanitionis & ſiccitatis immodicæ cauſæ prædictos dolores prævertunt aut comitantur, ſed potiùs repletionis, & verò ſudoribus copioſis, hæmorrhagiâ aut aliâ ejuſmodi vacuatione superveniente dolores vel quieſcunt, vel avertuntur, *cauſam profectò convulſionis dolorificæ, ſive nervorum, ſive membranoſi generis in ventre inferiore, repletionem ſtatuere oportet.*

& quidem à repletione.

Non negarim tamen eam convulſionem, quam ureteribus contractis in ſe tribuimus, aliam cauſam habere. *Nec enim vera convulſio ea ureterum contractio dici poteſt, quæ ſcilicet morbum ſequitur, ſed convulſorius potiùs motus, qui fiat à naturâ irritatâ & conante expellere id à quo gravatur: ſpaſmodes pathos à Galeno propriè dicitur, vel ſpaſmus non proportionatus ad materiam Arabibus.* Nam reverà convelluntur ureteres, & inde cum iis partes connexæ non tam ab implente lapillo, aut diſtendente quàm à naturâ ſeſe comprimente contrahenteque & per eam contractionem conante excutere gravantem & prementem materiam ut ſatis intelligere eſt ex eo, quòd ejuſmodi contractiones ſunt interpolatæ, naturaque ipſa ſæpè quieſcit ſpontè, fatigata ſcilicet & laſſa, ſed recreatis viribus, ut ſomno, mox inſurgit de novo ad eam excuſſionem, quæ non niſi violentâ quâdam contractione fieri poteſt.

Ureteres, convulſivo tantum motu afficiuntur;

à naturâ irritatâ & rem noxiam expellere conante.

Atque cùm convulſio illa primò à nobis repetita ſit à nervis ſexti ſeptimive parium, vel à membranis exortis è lumbis & diſſeminatis in meſenterium atque peritoneum,

haud

[a] Lib. Aph. ſect. 6. Aph. 39. Σπασμοὶ γίγνονται ἢ ὑπὸ πληρώσιος, ἢ κενώσιος.

haud dubium eſt certè eas partes ab humoribus è capite decumbentibus ſuique copiâ implentibus diſtendi convellique poſſe violenter, ſed maximè nervoſum genus.

In doloribus colicis ſerum, nervoſum genus implens, convulſionem; in maſſâ ſanguinis fervorem concipiens & ebulliens, febres excitat: harum ſolutiones & commutationes.

Etenim dolores propoſiti abdominis partim febribus ſuperveniunt, quarum focus in viſcerum partiumque vicinarum vaſis hæret, quæque febres mutationes tempeſtatum anni ſequuntur, per quas ſerum in maſſâ ſanguinis fervorem concipere poteſt non aliter atque aquea pars vini leviter ebullire, & aliàs hæ febres ſudore copioſo vel profuſâ hæmorrhagiâ ſolvuntur, aut commutantur cum affectibus capitis graviſſimis paralyſi, epilepſiâ, lethargo, apoplexiâ vel ſimplicibus, vel mixtis & complicatis ejus generis affectibus, ut antè multis experimentis eſt declaratum, quorum affectuum capitis cauſam frequentem eſſe ſeroſam in eo colluviem ſuperioribus eſt obſervationibus demonſtratum, partim autem iidem dolores ſequuntur ſubitas & inſignes temporum mutationes, ſed eas, quibus ſerum ex habitu introrſum & confertim detrudi conſueverit, cujuſmodi ſunt Aquiloniæ Auſtrinæ ſuccedentes & verò hos dolores urinæ copioſæ quidem, ſed tenues & aqueæ prorſus ſive præcedunt, ſive comitantur.

Serum in caput ſublatum, indeque poſtea exundans partim extrorſum.

Ex quibus veroſimile eſt profectò dolores quidem, qui cum febre ſint conjuncti, ſuboriri, quia quod ſerum vi caloris febrilis aut vitalis ſed ab externo ſive ambiente per mutationem conſtitutionis ejus commoti ſuſcitatique ebulliens ſub ſudoris formâ, vel urinæ affatim erupturum erat, id in caput elatum per vaſa ſoporaria, ex eorum finibus extremis exundat & effervеſcit partim quidem extrorſum, partim introrſum. Ac extrorſum quidem ſecundum membranas aut inter eas effuſum irruit impetitque vel principium nervorum ſpinalis medullæ, vel principium ſexti ſeptimive parium, atque alterutrum implet diſtenditque copiâ & fervore, & ſecum tum nervos appendices, tum verò membranas pariter adnatas, aut fervore depoſito deſcendens & decurrens ſiſtitur in lumbis, atque nervos inferioris alvi, & maximè originem meſenterii & peritonei opplens corrugat contrahitque, & ſecum revellit diſtrahitque

quæ finibus adnaſcuntur membra, id eſt, in quibus tandem terminantur & implantantur, inteſtina ſcilicet & reliqua in alvo contenta, eâque violentâ contractione dolorem iis inurit. In conſilio enim de epilepſiâ abundè demonſtratum in convulſionibus nervorum maximè dolere & affici partes non tam laterales, quàm extremas, quibus ſcilicet nervorum fines ultimò implantantur, quæ contractioni inaſſuetæ, utpotè naturâ ſuâ minimè aut tractiles, aut certè non in omnem differentiam ductiles, neceſſariò à diſtentione ſeu divulſione inſuetâ dolent. Introrſum autem & ad animam vergens, ut loquitur *Hippocrates*, hoc eſt, in ventriculos cerebri irrepens ſerum longè graviora ſoporiferaque inducit ſymptomata & convulſiones univerſales, cum quibus dolores propoſiti ſolent commutari.

Partim introrſum in ventriculos cerebri irrepit: ibique varios affectus excitat;

Enim verò cùm ex ſuperioribus obſervationibus ſatis conſtet ſerum in febribus ebulliens ferè in caput rapi, tum verò ex abundanti ex hiſce hiſtoriis recentibus memoratu dignis intelligi poteſt.

De Affect. à ſeri in caput raptu ortis.

OBS. XC. Etenim *obſervavi menſibus Septembri & Octobri & ſequentibus Anni ſuperioris & præſentis ſexti decimi ſcilicet ſupra milleſimum ſexcenteſimum, in Religioſo Viro, & in muliere Pontanâ herâ hoſpitii, cui inſigne Delphinus, in principio paroxyſmi quartanæ febris à raptu ſeri delirium quoddam ſed paucarum horarum ſeu potiùs deſipientiam quandam non abſimilem ei quæ in parapoplexiæ hiſtoriâ antè à nobis expreſſa fuit: in alterâ autem ſimiliter Pontanâ cive uxore ſartoris è regione D. Laurentii habitantis, in principio paroxyſmi tertianæ non ſolùm leve hujuſcemodi delirium, ſed convulſiones univerſales ipſiſſimaque ſymptomata vulgò hyſterica dicta, ſed prorſus quieſcentia febre ad incrementum tendente & ſudore ſuperveniente, ut fit in inæqualitatis febrium intermittentium & diuturnarum tempore. Quæ eadem accidentia annotavi in cive Tullenſi Dominâ hoſpitii, cui imago D. Huberti inſigne eſt, quæ aliàs tempore ſanitatis hyſtericis affectibus vixit obnoxia.*

Neque verò ſeri raptus in caput in principio paroxyſmorum febrium ex iis affectibus ſolùm capitis conjici poteſt,

ſed etiam ex ſeri in caput rapti, ut hemicrania tum vigens inſinuabat, ex eodem capite decubitu in partes externas ſtatim ſuccedente intelligi poteſt.

OBS. XCI. *Memorabile certè eſt, quod obſervavi in duobus Reverendis Viris iiſdem menſibus: nam in principio cujuſque paroxyſmi febris tum tertianæ, tum quartanæ, & utriuſque duplicis poſtici capitis dolor non deſiit toto morbi tempore negotium exhibere, cui ſtatim rigor capitis & colli ſuccedebat ejuſmodi, ut non niſi obſtipo & repando capite incedere poſſent. Hic dolor ſtatim unà cum febre urgebat, & eâ lenteſcente langueſcebat ſenſim, & quod memorabile fuit, in tertianario partem poſticam ſed dextram, in quartanario ſiniſtram poſticamque infeſtabat.*

De Affect. à ſeri è capite in partes externas decubitu, ortis.

Porrò cùm conſtitutum à nobis ſit convulſorios ejuſmodi inteſtinorum dolores cum febre conjunctos ſero vel etiamnum in capite ſtagnanti & deſidi, vel jam defluxo in lumbos eſſe tribuendos, certè affectus graves lethargus, epilepſia, & id genus, qui colluviei ſeroſæ non diluviei ſunt effectus, *inſinuant dolores prægreſſos abdominis non depluvio ſeri in lumbos, ſed colluviei potius ejus adhuc ſtagnantis in capite referri debere.*

Serum in caput ſublatum, illorum dolorum cauſa exiſtit, ibidem ſtagnans, & non in lumbos depluens; Sed tantum nervorum principia obſidens:

Quod & confirmat reſolutio brachiorum quanquam decubitum ſeri ſequitur; quippe hæc cùm dolores ventris ſedet, tum non aliter fit quàm humore è capite ipſo in nervos irruente. Eſt enim inopinabile ſerum nervorum in cavitatem gliſcere, niſi principium cavitatis capiti conjunctum ſubeat, cùm per tranſverſa corpora membranoſa ſolidaque in cavitatem ipſam ingredi non poſſit, quanquam madeſcere extrinſecus poteſt quiſque nervus particularis ab humore inter membranas decurrente propriam ſcilicet nervi, & eam quam à particulari quoque membro accipit: ſed tum reſolutio perfecta, in quâ motus ſenſuſque omninò deperditur, non ſequitur, in perfectâ enim cavitas ipſa repleatur neceſſe eſt, aliter ſenſus vigebit influente ſpiritu per cavitatem, etſi motus læditur, ſcilicet emollitâ membranâ nervi & effœminatâ plus ſatis. Quoniam igitur dolores abdominis ſedantur paralyſi ſuperveniente, & paraly-

ſis

ſis ab humore antè occupante cerebrum tantum fieri poteſt (perfectam enim intelligo paralyſim) *certè dolores abdominis non tam ab humore qui decurrerit in lumbos, quàm ab eo qui antè delituerit probabile eſt fieri.*

(Cur dolores ii poſt paralyſin recurrant.) (Obſervatio.) Non negarim tamen interim fieri poſſe, ut dolores iidem iterum poſt paralyſim recurrant, ſed id fieri aſtruo duntaxat febre antea curatâ iterum poſt unum aut alterum annum recurrente, *ut in Reverendo Parocho meo Petit-Jean (de quo antè) vidi, qui cùm anno* 1613. *verno tempore febre & doloribus propoſitis perfunctus reſtitiſſet toto anno paralyticus, repentè denuo ſequentis veris principio febre atque doloribus ventris, & paralyſi, nec non gravioribus correptus ſymptomatis, eorum vehementiâ tandem oppreſſus vitam cum morte commutavit.*

(Cur eis non ſemper perfecta ſuccedat paralyſis?) Obſervatio. Non inficias etiam ierim hujuſmodi paralyſim non ſemper perfectam ſuccedere, & fieri cavitate nervorum impletâ, ſed duntaxat ſero duas inter membranas depluente, quòd ſanè ſenſus ſuperſtes indicat ſatis ablato motu, *ut obſervavi in miniſtro illo juvene Societatis Jeſu, de quo antè, qui poſt graves cruciatus abdominis in brachiorum reſolutionem incidit, in qua motu prorſus deperdito vigebat tamen ſenſus acer, adeò ut fluxio in brachia gravibus admodum cum doloribus eſſet conjuncta.*

Pars ſeri è capite ſecund. ſpinam in lumbos depluere & convulſionem doloremque excitare poteſt. Atqui quanquam ſerum adhucnum nervorum principia obſidens per eorum corrugationem poteſt longè diſſitas ſed tamen adnatas convellere partes, quia tamen dolor vehemens ſæpè lumbos urget, verumque eſt illud, *ubi dolor, ibi morbus*, haud dubium ſanè eſſe poteſt, *partem ſeri è capite in lumbos ſecundum ſpinam depluere, atque convulſionem doloremque membranoſo generi è lumbis exorto ad totum ventrem attinenti inferre.* Ut ut ſit tamen de hac re, ad curationem parum refert, quia ſemper fontis ſeu ſcaturiginis ſeri ratio potiſſimùm eſt habenda.

Dubium I. cur iis affect. dolor capitis poſtici non conjungatur. Sed hîc emergunt *non futilia duo dubia:* quæret enim merito aliquis ſi principium diſtendatur nervorum ſeu membranarum, cur poſticum, in quo illud latet, caput acerrimi alioqui ſenſus non dolet unà cum abdomine perpetuò, &

& quamdiu ſerum fervet, cùm ſenſus integri vigeant, nec humor ſenſorium commune, ut in vehementi epilepſiâ invaſerit?

Deindè ſi impletur à ſero fervente nervorum ſexti paris principium, quomodo ſenſus viget in ſuis propaginibus implantatis partibus abdomine concluſis, cùm ſenſu in principio intercepto ramos eo deſtitui neceſſe ſit?

Dubium II. Cur ſenſus in propaginibus nervorum vigeat cùm in principio ſit interceptus.

An igitur, quia ab aſſuetis non fit paſſio, nervorum principium à perpetuo aquæ aliàs humoris lenis contubernio quanquam ab eâ diſtenditur non dolet? nam cùm aqua è cerebro metropoli humidi ſcaturiens continenter alluat nervorum principium, hoc certè nullo negotio & ſine dolore diſtendi aut contrahi per aſſuetudinem poteſt, quippè & præſertim cùm ejus ſenſus ab aquæ ſive frigore ſive humiditate neceſſariò hebeſcat, & propè obtundatur. Cujus ſigna ſunt quòd in infernâ & poſticâ cerebri parte, quanquàm ſecundùm eàm decurrant omnes fluxiones, tamen nullus unquam ſentitur dolor, & hemicraniæ poſticæ infrequentes ſunt, niſi quando ab aquâ magnâ vi collectâ & fervente univerſales inſtant convulſiones, ut in hyſtericis vulgò habitis.

I. Dubii ſolutio.

Contrà autem dolor in fine nervi ſentitur non tam ob contractionem propriam, quàm ob divulſionem ſubſtantiæ, cui nervus implantatur, quæ quia minimè aſſueta eſt, ea certè dolorifica omninò eſſe debet, aut certè membranæ externæ quàm à quâque parte nervi ipſi repetunt, quæ alioqui non ſolet aquâ allui, ut interna nervi & principio conjuncta. Sed ſi hæc minimè ſatisfaciunt, reddatur juſta mihi cauſâ cur quanquam præſente dolorificâ cauſâ acri v. g. vapore caput in febribus invadente, tamen in *Socrate* caput dolet, in *Callia* non dolet? ego enim propoſito dubio eandem rationem obtendam.

Jam ad alterum dubium, non eſt fortè inopinabile animalem ſpiritum ſentientis animæ vectorem per aquam in principio nervorum ferventem trajici, trajectumque illuſtrare omnes nervi appendices ad extremam uſque fibram parti inſertam dolenti. Sed meliùs etiam reſponderi poteſt

II. Dubii ſolutio.

partes circa ventrem dolentes ſpiritum animalem per nervos, qui ab ipſâ ſpinali medullâ & lumbis exoriuntur admittere & excipere, diverſos ſcilicet à propaginibus ſexti ſeptimique parium, quorum affecta ſunt principia.

Dolores inteſtinorum à flatu, nunquam cum prædictis cap. ſympt. commutari, adſtruitur, auctoritate Hippocratis.

Enimverò ut ſummam faciam, ſi judicio *Hippocratis* eſt dirimenda hæc controverſia, ſanè cùm *Hippocrates* non ignorarit dolores inteſtinorum à flatu, eos tamen non commutari uſquam cum ſymptomatis capitis prædictis, ſed fluxu alvi, aut hydrope terminari exiſtimavit. Nam cùm duplici ſint in differentiâ pro duplici temperaturæ frigidæ, quæ proventus flatuum cauſa eſt, diſcrimine: ſcilicet intemperies vel eſt hectica, vel eſt temporaria & recens: quæ igitur flatuoſa in inteſtinis affectio hecticam ſequitur intemperiem, illa fit ſine murmure licet hypochondria inflentur ac diſtendantur inſtar utris, & firmatur in hydropem ſiccum juxta aphoriſmum, α *Quibus tormina adſunt & circa umbilicum cruciatus & lumborum dolor, qui neque medicamento neque aliter ſolvatur, in ſiccum hydropa firmatur;* & ſententiam in coacis, β *Supra umbilicum dolores & lumborum dolor, qui medicamentis non ſolvuntur, in hydropem ſiccum deſinunt.* Quæ autem intemperiem fientem ſequitur flatuoſa affectio, ea brevi flatu emiſſo, aut dejectione, aut urinis copioſis ſolvitur juxta ſententiam. γ *Qui verò tumor recens excitatus in hypochondriis ſiquidem ſine inflammatione eſt, ac dolores inde natos ſolvit murmur in hypochondriis factum, & maximè ſi exciderit per urinas & dejectiones alvi. Atqui ut is excluſus ea tranſierit, juvat tamen devolutus ad inferiores ſedes ventris;* & ſententiam prognoſticorum

α Lib. Aph. ſect. 4. Aph. XI. ὁκόσοισι στρόφοι καὶ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι, καὶ ὀσφύος ἄλγημα μὴ λυόμενον μήτε ὑπὸ φαρμακίης, μήτ' ἄλλως ἐς ὕδρωπα ξηρὸν ἱδρύεται.

β Coac. præn. Aph. 304. ὑπὲρ ὀμφαλὸν πόνος, καὶ ὀσφύος ἄλγημα, φαρμακείῃ μὴ λυόμενα, ἐς ὑδρωπιῶδες ξηρὸν ἀποτελευτᾷ.

γ Coac. præn. Aph. 281. in fine. τὰ δὲ προσφάτων ἐν τοῖσιν ὑποχονδρίοισιν ἐπαρμάτων ἢν μὴ σὺν φλεγμονῇ ᾖ, καὶ τοὺς ἀπ' αὐτῶν πόνους λύει βορβορυγμὸς γενόμενος ἐν ὑποχονδρίῳ, καὶ μάλιστα μὲν διεκπεσὼν δι' οὔρων καὶ διαχωρημάτων. εἰ δὲ μὴ καὶ αὐτὸς διαπεραιωθεὶς ὠφελεῖ δὲ καὶ ὑποκαταβὰς ἐς τὰ κάτω χωρία.

corum iiſdem ferè verbis conceptam; denique aphoriſmum [α] *quibus elata hypochondria murmurant, lumborum ſuperveniente dolore alvus humectatur, niſi infernè flatus erumpant, aut urinæ multitudo prodeat, quoties enim hypochondria ita intumuerunt*, periphraſi boni Interpretis liceat mihi hic uti, *ut ſine duritie ſuſpenſa videantur & non à phlegmone, ſed à recenti occaſione (ut potione aquæ frigidæ aut aëris frigidi inſpiratu) dolorque lumborum accedit cum ſonitu in inteſtinis excitato* (quibus verbis expreſſioribus colicus ferè dictus dolor & à flatu poſſet à quopiam deſcribi?) *ſignificatur flatus cum humore ſolidoque corpore permixtos in tenuia inteſtina anguſta & anfractuoſa deſcendere, & ita tumorem à flatu & dolorem à tenſione ſolvi borborigmo: ſimul enim cum ipſo cauſa utriuſque deſcendit in eam ventris regionem quæ eſt ad lumbos, ubi in his quæ è lumbis naſcuntur doloris alicujus ſenſum movet. Humor itaque incluſus & permixto flatu agitatus, vel in corpus diſtribuitur, ut ſoli flatus ſuperſint qui per alvum erumpant, vel unà cum flatibus ex auguſtiis tenuium inteſtinorum in cœcum & colum evadit tandemque per alvum expurgatur. Nil autem refert ſive ſeroſa illa & flatulenta materia per inteſtina excludatur, ſive per meſereum in hepar refluat atque inde per convexam partem deducatur in renes: utroque enim modo & dolor & tumor præcordiis adimuntur, quia tales vacuationes nihil prorſus ſuperflui relinquunt, alioqui prodeſt quanquam non æque humoris in corpus diſtributione factâ ſolum flatum per alvum prodire, aut utrumque humorem ſcilicet & flatum relictis partibus ſuperioribus ad inferiores deſcendere.*

Et Autóris propriâ experientiâ idipſum confirmatur.

Equidem experientia etiam quotidiana docet dolores ventris à flatu & cauſis externis præſertim & recens enatos facilè brevique ſolvi nec cum horrendis illis ſymptomatis commutari: & ſæpiùs in me ſum expertus præſertim flante Aquilone atque à multis annis & impunè divinâ gratiâ citra ſucceſſionem graviorum accidentium. *Ex quo ſanè ab iis*

α Lib. Aph. ſect. 4. Aph. 73. ὁκόσοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορίζοντα, ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγενομένου, αἱ κοιλίαι τουτέοισι καθυγραίνονται, ἢν μὴ φῦσαι καταῤῥαγέωσιν, ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ.

iis illos alios à nobis antea deſcriptos lumborum & ventris longè differre meritò concludendum eſt.

Atqui cùm ſerum vi febris quocumque cjus tempore ſimul & ſemel raptum in caput impedito diſtentoque nervorum ſexti paris & ſeptimi principio poſſit convellere partes inferiore ventre incluſas, quid cauſæ eſt, cur ſi idem in capite quâcunque ex cauſâ, vitâ otioſâ, aut meatibus ejus excretioni naturali inſervientibus obſtructis collectum atque ſtagnans fervorem pariter concipiat ab aliquâ aliâ à febre cauſâ, ambientis v. g. mutatione inſigni, cui ſucci omnes in viventibus teſte experientiâ ſolent compati, idem nervorum principium invadere & vehementer corrugare, perque propaginum eorum violentam diſtentionem non poſſit membra in abdomine contenta contrahere, atque non ſine acerbo dolore divellere? nulla ſanè juſta cauſa prætexi poſſe videtur, aut ego mihi valdè blandior, ſi memoriâ repetere, quæ in Hemicraniâ à nobis ſunt obſervata, haud quaquam piget.

Equidem cùm in quâcumque aëris ſubitâ mutatione è ſerenâ in pluvioſam, vel contrà ex Auſtrinâ in Aquiloniam, ſed maximè nimbo aliquo è cœlo ruente, dolores antè à me magis verè quàm graphicè deſcriptos à triginta annis toto ferè anno experiar, niſi quando æſtate mihi ſudor liberalis eruperit, non poſſum ſanè non & mirari eorum pervicaciam, qui ſuperiorum corporum in humanum negant imperium regimenque, & vehementer porrò confirmari in hac paradoxâ licet de doloris pro colico habiti cauſâ è capite uno arceſſendâ.

De Hemicraniâ à ſeroſo humore in cap. fervente; & ei ſuccedentibus abdominis doloribus.

OBS. XCII. *Nam cùm per annos quatuordecim vixiſſem obnoxius anticæ Hemicraniæ, cujus fomes ſeroſus humor in capite fervens, iſque humor deinceps pronus poſticas & infernas capitis partes ſolùm affligere cœpiſſet, tum ceſſanti Hemicraniæ ſummas capitis partes affligenti dolores abdominis, iique ut antè vomitu aqueorum prorſus humorum per illum fervorem è capite in ventriculum depluentium comitati ſucceſſêre, & reverà convulſorii, ſiquidem inteſtina mihi omnia unà cum cæteris partibus peritoneo colligatis tam manifeſtè ſurſum*

retror-

retrorſumque revelluntur, *ut dubitandi de naturâ eorum cauſam non habeam.*

Nam ſanè *flatus*, aut *pituitam vitream*, aut verò *bilem* ut accuſem, non poſſum nec debeo, quippè qui & adverſam flatuum copiæ victus rationem ſemper inſtituerim, & nunquam flatum niſi Boreâ ſæviente emittere contingat, & depreſſio abdominis versùs lumbos contrarium ſuadeat. Quorum cauſa, non flatus:

Pituitam porrò vitream ut ab hac calumniâ vindicem, cùm uſtionis ſenſus toto abdomine per eos dolores, nuſquam autem frigoris actualis à vitreâ pituitâ inferri ſolitus, tum verò dictat mihi perpetua bilis in inteſtina effuſio, quæ pituitam acidam aut vitream non patitur inteſtinorum parietibus aggeri & adhæreſcere. Non pituita vitrea,

Quanquam verò ejuſmodi *bilis* proventus in me largus admodum ſit, tamen ut dolores abdominis bili ex hepate inter inteſtinorum tunicas effuſæ ſuâ naturâ aliàs mordaci minimè tribuam nunc, utcumque aliàs in eâ fuerim hæreſi, vetant certè partim feces quotidianæ & durantibus iis doloribus admodum tinctæ, cùm in bilioſis doloribus, ſive iliacis vulgò dictis cineraceæ appareant, tum verò quòd bilis inter tunicas inteſtinorum rejectata minimè ea ſurſum revellere poteſt, aut lumbis oſſique ſacro & veſicæ dolorem communicare. Non bilis;

Etenim ſeroſæ in capite meo redundantiæ argumenta hæc ſunt ſanè illuſtria, ſcilicet deſidi & ſtatariæ vitæ hactenus me cùm intemperatiora ſtudia, tum gravitas renum à multâ ſaburrâ arenoſâ volentem nolentem obligarunt; deinde os nareſque mihi perpetuò ſiccæ, contrà autem in ſomnum magna non ſolùm noctu ſed & diu propenſio; denique induciæ mihi cum illis doloribus eò duntaxat tempore quo aut coryza ſupervenit, aut ſudor per temporis clementiam & quietem ſtragulaque calida promovetur largiùs, aut alvus liquidis diffluit excrementis ut præter morem diffluxit magnam partem autumni præſentis quarto quoque ferè die ob brumæ inæqualitatem. Sed ſeroſa in capite redundantia ſit, ex ſignis & cauſas demonſtratur.

Poſtremò hanc noſtram ſententiam, licet à communi ſenſu Medicorum longè alienam, *confirmavit tandem autopſia* Quæque Autoris ſententia autopſiâ

confirmatur.

ſeu conſpectus colluviei ſeroſæ in ipſo poſtico capite ſtagnantis, quam diu expetitam à me per plures annos obtinui Anno præterito 17. ſupra 1600. ex diſſectione cadaveris mihi antè denegatâ, certè non priùs oblatâ, quanquam non pauci à quatuor annis à violentiâ graviſſimorum ſymptomatum cephalicorum doloribus convulſivis abdominis ſuccedentium mortui eſſent, & præcipuè ſenes.

De aquâ plurimâ in diſſecti cadaveris capite repertâ.

OBS. XCIII. *Ergo cùm circa deliquium Lunæ incidentis in Februarium Honeſtus civis Claudius Juvenis, fractus tandem partim acerbitate dolorum abdominis antè à nobis deſcriptorum, quadraginta dies totos acriter urgentium, nec ullam quietem concedentium, partim vehementiâ motuum convulſivorum qui iis langueſcentibus ſucceſſêre, ut antè monuimus, poſt paralyſin, piam animam cœlo reddidiſſet, impetravi ab uxore ut cadaveris nobis copiam faceret, quo, præſentibus medicis ſtudioſiſque & civibus non paucis diſſecto, deprehendimus inteſtina, quanquam cruciatu per tot dies acerbiſſimo fuiſſent afflicta, atque immedicabili ferè ſegnitie laboraſſent, tamen integra & inculpata fuiſſe, nullamque cauſam tot dolorum fomitem in iis repertam. Sed ubi ad caput ventum, cùm primùm ſerrâ poſticum cranium divideretur, tum aqua pura liquidaque ſpontè diffluere cœpit non pauca; avulſo autem cranio meninx occipiti & cerebello interjecta tota madida, decolorque apparuit ad inſtar papyri aut telæ in aquâ diu demerſæ; & verò totum principium ſpinalis medullæ nervique hinc inde in vertebras propagati in aquâ plurimâ innatare, vaſaque ipſa per membranas diſperſa concreto ſanguine liveſcere, congelato quippè à frigore aquæ circumſtantis, comperta: aperto demum cerebello non ſolùm ventriculus quartus aquâ ſcatens, ſed & ſubſtantia ipſa eâdem prægnans totaque imbuta conſpecta: cerebrum autem reliquum ſiccum prorſus & candoris nativi ceteræque conſtitutionis retinens repertum.* Quæ ſanè obſervatio mirificè comprobat noſtram ſententiam quanquam paradoxam ſive de effectu ad quem ſequitur convulſio inteſtinorum tam triſtis & dolorifica, ſive de cauſâ continente motuum epilepticorum, de quibus antè à nobis dictum.

Age verò ſerum non ſolùm in capite redundans, & adhucnum in eo ſtagnans inferiorem ventrem iis mactat doloribus, ſed etiam ſi ex capite totoque habitu corporis confertim & magnâ vi detrudatur in renes ſive ſpontè & vi naturæ, ſive à cauſâ externâ expreſſum. Etenim ſuppreſſum antè congeſtumque magnâ vi in vaſis totoque in habitu corporis ſive per denſitatem cutis ratione ætatis jam ſubſiſtentis, aut conſtitutionis temporis ad frigidam jam inclinantis, ſive per vitam in otio diutiùs traductam, ſive per defectum vacuationis ejus ſolemnis ſudoris v. g. aut alterius accedente deſubitò cauſâ aliquâ externâ, ut repentino Aquilonis flatu, cui magnâ vis ineſt in comprimendis vaſis, *neceſſe eſt profectò ex circumferentiâ corporis ſerum depulſum iter relegere ac remeare in interiora vaſa, indeque pleno alveo torrentis inſtar in vaſa urinæ deſcendere, renes ſcilicet.*

In renum & meatuum urinariorum affectibus ſerum è circumferentiâ corporis illuc depelli, concluditur.

Eos igitur, aut eorum alterum ſi offenderit multâ obſtructos ſaburrâ arenoſâ, aut etiam lapillis, graves ſanè contumaceſque primùm dolores illis infligere partibuſque vicinis neceſſe eſt: quòd ſi ſenſim ſaburra illa à depluente ſero dimoveri loco poteſt, & tranſcolatis vel exeſis mediis & ſuperatis caruncculis ex radicibus emulgentium in radices ureterum, uretereſque ipſos ingredi quocumque modo, tum longè graviores & acerbiores excipiunt urgentque dolores, qui non ſolùm è regione renum & ureterum ſentiuntur, ſequunturque diſtentionem violentam vaſorum ab ipſâ illatam ſaburrâ arenoſâ, aut lapillis detruſis à ſpontaneâ contractione partium ſuperiorum vi naturæ in enitendis iis excludendiſque ſummo conatu laborantis, ſed etiam modò è regione pubis, aut oſſis ſacri aut lumborum, vel umbilici ſentiuntur, diſtractâ ſcilicet peritonei ſobole has partes contegente per ſympathiam ureterum.

Ubi tum & circa adjacentes partes contumaces atque acerbi dolores excitantur: & quando.

Incredibile ſanè robur ineſſe membranis renum ureterumque in contrahendis ac revellendis ſecum violenter & ſenſibiliter partibus adnatis non ſolùm ex revulſione teſticulorum antè annotatâ, ſed ex hoc argumento intelligere eſt.

OBS.

De magnâ dilatatione membranæ renis externæ.

OBS. XCIV. *Vidi namque in Gabriele des Bordes uxore Panarii principalis, membranam renum externam ureteribus communem dilatatam in amplitudinem toti capacitati alvi æqualem, quæ tamen continendis quatuordecim libris purulentæ materiæ ſine dilaceratione par eſſet.*

De validâ renum & ureterum facultate expultrice.

OBS. XCV. Summum præterea conatum & pertinaciam miram facultatis expultricis renum ureterumque annotavi *in Magiſtro Chavotio Pharmacopœo Pontano: natura enim, quanquam dolore atrociſſimo repugnante, nunquam tamen à deturbando lapillo ſaxeo, ſuperandiſque ureterum anguſtiis deſtitit, niſi cùm ipſis jam dilaceratis præ laboris & enixus diuturnitate lapillus in fibris divulſis, tanquam piſcis in rete, ita inhærere cœpiſſet, ut prorſus dimoveri non poſſet fractis tum proſtratiſque omnino viribus, cùm ſuppreſſa fuiſſet prorſus urina per viginti dies antè, ut toto eo tempore vix ſelibram urinæ reddiderit.*

Licet ſerum ejuſmodi dolorum cauſa proxima non ſit,

Quanquam autem ſerum reverà hujuſmodi violentæ & dolorificæ diſtentionis ureterum cauſa ſtatui non poteſt, tamen ejus depluvium è toto habitu, & capite confertim factum omninò occaſio cenſeri debet, & ſemper ejus delapſum ſubitum & præcipitem præſertim circa autumnum expertus ſum in me aliiſque quibus renes ſaburrâ multâ referti ſunt, ſequi dolores nephriticos verè dictos; nec hos obſervavi unquam infeſtare quemquam, quin præceſſerit immodicum urinæ profluvium quo deturbari è ſuo loco lapillus poteſt.

Sed ſaburra arenoſa, & lapilli in renibus & ureteribus latitantes;

Quî enim aliter lapillus aut arenula in meandris illis radicum emulgentium, aut ureterum latitans, & ſæpè ob lentorem velut inviſcata & firmiter adhæreſcens ex anguſtiis illis evadere, atque etiam interjectas caruncculas mammillares ſeu obices ſuperare niſi ab aliquo vehementer à retro pellente & devolvente, ſimulque lubricante vias & emolliente rigorem tunicarum ureterum, atque lentorem arenulæ conglobatæ abſtergente poteſt? quæ omnia ſanè

Eſt tamen cauſa movens, & ſine quâ non.

aqua è toto habitu præceps ex alto decurrens inſtar torrentis truſa ſcilicet expreſſaque è vaſis ſubito ambientis frigore præſtare ut poſſit in præfatione operis inſinuatum, & res ipſa ſatis per ſe loquitur, ut demonſtratio aliundè quæſita ſupervacanea eſſe prorſus videatur.

At-

Atqui etſi eo modo ſuperfluum ſerum è toto habitu, unáque è capite introrſum depulſum ab occaſione aliquâ, ut hyberno frigore expreſſumque in renes & ureteres dimovere poteſt & ſecum detrudere ſive arenam, ſive lapillos, ſicque excitare nephriticos dolores qui ſeorſim urgeant, nec cum antè dictis colicis cauſam communem habeant: tamen ita ſentio, *ut plurimùm utrumque doloris genus ſimul concurrere, convulſorium ſcilicet totius ventris pro colico habitum, & nephriticum ſimul, ſed in iis duntaxat qui ferè ſemper ſaburram arenoſam in urinæ conceptaculis congeſtam habent.* Nam & quandoque *ego unum nephriticum experior dolorem, ut autumni frigore primo, & quoties ſubita fit mutatio conſtitutionis aëris in Aquiloniam, per quam ſerum exprimitur affatim ex omnibus vaſis totius habitus introrſum, quo tempore plurima mictio & dejectio pariter liquida plurima ſimul mihi accidunt; aliàs autem & ut plurimùm utrumque experior dolorem & convulſorium totius abdominis & nephriticum ſimul, quotieſcunque ſcilicet tempeſtas aliqua imminet, vel nimbus omninoque mutatur conſtitutio aëris in pluvioſam: quo tempore partes ventre inferiore contentæ ſurſum retrorſumque revelluntur, & alvus valdè aſtringitur.*

Dolor convulſorius ſcil. totius ventris pro colico habitus: & nephriticus ſimul ut plurimùm concurrunt. (Obſervatio.)

Quod confirmatur 1. propriâ experientiâ.

Quid enim prohibet ſeri in vaſis ebullientis unam partem quidem rapi in caput, ab eâque impleto poſtico cerebro revulſorios totius dolores abdominis invehi, reliquam autem partem eodem tempore in renes deſpumare & exundare, itaque ſuo motu ſaburrâ arenoſâ commotâ nephriticos dolores accedere ad colicos habitos. Et certè, aut valdè fallor, *in Illuſtri quartanario, cujus antea mentio facta, ita cecidit: nam præſente paroxyſmo ab efferveſcentis ſeri aſcenſu in caput quidem ſopor convulſioque inteſtinorum, & alvi aſtrictio & ſimul ab ejuſdem ſeri efferveſcentiâ, ac depluvio in renes nephritis Nobiliſſimum Virum miſerrimis modis affligebant, ut arena in declinatione febris & ſequente die plurima reddita ſemper demonſtravit.*

2. A duplici motu ſeri, primò in caput, & dein in renes.

(Obſervatio.)

Quod ſi ita eſt quid mirum ita complicatum & involutum affectum medicis ſæpè obſcurum & perplexum videri, ut quid ſtatuant de eo hæreant animi, & alius coli-

Cur complicatus hic affectus Medicis ſæpè

obſcurus videtur ?

cum, alius nephriticum affirmet & pertendat. *Quæ ſanè controverſia facilè dirimi poteſt, ſi ambos vera affirmare & enunciare conſtituamus, tametſi diſſideant à ſeipſis, quandoquidem revera affectus à ſingulis licet diſſentientibus pronunciati concurrunt & confunduntur.*

Novam hanc ſententiam de cauſâ dictorum dolorum confirmant.

Enimverò ut redeamus ad dolores primi generis, concludamuſque & confirmemus ex abundanti doctrinam omnem à communi ſenſu diſſidentem, certè dolores ventris inferioris à nobis propoſitos deſcriptoſque non aliam continuitatis ſolutionem quàm convulſionem ſeu divulſionem ſequi illatam à revulſione ſurſum ſive nervorum, ſive ſimul peritonei meſenteriive ea univerſa colligantis, cùm idæa & conditiones antè conſideratæ à nobis, & anatomia demonſtrarint apertè, tum verò mirificè inſuper confirmant *aſſidentia omnia ſymptomata*, quæ non in aliam cauſam refundi poſſunt attentè penſitata; *& ea præterea remedia, quæ experientiâ conſtat certum adferre levamentum hujuſmodi doloribus.* Nam inprimis vomitus importuniſſimus ſive aſſumptorum, ſive aqueorum & bilioſorum quandoque humorum à quâ cauſâ proficiſcitur ſi non à ventriculo ſimul cum inteſtinis in ſe veluti præter naturam contracto, divulſoque, & ab expreſſâ aquâ è capite ſenſim ſimulque bile è veſicâ cholidocho expreſſâ per veſicæ divulſionem ſenſibilem, rejectatâque in meatus in ventriculum patentes? Si enim oppidò inſignes hepatis tumores aſſiduum non inferunt vomitum, & quanquam inflammatorii in principio, ſcirrhi autem nuſquam, cur diſtentum flatu colon perpetuum & pertinacem adeo invehit?

1. Aſſidentia diverſa ſymptomata.

Quanquam ſanè inficias non ierim ventriculum quandoque multo turgere & intumeſcere flatu; ſi quando dolore ingruente contingit inferiora inteſtina eo diſtendi: ſcilicet revulſis inteſtinis craſſis ſurſùm verſus lumbos, flatus iis incluſi exprimuntur ſurſum, unde tumet ventriculus & frequentibus concutitur ructibus, flatibus hiſce ſponte quærentibus exitum, & ſupera captantibus, tamen ii motus quibus ventriculus infeſtatur, ſingultum potiùs referunt, quàm verum ructum. Atque hi motus haud dubiè ſunt

con-

convulſorii, & eos pro ſigno pathognomico præſertim eorum dolorum, qui nephritici ſunt, longâ ſcilicet edoctus experientiâ habeo.

Nam quid neceſſe eſt ſegnitiem alvi immedicabilem denuò contemplari, quæ ſi quid aliud manifeſtiſſimè revulſionem inteſtinorum ſurſum factam conſequitur, ob quam ſcilicet rectum inteſtinum in ſe ſubſidens nihil prorſus exire patitur, quæ tamen ſubſidentia flatum, quippe tenuem ſemperque quærentem exitum, ut exitu prohibere poſſit facilè non video.

Adhæc quî fieri poſſit ut ratione diſtentionis coli à multo flatu illatæ urina admodum pauca eaque impensè flava emittatur? cauſa ſanè hujus phænomeni non facilè reddi poteſt, quæ tamen obvia eſt, ſi ſeri raptum ex hypochondriis ſurſum factum dolorum cauſam ſtatuamus.

Quî præterea febris comitem ſe neceſſariò adjungat dolori à flatu, nulla ratio excogitari poteſt, cùm evidens ratio ſit, imò præcedat febris ſemper ex noſtrâ hypotheſi?

Denique commutationis horum dolorum cum gravibus capitis affectibus, paralyſi, & aliis ejuſmodi ratio idonea nulla fingi poteſt, cùm improbabile ſit flatum è colo in caput efferri poſſe: ex adverſo autem ſeri raptus fervorque in capite eos affectus ſecum trahere facilè poſſit, & luculenter ſit à nobis antè demonſtratum.

Sed non eſt prætermittendum Archigeni & Galeno probatum à juvantibus ſcilicet ſumptum argumentum. *Paulus* ſanè & *Trallianus* colicos dolores miraculosè ſanari affirmant ab uſu refrigerantium: quî autem hoc fieri poteſt niſi quia uſu refrigerantium cohibetur raptus ſeri perpetuus in caput à fervore ſcilicet ſanguinis à febre præſente etſi latente illatus? ita ſanè eſt.

2. Per ea remedia, quæ ejuſmodi doloribus levamentum adferunt.

Experientia porrò docet nullum horum omnium propoſitorum dolorum abdominis totiús remedium præſentius eſſe certiuſve uſu eorum, quæ divulſioni & contractioni violentæ ſive nervoſi generis, ſive membranoſi contrariâ relaxatione medentur & humectare inſigniter nata ſunt, exolvereque convulſionem, & continuitatem divulſam ſuæ in-

tegritati reſtituere, qualia ſunt *fomenta humida, & inprimis ſemicupium*, cujus vim rarò fruſtrari vidi præſertim in nephriticis doloribus.

Objectio. Neque verò eſt quod quiſquam propoſitorum dolorum parentem bilem ex hepate duas inter inteſtinorum membranas latè effuſam, & mordicantem incuſet arguatque ex eo, quòd aut adſtrictiſſima alvus eſt, aut dejectiones cinereæ ſeu caninæ, quæ ambo in dejectionibus ſymptomata bilis averſionem ab alvo certè inſinuant: nam quanquam

Solutio. illa ſymptomata non negamus conjuncta eſſe cum doloribus, de quibus quæſtio eſt, tamen negamus inde bilis in inteſtina effuſionem neceſſariò concludi, cùm illa vel per convulſionem veſicæ colidochi, ut antè monitum, rejectetur in ventriculum, aut etiam in vaſa ipſa, hoc eſt, venoſum genus, ut ſatis indicat urina ipſa ferè impensè flava. Certum eſt enim in ſanguinis circa hepar fervore à quâcumque cauſâ, & eo non ſolùm magno confertoque qui febrem ſenſibilem inferat, ſed etiam in levi unà cum ſero bilem præcipuè & antè omnia ferveſcere, efferveſcentem autem ſuo ingenio ſurſum ferri, non deorſum, ideoque potiùs in ventriculum, & maximè in caput rapi & & aſcendere, quàm in inteſtina infernè ſita deſcendere.

Et confirmatur quia bilis tormina quidem in ipſo decurſu & eroſionis ſenſum inferret, non autem revelleret introrſum retrorſumque inteſtina verſus lumbos, quibus aſſui quaſi videtur umbilicus: tanta eſt & tam vehemens ea revulſio ſeu convulſio facta quippe à principio nervorum in ſe per vim contracto.

Summa dictorum. *Quæ cùm ita ſint, jam nihil moræ eſt cur concludamus, dolores, à nobis propoſitos convulſorios revera eſſe, hoc eſt convulſionem conſequi partium omnium inferiore ventre contentarum, eamque conſectaneam violentæ corrugationis divulſioniſque propaginum nervorum ſexti ſeptimique parium, & ſimul membranarum ad eas partes attinentium, inductæ ſcilicet à colluvie ſeroſâ vel in ipſo capite adhuc ebulliente, vel ex eo totoque corporis habitu in lumbos ipſos, aut vaſa interna, & tandem in conceptacula urinæ affatim expreſſâ & irruente, per*

eorum-

eorumque diſtentionem violentam univerſum ventrem affligente, cùm revera hæc ſententia facilem evidentemque reddat rationem omnium φαινομένων, & accidentium concomitantium aut ſupervenientium, quæ flatui, aut pituitæ, aut bili inter inteſtinorum tunicas effuſæ nequeunt imputari.

Jam verò cùm ex ſuperiùs dictis in proclivi ſit hos inter ſe diſtinguere dolores, tum verò ſpeciatim qui conſequuntur ureterum diſtractionem vehementem à devolutis lapillis, & arenulis conglobatis à præcipiti ſeri ex alto in eos decurſu, his inſuper ſymptomatis facilè diſtinguuntur: ſcilicet præter communia ſigna antè deſcripta revulſione teſticuli reſpondentis ureteri contracto, ſtranguriâ, & ſaltem pruritu in glande, ac frequenti ſæpè mictione, tum verò ſtupore quodam ſeu tremore cruris reſpondentis pariter reni ſeu ureteri contracto, denique frigore extremarum partium infernarum. Quæ ſanè ſymptomata tametſi non perpetua in omnibus tamen ſemper in me ſum expertus, ſed in deſcenſu per ureterem lapilli, quo tempore ſcil. maxima eſt ureterum in ſe contractio. Particulariæ quædam ſigna dolores colicos à nephriticis diſtinguentia.

Nam per vehementem contractionem ureteris non ſolùm partes internæ, quæ peritoneo conjunguntur cum uretere, ſed externæ quoque ſurſum revelluntur. Hinc & teſticulus retrahitur reconditurque, & veſica pariter ſurſum revellitur, imo meatus ejus ſeu cervix, unde dolor prurituſque in extimâ ejus parte glandi adnatâ perſentitur, ad quam ſequitur ſtillicidium urinæ: non dubium enim eſt veſicam ipſam ſurſum revelli vehementer, ut etiam dolor ad pubem ſatis indicat.

Jam verò, qui ſtupor cruris è regione afflicti renis comitatur, is rectè à practicis compreſſioni vaſorum nervorumque iis ſubjectorum lapillo grandiuſculo tribuitur: ſed quæ refrigeratio extremarum partium, imò tremor evidens & mihi familiaris (nam non perpetuus in omnibus) adjungitur, ejus cauſam conferto caloris vitalis recurſui ad partem graviter dolentem & naturæ familiari in omni dolore aut labore tribuere meritò licet.

Sed age qui ſunt *Scopi Curationis* hujuſmodi dolorum? ii ſanè ex concluſione modò deducta nullo negotio erui poſſunt. *Scilicet in doloribus cum febre conjunctis quidem in-* Curatio in Colico dolore inſtituenda.

Tres habet ſcopos. Quorum I. conſiſtit in ſeri, caput impetentis, revocatione. II. In ejus ibi collecti vacuatione & exſiccatione. III. In doloris mitigatione.

inprimis ſeri caput impetentis raptus è viſceribus ſiſtendus revocanduſque: hoc autem obtineri nequit niſi fervore ſanguinis antè omnia compoſito ſedatoque. Tum verò ſerum quod caput oppetiit implevitque & jam nervoſum corrugat genus vacuandum omninò, exſiccandumque. Interea autem, quia dolor maximè curationem ad ſe trahit, partim quia naturæ maximè infeſtum eſt ſymptoma, partim ratione immoderatarum vigiliarum, quas importat neceſſariò, *obnixè medendum eſt dolorifica convulſioni tam laxantibus & rigorem partium exolventibus, quàm ſenſus acrimoniam aliquatenus hebetantibus.*

I. Igitur ſcopus expeditur, 1. Per uſum clyſterum emollientium, &c.

His itaque ſcopis ut ex arte fiat ſatis, tentandus *primùm clyſterum uſus emollientium* quidem, & ad calorem mediocrem cum humiditate conjunctum inclinantium, ut & feces eduræ emolliri, & dolor qui præcipuè urget tanquam fomento interno demulceri, ſimulque gravibus præſidiis via commodè ſterni poſſit: quibus tamen ratione ſegnitiei alvi, & torporis inſignis addendum aliquid ſaltem iis, qui primùm in uſum venient, non quòd ſenſum obtundat, ſed quòd potiùs acuat cogatque excretricem ad eorum excluſionem, alioqui ferè immorarentur in alvo non ſine ægrorum moleſtia. Materiam autem horum auxiliorum ſatis obviam quippè ſupervacaneum eſt minutiùs perſtringere.

Circa quem cautio obſervanda.

Sed hoc animadverſione dignum eſt, quòd ſi cunctari præter votum excrementa contingat, ſuſque deque potiùs id habendum eſt, quàm clyſteres clyſteribus ingerere, importunâque eorum injectione ægrum plurimùm aggravare: naturâ enim in his doloribus prorſus repugnante (motum quippè periſtalticum ſurſum & naturali contrarium prorſus tentante ſi modò tentat, & non potiùs convulſio hæc unius morbi eſt effectus) *fruſtra tot tantiſque decoctis per vim infuſis venter oppletur & intumeſcit magno cum ægrorum faſtidio, & ſine ullo fructu, cùm excrementa aliàs in ejuſmodi ægris à longo tempore ἀσιτίᾳ inediâque laborantibus vix ſuperfluant.*

(Purgantia medicamenta quo tempore in colico dolo-

Quam etiam ob cauſam purgantia medicamenta tum temporis non niſi importunè exhibentur repetunturque vel eâdem die, quod paſſim factitatur à vulgaribus practicis, cùm ea

aut

aut ſtatim vomitu reddantur, aut ſi retineantur, ea certè nunquam poſtea, nedum humores peccantes excludantur à naturâ: & multò minùs globuli plumbei ſuccedanei ſtibio vel antimonio hîc ab antiquis uſurpato non ſine craſſæ ignorantiæ ſuſpicione. Veroſimile enim eſt ita implicata eſſe per hujuſmodi divulſiones inteſtina & præſertim tenuia, ut interna eorum cavitas prorſus ſubſideat, & ſi quid admittit, tamen infernè non ſinat excerni. Hinc quæcumque aſſumuntur & vel medicamenta generoſa, ea aut ſtatim vomitu excluduntur, aut retinentur ita, ut quandoquidem eorum nihil per alvum dejicitur, in vaſa gaſtrica & meſaraica, indeque in viſcera ſponte ſubiiſſe ſit probabile. re. ut noxia, non adhibenda?)

Sed dices, quibus igitur artibus ſerum ſive caput impetens revelli, ſive jam opplens evacuari poteſt? ratio ſanè dictat, ut tentatâ levi purgatione per clyſterem, qui quanquam retentus non valdè nocere ventremque diſtendere poſſit, primo quoque tempore *ſècetur vena* coërcendi ſcilicet fervoris ſanguinis, & raptus ſeri in caput revocandi gratiâ; *quæ ſectio & partitè fiet*, ut revulſio meliùs ſuccedat, & in *modicâ admodum quantitate* ſanguis extrahetur, quia cùm antè inſultum horum dolorum ferè ſemper ſuadente ita febre, quæ prægredi ſolet, adminiſtrata fuerit venæ ſectio, tum verò conſervationis virium per eos dolores cura ſumma eſſe debet: nihil enim æquè atterit vires, id eſt, ſpiritus vitales, in quibus virium robur, exhaurit atque dolor. 2. Per venæ ſectionem partitè & modicè factam.

OBS. XCVI. *Memini equidem cùm Reverendiſſimus Vir quidam, de quo antè, in declinatione febris tertianæ productæ hiſce doloribus torqueretur, iſque nihil quietis per ſeptem dies præ eorum vehementiâ capere potuiſſet, ab adminiſtratâ tum venæ ſectione (quanquam me diſſuadente & ex compacto abſente) eum in virium languorem delapſum, ut pro conclamato unum aut alterum diem ab omnibus fuerit habitus.* Itaque maximè attendendum virium integritati non ſolùm, quas præſens affectus deſiderat, ſed etiam longitudo morbi. Nam hujuſmodi dolores meâ obſervatione pertinaces ſunt admodum, quicquid ars moliatur ſæpiùs ſeptenarium De malè inſtitutâ venæ ſectione in hiſce doloribus. Nota.

unum

unum aut alterum conſequentes durant, quippè ſequuntur momenta febris per ſeptenarios converſiones accipientis & alioqui Chronicæ, ut ferè ſunt febres omnes in viſceribus hærentes: iis autem ſeptenariis, quibus vigiliæ doloreſque urgent perpetuò, vires inſigne detrimentum capere eſt plus ſatis evidens.

De pertinaci & longâ duratione ejuſmodi dolorum.

OBS. XCVII. *Imo non ſolùm in memorato cive Pontano C. Juvene dolores ad quadrageſimum diem prolatos obſervavi, ſed etiam menſe Majo præſentis Anni decimi ſeptimi in Rever. Juvene Burgundo Lambelin æquè obſtinatos obſervavi.*

Quæ vena tundenda?

Sed quæ vena hîc tundenda? hactenus equidem communem & tritam ſecutus medicorum ſententiam inſinuante ita febre *baſilicam brachii dextri* tundi juſſi ferè, ſed attentiùs re conſideratâ fortè fructuoſiùs *malleoli vena* tundi poſſet meâ quidem ſententiâ: nam præterquam quod hæc vena, aut etiam poplitis æque viſcera inferiore alvo contenta reſpicit, atque vena brachii *Galeni* animadverſione, vena certè malleoli ſive poplitis (quæ jam deſuevit per chirurgorum inertiam) revulſionis à capite beneficium conferens evidentius præ ſectïone venæ brachii: quâ ratione motus in Epilepſiâ *Galenus* ſaphenam tundit.

Quamobrem ut concludam, *niſi jam ſæpiculè & ſatis copiosè jubente ita febre prægreſſâ extractus fuerit antè ſanguis, ſtatim in ipſo dolorum inſultu ſecandam ſentio ſaphenam ſed partitè, eamque alterutrius cruris, ut monuerit tenſio ejus hypochondrii, in quo fomitem febris deliteſcere erit veroſimile.*

3. per alia revellentia.

Sectioni autem venæ peractæ iis cum legibus utile erit adjungere *alia revellentia, ut frictiones, ligaturas extremarum partium, eaſque crebrò repetitas.*

II. Scopus peragitur; cum ſenſibili ſeroſi humoris evacuatione 1. per medicamenta purgantia.

Et præterea *medicamentum, quod ſeroſum humorem quidem è capite elicere valeat*, ſed ejuſmodi aliàs, ut nec ventriculum turbet, nec ad vomitum cogat quàm minimùm fieri poteſt, ſed & quod quanquam retentum tamen febrem augere non poſſit ſi à dolore febrili rapiatur in viſcera. Ejuſmodi autem erit medicamentum *ex ſeminibus carthami, ebuli, foliis ſennæ incoctis leviter in ſero lactis, in*

quo

quo mel roſaceum diſſolvetur, aut manna, aut caſſia, & in eâ quantitate, quæ emollire & eluere in inteſtinis feces induratas poſſit. Hujuſmodi ſanè purgantium uſu crebriore in modò dicto Reveren. Juvene averſa fuiſſe graviſſima capitis ſymptomata quæ paſſim excipere ſolent dolores abdominis & reſtitutum ſibi tandem ægrum divinâ gratiâ favente, ſed ſerò haud vanè conjicio.

Quòd ſi per vomitus aſſiduitatem purganti medicamento locus non detur, tum ejus vicem gerunt hæc ſequentia. Scilicet in primis *ſudorifica* modo temperata, ut *ſyrupus de quinque radicibus, ſyrupus capilli veneris cum decocto hordei & ficuum, tum ſyrupus ambroſianus;* quæ calida actu & ægro benè tecto propinanda: nam à ſudoribus ſpontaneis maximè conquieſcere, atque etiam averti hos dolores ſemper obſervavi: imo etiam averti ſymptomata capitis graviſſima. 2. per ſudorifica.

Deinde in uſum venient quæ *diureticam vim* habent, ſimulque febri conſulunt viſcera infarctu liberando, ſimulque refrigerando; cujus generis ſunt præter modò dicta ſed frigidè exhibita *decocta ex cichoraciis & id genus, ſyrupi acetoſus, de biſantiis, & ſimiles.* 3. Diuretica.

Denique juvabunt quæ contenta ore, *maſticata*, aut aliter uſurpata privatim caput expurgant, ut ſunt *paſſulæ damaſcenæ modò ſucci vitalis plenæ, & recentes atque benè purgatæ ab acinis, & liberaliter præmanſæ jejuno ſtomacho;* hæ ſiquidem ſerum potenter ſatis alliciunt, atque alvo leniendæ, ſed in primis viſceribus roborandis commodæ ſunt: quibus ſi purgatio ſeri non ſuccedit, *maſticatoriis vulgaribus* non parcendum, atque etiam *litui palati cum melle anthoſato*, vel etiam *theriaca*, ſed eâ lege *ut mox ptiſana os largius colluatur*, ne ſitis implacabilis ab ejus uſu inferatur. 4. Maſticatoria.

Neque verò ſolùm *ſenſibili vacuatione colluviei capitis ſeroſæ* providendum, ſed etiam *inſenſili* admotis capiti *moderatè calefacientibus & potenter ſiccantibus*, ut ſunt *cucuphæ è pulveribus cephalicis additis roſis, & chamæmelo*, tum *emplaſtra de betonica & è gummi tacharnaca.* Sed hæc febre Tum inſenſibili, per moderatè calefacientia & ſiccantia caput:

declinante duntaxat uſurpanda, cùm ad raptum ſeri repellendum in principio *oxyrrhodino* potiùs locus eſſe debeat.

Jam verò his commodùm ſuccedent *quæ ſerum fluxurum è capite in lumbos intercipere nata ſunt*, quæ ex abundanti quoque idem circa principia nervorum hærens adhuc evacuare inſenſibiliter poſſunt, ut *emplaſtrum ex pice albâ*, *diachylon ireatum*, *oxycroceum* quæ miſceri quoque ſuperiùs dictis queunt, admota ſcilicet toti cervici & per plures hærentia dies, imò *ſenſibiliter*, ut *cauterium imo occipiti ex arte applicatum* ſive potentiale, ſive potiùs actuale.

& emplaſtra cervici admota.

Quæ ſanè omnia parti dolenti, quæ fluxâ jam materiâ occupatur, adhibita non mediocrem utilitatem allatura eſſe confido, ſi tempeſtivè id fiat & citra metum novæ fluxionis, priuſquàm fomentis anodynis, linimentis chalaſticis, & aliis id genus pororum apertioni fuerit conſultum, ad quæ ſcilicet properandum eſt.

Quibus adjungatur cauterium occipiti applicatum.

Enimverò cùm præcipuum *Anodynorum* genus ſit quod cauſas doloris evidenter oppugnat, vacuatione ſcilicet cauſam implentem diſtendentemque ſuâ copiâ, qualitatibus autem contrariis intemperiem quamvis dolorificam juxtà doctrinam α *Hippocratis*; *ſananturque dolores*, inquit, *contrariis: idque etiam unicuique morbo proprium eſt*. Et aliis diffuſiùs, β *in doloribus*, inquit, *proximum ventrem purgare*, *ſanguinis ventrem reſcindere*, *uſtio*, *ſectio*, *calefactio*, *refrigeratio*, *ſternutatio*. Itaque hactenus doloribus propoſitis ſatis ſuperque à nobis factum eſt ſuperiori illâ & accuratâ cauſæ eorum providentiâ, *nihilominus tamen quia ſymptomatis ipſius ſævitia implorat maximè opem medicam*, *& ſæpè totum Medici conſilium ad ſe vertit*, *opportunè adjungenda duo alia anodynorum genera conſenſu omnium Medicorum approbata*.

III. Scopus perficitur Anodynis:

Eorum igitur *primum genus* eſt quod ſuavi quodam temperati caloris & nativo noſtro ſimillimi ſenſu partium dolen-

Quorum duo ſunt genera:

α Lib. de locis in homine Aph. 111. ὑγιαίνονταί τε αἱ ὀδύναι τοῖσιν ὑπεναντίοισι τοῦτο δὲ ἴδιον ἑκάστῳ νοσήματί ἐστι.

β In lib. 6. Epid. Sect. 6. Aph. 7. Ὀδυνέων τὴν ἐγγύτατα κοιλίην καθαίρειν, αἵματος δὲ κοιλίην διαιρεῖν, καῦσις, τομὴ, θάλψις, ψύξις, πταρμοί.

ſentium triſtitiam moleſtiamque demulcet & obſcurat, ſimulque (meâ enim ſententiâ præcipuè hæ ſunt laudes ſive vires) partim rarefaciendo attenuandoque craſſa, & attenuata reſolvendo, unáque poros aperiendo afflictam partem ab humore impacto aut flatu implente & diſtendente liberat, partim humiditate acrimoniam malitiamque materiæ dolorificæ obtundit, & laxat mirificè partes divulſas tenſaſque, itaque affectum dolorificum corrigit & tollit. vel dolorem demulcentia propriè dicta;

Alterum autem genus eſt quod ſtuporem partibus inducit & ſenſus privatione dolorem perſentiri vetat, ſcilicet ſpiritum animalem immediatum ſenſus omnis organum vel prorsùs ligando ſomni inducti vinculo ſeu obice, vel repellendo à dolente, vel denique in ipſâ extinguendo. Vel ſtupefacientia & hypnotica.

Primi igitur generis ſunt medicamenta omnia, quæ ex ſe mediocrem habent à naturâ temperiem, aut certè primum caloris gradum non excedunt, etſi in humiditate rigori partium & convulſioni contrariâ excellunt, & aliàs tenuium ſunt partium, expertiaque adſtrictionis, quæ ideo omni tempore morbi omnique ætati, & cuivis naturæ opportunè poſſunt adminiſtrari, idque ſub variâ formâ, ſive exteriùs ſive interiùs. *Interiùs enim ſumpta* laudantur *oleum de ſemine lini, amygdalarum dulcium, vel etiam commune, decoctum anethi cum ſeminibus odoratis, & præcipuè decoctum chamæmeli*, niſi eſſet paulò ingratius; nam certè nullam ſatis juſtam cauſam puto cur ventriculi frigiditas, aut nimia laxitas ab uſu hujuſmodi humectantium metuatur, quia revera rigeſcit divelliturque ventriculus & laborat potiùs calidâ ſiccâque temperie, cùm hujuſmodi dolores familiares ſint calidis ſiccis & atrabilaribus tum naturis, tum ætatibus. Primum genus complectitur. 1. Internè ſumpta varia.

Injecta probantur quoque, maximè *clyſteres ſive ex lacte additis ſaccaro, & vitellis ovorum; ſive ex decocto chamæmeli, anethi, althea, ſeminum lini, fœnigræci, fœniculi, additis oleis communi, amygdalarum dulcium, adipe recenti anſerino, aut gallinaceo, & melle roſaceo; ſive ex oleis ex Galeni & Pauli ſententiâ commemoratis ſcilicet, vel anethino, chamæmelino, vel de ſemine lini ſibi invicem mixtis, aut* 2. Injectiones per clyſteres.

 ſeor-

ſeorſim injectis ad ℥. xv. Quibus *vinum* vulgò admiſcetur; & ad ejus conſumptionem *olea* coquuntur : ſed ſi id fiat, in modicâ admodùm quantitate addi debet, quia vinum dum coquitur quocumque modo aceſcit facilè mordetque ſenſum inteſtinorum acerrimum ; *quod ego in me expertus ſum quoties jejunus & ſolo pane, & vino contentus tranſegi diem, ut ſacrum pervigilium Paſchatis : nam tum ab acore vini ſtatim dolores toto ventre ſæviſſimos ſum paſſus.*

(Obſervatio.)

3. Externa : ut linimenta, fomenta, & cataplaſmata ;

Inter *externa* autem commendantur *linimenta ex oleis & adipibus prædictis ;* tum *fomenta ſive ex filo crudo cum cinere in aqua incocto, ſive ex oleis iiſdem in veſicâ contentis, aut lanâ ſpongiâque exceptis, ſive ex decoctis iiſdem, ex quibus clyſteres parantur ; tum cataplaſmata ex magmate dictarum herbarum & oleis : omentum vituli imbutum & tepefactum iiſdem oleis, ut & ova contuſa frixaque in ſartagine cum iiſdem, aut butyro mihi familiaria.* Nam prædictis calidiora & actu ſicca, *ut cineres, lapides ignitos*, quippè quæ augere potiùs nata dolorem quàm levare, minimè probare poſſum.

Atque balnea artificialia.

Sed mirificè laudo præ ceteris *ſemicupium*, vel etiam *balneum ſive ex decocto lenientium herbarum, ſive ex oleo puro ex Pauli ſententiâ, ſive potiùs ex utroque ſecundùm Aëtium*, cujus vis mirifica omnia curationis momenta explet, certoque ſemper probata experimento : nec formidavi unquam ab uſu ejus aut paralyſin, aut fluxiones arthriticas tum diuturnâ experientiâ edoctus, tum maximè hac ratione quòd hæc incommoda vi morbi quidem inferri ſolent, ut antè abundè inſinuatum, minimè autem ab uſu balnei ſive ſemicupii.

Alterum genus exhibet, narcotica varia artificiosè correcta ;

Jam quòd attinet *ad ſtupefacientia ſive hypnotica*, quæ neceſſariò in fine tertii gradus, aut potiùs in quarto ſunt frigida, ex iis ſicca ſolùm ſunt uſurpanda, ut humida exteriùs, & quævis compoſita potiùs ab antiquis ſummâ cum arte, ex narcoticis ſcilicet ſed correctis, tum ex malignitati eorum adverſantibus, tum cauſæ doloris ſimul repugnantibus : uſurpanda, inquam, *ſed in magno duntaxat vitæ diſcrimine ſive ab acerbitate doloris, ſive a vigiliarum*

Nota.

inde-

indomabili pertinaciâ , & ſemper viribus adhuc conſtantibus. Exempla hæc ſunto : ℞. *decocti chamameli* ℥. xv. *olei amygdalarum dulcium* ℥. *iij philonii romani , vel requiei Nicolai antè ſex menſes confectorum* ʒ. *ij. miſce. fiat enema.* ℞. *philonii romani* ʒ. *j. mellis q. ſ. fiat ſuppoſitorium octo digitos longum , fortique appendendum filo.* ℞. *philonii romani , ſaccari violacei ana.* ʒ. *j. miſce fiat bolus.*

Sed non prætermittendum eſt hîc ſatis vulgare , ſed *generoſum tamen paregoricum cataplaſma , æquanimitas ſcilicet , ſive patientia , & fortitudo animi Chriſtiano homine virtus digniſſima* , quæ non tam à Stoâ quàm à Deo impetranda obnixè , & ad quam inprimis nos hæc pia conſideratio invitare debet. Nimirum ea virtus eſt non infimus ad cœlum gradus , ſed unus & maximè neceſſarius iis qui in hâc vitâ mortali cum ſummis diviniſque virtutibus alioqui minimè excellant (talium certè numerus vix planetarum æquaverit ſeptenarium) à pauperie alioqui ceteriſve id genus adverſitatibus , & miſeriis , quæ mala falsò mortales exiſtimant , immunem tranſigunt vitam , ac divitiis affluunt , quibuſque omnia ex voto animique ſententiâ proſperè ſuccedunt : certè ſi attentè proſpicimus in immortalitatem illam , quæ poſt hanc vitam nos manet , & ex adverſo præteritæ noſtræ ignaviæ , ſummæque erga Deum ingratitudinis , & vitæ retroactæ multis obnoxiæ criminibus non ſimus immemores , omnino nobis gratulandum eſt nedum dolendum de immiſſis cœlitus , aut potiùs noſtro errore ægritudinibus , & moleſtiâ doloreque conditis ærumnis , quibus fortiter ferendis , certè æquiter , divina in nos ira avertitur , vitæ ſordes eluuntur , denique ad cœleſte domicilium aditus promeretur. Patientiam & fortitudinem animi.

Hoc certè æris divini potiùs , quàm alieni emplaſtro , ut ita loquar , fretus jam aſſuevi ſpernere & frequentiam & acerbitatem dolorum nephriticorum & affinium qui me à multis annis continuò ferè exercent , ut mihi religioni ſit niſi in ſummâ vehementiâ mox dicta tentare remedia quorum fruſtrà opem in pleriſque juxtà , atque in me ſum expertus , & memini olim parentem meum in viridi ſe- Cujus Efficaciam Autor ſæpè expertus eſt.

 nectâ

nectâ fruſtra periculum feciſſe, cùm ille ferè lecto accubuus obligatus eſſet operis pharmacopœis; ſed generoſius eſſe duco ægrorum amicorumque colloquiis, & contubernio librorum, aſſiduoque ferè docendi munere publico fallere dolorem propè continuum. Nec me pudet pigetque obſtipo capite repandum, manibus ilia conſtringentem, nauſeantemque per urbem & identidem querulum, incedere potiùs, quàm lectulo affixum, unguentis delibutum, fomentiſque madentem, aut egelidæ aquæ labro innatantem ingloriam atque infructuoſam trahere vitam, & graviora fortè mala per inertiam mollitiemque animi, & importunum medicamentorum uſum accerſere, ac fatum accelerare, nedum vitam falſâ ſpe producere.

Medicamenta Anodyna quamvis aliquando proſint, frequenter tamen nocent.;

Nam medicamenta illa anodyna cujuſcumque generis quanquam ſolamen fortaſſe, vel levamen etiam adferre nata ſunt, tamen illud nocumento alicui admixtum aſperſumque adferunt importuniore ſuo uſu. Vera namque anodyna etſi tepida tamen calore actuali & excellente humiditate fluxiones concitant augentque quodammodo, certè fovent ſive tractione materiæ, ſive mollitione, effœminatione partis ſuſcipientis, pororumque in eâ apertione, quod experientia de balneo aquæ dulcis calido docet, quo ſi quis diutiùs utatur carnis effœminationem, imbecillitatem nervorum, ſive reſolutionem fibrarum, cujus ratione excretio par attractioni non eſt, imò ſtuporem mentis ſentiet.

& præſertim narcotica;

Frigidiora autem & narcotica ſæpè necroſin nedum narcoſin inferunt, certè caloris vitalis vires non mediocriter atterunt: ex quo ſi non mortem, certè querularum perpetuarum materiam ægris dant. *Incredibile enim eſt dictu, quot nimiùm credulos intemperante vel laudani noſtro ævo celeberrimi, aut pilularum de cynogloſſâ uſu Themiſones & circumforanei agyrtæ mittant ad orcum.*

quæ ſummâ cum cautione adhibenda ſunt.

Caveant ergò ſedulò juniores ne aut quærelis ægrorum fracti, aut vanâ ſpecie ſuæ induſtriæ oſtentandæ, vel ſtudio gratificandæ avaritiæ pharmacopœorum tot tantaque inculcent medicamenta, ſed potiùs inſtillent propinentque laudatum nunquam ſatis à nobis patientiæ conſtantiæque animi pharmacum

macum

macum tanquam præſentiſſimum, certè tutiſſimum.

Nam cùm innumerabili propè ægrorum multitudini de doloribus hiſce acriter conquerentium hactenus adfuerim, in nemine tamen ab eorum quamvis pertinacium atrocitate fractas vires licet vel quadraginta dierum inſomniam invexiſſent vidi. Ea omiſſa magis proſunt.

OBS. XCVIII. Teſtes mihi *Generoſus Vir ex Familiâ de Haultoy D. de Ville*, *& Ampliſſimus Vir*, *qui vivit adhuc*, *Adrianus Poinet à conſiliis intimis & ſecretis Illuſtriſſimi Cardinalis Lotharingiæ*, *qui inconniventibus oculis fortiterque vehementiam eorum cum tantâ pervicaciâ conjunctam ſuſtinuerunt & ſuperarunt.* Ex adverſo autem vidi celebrium opiatorum efficaciam fruſtari eludique ſæpè, *& nuper in Reverendo Patre Joſepho Capucino.* De magnâ dolorum toleranti â. Adhibita ſæpe nihil juvant.

Atqui quod ad *Prophylaxin* attinet, ſanè quæ *therapiæ* præſcripta ſunt à nobis hactenus *remedia*, ea *Scopos Præcautionis* haud dubiè explere facilè poſſunt; quo ſupervacanea futura eſt & tædioſa illorum repetitio, uti & particularis *victus ratio*, quam in univerſum conſtat debere eſſe *refrigerantem & ſimul ſiccantem;* illam quidem febris conjuncta poſtulat, unáque raptus ſeroſi humoris coërcitio, hanc autem pleonexiæ ejuſdem ſeroſæ correctio, ſed tamen modicè ſiccans eſſe debet ut adſtrictio non augeatur & viribus conſultum eatur, quæ maximè ſervari debent; unde *alimenta in paucâ mole multum nutrientia & facilis digeſtionis exhibenda*, quia per dolorum acerbitatem ventriculus omninò ſegnis eſt & ſui immemor officii. Præſervatio partim eadem Remedia quæ Curatio expoſcit; partim victum refrigerantem & modicè ſiccantem.

Pergamus ergo ad *Dolores Nephriticos dictos* qui quanquam eadem ferè inſinuant præſidia, quæ & convulſorii partium abdomine contentarum, de quibus antè, ſi ſymptomatis ratio habeatur, & ſeri quoque motus evidentis eorum occaſionis, *tamen particulares quoſdam Scopos & eorum Prophylaxis & Therapia habent*, qui ut accuratè ſubducantur à nobis & penſitatè, gravitas affectus à nobis poſtulat, cùm tam calamitoſa vis ſit nephritidis, ut doloris acerbitate, ſymptomatum incidentium magnitudine, humorum corruptione, interceptione partium ad vitam tuendam neceſſa- Curatio doloris Nephritici.

ceſſariarum ægros ſæpè immaturâ morte mulctet.

Principiò igitur quoniam nephriticus dolor violentam renum, cæterarumque partium ſeri excretioni excluſionique è corpore ſervientium contractionem conſequitur, eamque partim ſpontaneam ſcilicet à naturâ ſed irritatâ admodum, partim & primò factam à calculis ſeu conglobatis arenulis per vim depulſis ſuâ è ſede, hoc eſt cavitate ſeu ſtomacho renum, aut radicibus vaſorum, in quibus placidè hærebant, depulſis, inquam, ſive à depluvio ſeri multi, expreſſi quippè è toto habitu vi frigoris ambientis, ſive etiam quandoque à naturâ ipſâ gravitate eorum in horas majorem in molem creſcentium ſollicitatâ acrius; quem motum diſtentio vaſorum præ anguſtiâ, eaque moleſta admodum & acerbo dolori conjuncta ſequitur, proindeque convulſio quædam partium adjacentium communis membranæ beneficio cum iis connexarum, *momentum profectò omne Curationis, ac Præcautionis poſitum eſſe videtur, cùm in impediendâ calculi ſive ſabuli excrementitii generatione, tanquam ſcilicet occaſionis & objecti motuum prædictorum, & cum dolore conjunctorum; tum in excluſione eorundem facili & ab omni moleſtiâ immuni.*

Curatio & Præcautio, doloris Nephritici in duobus conſiſtit.

Nam certè quod attinet ad depluvium ſeri per renes, illud nec ex ſe eſt contra naturam, nec moleſtiam ullam naturæ inferre quanquam confertim excludatur natum eſt, ſi modò vaſa ſeu inſtrumenta ſuæ ſecretioni aſſervationique ad tempus & deductioni extra corpus utilia offendat libera ab omni obſtructione & patentia; ſed potiùs ſecundùm naturam eſt, quippè vicarium ſudoris ſive inſenſilis evaporationis deficientium, & ſuppreſſorum ratione ætatis, vel temporis anni, tum verò in hoc maximè naturæ ſalutare & utile, quòd avertat eam arenularum aggeſtionem & concretionem in lapillos ejus molis & magnitudinis, cum quâ intercipere urinam prorſus poſſent cum certo vitæ diſcrimine: quæ ſanè utilitas magni eſt momenti, cùm præſtet longè lapillos ſeu ſabulum excrementitium quanquam cum atroci dolore & frequenti, ſed maturè excerni è corpore, quàm in lethalem ἰσχουρίαν & incluctabilem incidere,

tan-

dem. *Itaque calculi providentia major habenda quàm ſeroſi depluvii è toto in renes, & ferendum Imbre, ut vulgò ajunt, imbrices perpluant.*

Calculi generatio.

Calculi igitur juvanda omni arte excluſio, & quoad licet impedienda inpoſterum generatio accretioque. Quod ut fiat, commodè in *materialem cauſam efficientemque* inquirendum, ut utriuſque amolitione memoratis Scopis fieri poſſit ſatis.

Ejuſque cauſa materialis.

Quod igitur ad *materialem cauſam* attinet quanquam unus glutinoſus humor, craſſuſque, & crudus paſſim perhibetur materia calculi, tamen præeunte ratione, & experientiâ in primis ſtatuere oportet *arenulas ſeu terrenas ſordes*, quæ cum aquâ in potum quotidianum veniente permixtæ confuſæque paſſim reperiuntur, & cum ſero ex coctione primâ reſiduo in corpore humano occurrunt ſive diſperſæ, ſive conglobatæ, materiam præbere poſſe.

Duplex lapillorum genus, durum ſc. & friabile.

Iſtius materia eſt excrementum ſanguinis pituitoſi: Hujus bilioſi vel arterioſi.

Præterea cùm duo ſint *lapillorum genera in nobis concreſcentium*, alii ſiquidem ſint propè ſaxei, durâ & cineraceâ conſtantes ſubſtantiâ, alii verò malè compacti & aliquantum friabiles, iique à levi attritu faciles detritu & pallidi, rubri, ac ſandarachini, vel etiam atri; *materiam primi generis fateor quidem excrementum ſeu ichores ſanguinis crudi & pituitoſi eſſe: ſed ſecundi generis ichores potiùs ſanguinis ſive bilioſi admodùm in hepate geniti, ſive arterioſi in liene confecti.*

Hoc confirmat 1: Experientia.

De urinis dolorem nephriticum præcedentibus.

OBS. XCIX. Cujus doctrinæ argumenta ſunt urinæ atræ, quæ à permixtione hujuſmodi ichorum levi ſanguinis ebullitione Vere & Autumno ſeparatorum tales redditæ dolorem nephriticum præcedere ſolent *obſervatione noſtrâ cùm in me, tum in aliis, ut in Ampliſſimo & Prudentiſſimo Præſide & Secret. Int. Ducis Lotharingiæ D. de Mareinville, & in Conſiliario & cive Pontano Ludovico Hetzman olim Præceptore in linguâ germanicâ Illuſtriſſimi Cardinal. Caroli à Lotha: teſtibus omni fide majoribus (dubitant enim hac de re docti viri) imò in pueris, quanquam ii Hippocrati non laborent περὶ οὔρησιν, ſed α μετ' οὔρησιν. Reperi certè in ſchedis meis*

 unum

α Lib. epid. 6. ſect. 3. Aph. 11. Τὸ μετ' οὔρησιν σύνασμα παιδίοισι μᾶλλον. Poſt mictionem concretio pueris magis.

unum & alterum conſilium gallicè ſcriptum ſuper urinis hiſce atris & citra dolorem plures dies à pueris reddi ſolitis : atque non ita pridem audivi Generoſum Equitem ab inſolente ejuſmodi urinarum in unico hærede ſeptenni inſpectione perterritum carrucam celebrium in οὐρομαντίᾳ judicum exciviſſe ex urbe.

De ichoribus bilioſis urinis nephrit. permixtis.

OBS. C. *Nam ichorum bilioſorum & praſſinorum magnam vim urinæ adeo immixtam, ut ipſa craſſeſceret & inſigni virore tota ſplendeſceret ad inſtar olei recentis, qualem virorem præ ſe ferunt urinæ in ictero, obſervavi olim redditas ab Eleganti & Nobili Muliere, Evâ de Puellenoy nepte Clariſſimi Viri Antonii Piſonis patrui mei & uxore Clariſſimi Viri Renati de la Ruelle à conſiliis & ſecretis intimis Principum, nec non ita nuper ab honeſtâ muliere quâdam Gorzenſi uxore locupletis mercatoris & civis Pontani Joannis Maillet, quas duas mulieres nephritis valdè ſemper exercuit.*

2. Eventus à dolore ſiniſtri renis deſumptus.

Porrò noſtram illam doctrinam de materiâ ichoroſâ arenularum ſive calculorum ἐξ ὑπεμέτες confirmat hic eventus. Scilicet ex centum nephritide laborantibus octoginta & ampliùs renem ſiniſtrum dolent experientiâ teſte, cujus eventus ratio non ſolùm referri debet in eam renis ſiniſtri poſituram, quæ ſerum impurius necdum defecatum in renem refundat, quæ eſt *Dodonæi ratio*, ſed etiam in eum ſitum, qui reſpondet lieni è directo : probabile enim eſt admodum lienem ſanguinis arterioſi officinam καθ' ἕξιν pro more naturæ ſaburram ichoroſam ſanguinis atrabilaris in renem ſiniſtrum repurgare potiùs quàm in dextrum ; & quanquam nulla ebullitio præceſſerit quæ ichores ſeparet, tamen ſerum ipſum quâcumque ex cauſâ in decurſu ſuo nonnullas ſanguinis partes malè coalitas & abſtergere & ſecum in renes devehere facilè poteſt, quæ partes craſſioris ſubſtantiæ à naturâ nec non lentoris participes ex anguſtiis renum non facilè evadunt, & cum ſero fluxili ſcilicet & tenuiſſimo percolantur, ſed immorantur atque adhæreſcunt, ſenſimque aggeruntur, itaque conglobantur & in friabiles calculos lapideſcunt.

3. Calculorum color.

Etſi enim calculi ruborem renum referunt, tamen eum ru-

ruborem tribuendum potiùs materiæ eſſe, ſcilicet illis ichoribus, arguunt ſatis atri aut alieni à rubro colores aliorum calculorum qui ſæpè flavi, atri vel cinerei redduntur; tum verò ex eo probatur quòd non ſemper in ipſo renum parenchymate ſeu carne generantur, ſed potiſſimùm in cavitate, ſeu ſtomacho renum, & radicum ſive emulgentium, ſive ureterum anguſtis meatibus.

Denique cùm calculos vel grandiores nucleis dactilorum è renibus deſubitò venire obſervarim, quos longo tempore immoratos fuiſſe in renibus neceſſe fuit, tamen magnâ ex parte illos eſſe cineraceos non rubros experientia quotidiana ſatis confirmat. *Itaque colorem calculos non corpori renum, ſed materiæ potiùs debere concludere eſt.*

Jam cùm durities calculorum vel concretionem veram, vel exſiccationem neceſſariò ſequatur, ut patet ex phyſicis, *calculos certè non concretione, ſed uſtione ſeu torrefactione generari*, ubi ubi locorum in corpore humano, non aliter atque in fornacibus durantur coctione ſeu aſſatione lateres, intelligere ſanè eſt, quòd in noſtris corporibus frigoris tantus dominatus eſſe nequit, ut corpora ſtringere & concretione perfectâ indurare poſſit: hoc enim ſine ſtupore vel etiam necroſi fieri nequaquam poſſet.

Cauſa calculos efficiens eſt calor urens, ſeu torrefaciens.

Profectò cùm in cavitatibus non ſolùm à corde fonte caloris remotis lapilli generentur, ut in veſicâ, ſed in proximis cordi, ventriculo ſcilicet, inteſtinis ſuperioribus, veſicâ fellis, imò etiam in aortâ ipſâ jam primum è corde enatâ, nullus dubitationi locus relinquitur indurationem calculorum exſiccatione perfici, non concretione.

OBS. CI. *Memorabile eſt ſanè quod obſervavi in demortuo magni nominis Viro Petro Carpenterio olim Æquiſſimo Præſide Armoricæ Provinciæ & in extremo ſenio meritiſſimo Decano Facultatis Juridicæ in Pontanâ Academiâ: thorace namque ejus aperto ego aortam præter morem oppidò dilatatam cùm non ſine ſtupore obſervaſſem, ſubiit animum cupido cauſam ejus inquirendi. Diſſectâ aortâ propè cor fiſtula quædam lapidea inſtar tubuli veluti incruſtans totum ſtipitem arteriæ reperta fuit extractaque cum admiratione omnium, minimè*

De fiſtulâ lapideâ in aortâ propè cor repertâ.

enim adhæreſcebat alioqui cineracei coloris, ſed vitri inſtar fragilis. Diuturnitate ſcilicet temporis (nam Optimus Senex centeſimum annum ferè attingebat firmâ alioqui valetudine, ſi abſceſſum in alterutro rene excipias, & eâ ſenſuum integritate omnium, ut ſex quotidie horas lectioni aut ſcriptioni daret Vir ſummo ingenio & à naturâ judicio acerrimo inſtructus) diuturnitate, inquam, temporis & acri igneoque cordis calore ſero in arterioſo genere plurimo ichor ſanguinis, ratione ætatis & contentionum animi, pituiteſcentis affuſus aggeſtuſque in eam duritiem evaſerat, quæ fiſtulam lapideam efformaret.

Calor is poteſt eſſe, & mediocris & acris.

Concludamus itaque: *calculorum in nobis cauſam efficientem eſſe calorem ſive mediocrem, qualis eſt puerorum blandus & mitis, ſive acrem qualis eſt juvenum & conſiſtentis ætatis hominum.* His itaque poſitis agamus primùm de excluſione juvandâ accelerandâque calculi ſeu excrementi toto genere præter naturam aliáſque ſuâ in renibus morâ dolorem gravem, ſed in exitu per urinæ meatus acerbum & atrocem infligentis.

Cauſæ motrices lapillum a tergo depellentes.

Spatium per quod expellitur.

Curationis ſcopi v.

Certè quoniam hujus moræ exitus difficilis calculi cauſæ partim repeti debent à ſubſiſtente tum ſeri decubitu ex alto, qui principium motui calculi antè immoti & reſidis dederit, partim à virtute excretrice jam ob laborem prægreſſum fatiſcente *(hæ enim ſunt motrices cauſæ lapillum ſcilicet à tergo depellentes)* partim à calculo ipſo tanquam corpore mobili, partim denique ab ureteribus ſeu meatibus urinæ *(hos enim eſſe locum ſeu ſpatium per quod fieri debet expulſio notum eſt ſatis)* bonum factum, *ſi in primis defectum ſeri ſeu corporis à tergo calculum comprimentis expleat liquor ſeu potus, qui ſimul tamen cæteris ſcopis ſatisfaciat: deinde naturæ ſeu facultati expultrici robur addatur, certè non imminuatur, tum verò à calculo cauſæ remorantes præſcindantur, denique viæ urinæ quantum fieri poteſt amplientur dilatenturque, interea & doloris acerbitas demulceatur.*

Ac quoniam quæ à calculo ſunt impedimenta, ea à magnitudine ſeu mole majore, & libertate viarum minimè proportionatâ, nec non à lentore præcipuè pendent: & inci-

inciſione & detritu ſuperficiei magnitudo detrahi, abſterſione autem lentor corrigi debet, viarum porrò anguſtia quia partim eſt naturalis, partim à compreſſione vicinorum corporum fit, & potiſſimùm ventriculi, inteſtinorumque cibo, & fecibus, flatibuſve diſtentorum, naturali quidem anguſtiæ provideri non aliâ ratione poteſt, quàm uſu laxantium, qui tamen moderatus eſſe maximè debet, ne fibrarum robore nimiâ humiditate exoluto facultatis expultricis vires infirmentur; ſed adventitiæ anguſtiæ facilè ſuccurritur, & antè omnia ſuccurri debet aliàs fruſtrà cætera tentantur, depletis partibus comprimentibus.

Ergo ut omnibus ſcopis ſimul & ſemel fiat ſatis, inprimis ut corpus εὔροον & capax reliquorum remediorum reddatur, *vomitu deplendus ventriculus*, ſi præſertim crapulâ diſtentus ſit, & ſpontaneus vomitus nondum ſucceſſerit, quo caſu is ſinendus potiùs juvanduſque quàm ſiſtendus, cùm ſæpè momentum addat maximum motui deorſum, & excluſioni calculi; Quibus omnibus: & quidem in genere Calculor. friabili, ſatisfit, ſi 1. Vomitus procuretur.

OBS. CII. *Quod in me ſum expertus olim: nam cùm verno tempore urinæ ſtillicidium per duos ſeptenarios negotium mihi exhibuiſſet, ecce derepentè dolor atrociſſimus invadit, & non ita poſt vomitus iſque ita vehemens, ut in eo conatu & enixu lapillus ex anguſtiis ureterum inſperato certoque cum levamento in veſicam deciderit, ut deinceps nullum laborem aut dolorem toto ſemeſtri ſpatio perſenſerim.* De excretione calculi vi vomitus.

Ventriculo igitur vacuato inteſtina abluentur, *clyſtere ſive ex decocto capitis vervecini, ſive herbarum emollientium addito ſaccaro, & melle, unáque butyro & oleo.* 2. Clyſter inteſt. injiciatur. His factis cogitandum *de ſanguinis detractione è venâ cruris aut malleoli*, ſi plethoræ vel mediocris evidentia ſint ſigna, non ſolùm ad meatuum libertatem, quos medicamenta mox uſurpanda decurrere debent, ſed etiam ad momentum addendum motui ipſius calculi, ut omittam alias utilitates, quæ prophylaxin potiùs ſpectant. 3. Venæ ſectio inſtituatur.

Venæ ſectionem commodùm excipiet *lene medicamentum ut caſſia cum rheo, vel manna cum infuſo rhei*, quòd *rheum* præcipuis ſcopis mirificè ſi quod aliud ſatisfacit, ob 4. Corpus per medic. lene expurgetur.

utramque ſcilicet memoratam cauſam, & potiſſimùm ne uſu diureticorum novus humor deductus ad renes augeat molem calculi.

5. Seri defectus ſuppleatur, & calculus deorſum detrudatur.

His peractis ad ea, *quæ ſeri defectum ſupplent, calculumque deorſum detrudere nata ſunt, ſimulque acerbitatem doloris lenire*, veniendum. Quo in genere primas tenent, *juſcula lenientia, ut pulli hordeo infarti, hordeatum, ptiſſana vulgaris cum tantillo vini albi, decocta chamæmeli, ſeminis lini, olea amygdalarum dulcium, de ſemine lini:* quibus tamen prætulerim, *decocta aſparagorum, althea, & ſimilium, ut & ſyrupos de liquiritiâ, violaceum, & ejuſmodi. Lac aſinæ* ferè ab omnibus commendatur; ſed prudenter *Augenius* interdicit uſum lactis, *niſi camelarum*, quia ſcilicet caſeoſa in lacte pars fœcundiſſima eſt calculi materies, ſuccedaneum ergo ejus eximium crediderim eſſe *ſerum lactis cujuſvis generis modò probi, modò exquiſitè depurati, cuique comæ abſynthii aut quid ſimile incoxerint*, idque in magnâ quantitate exhibitum modò ferri poſſit. Sed omnium inſtar erunt *aquæ acidæ* ſi haberi poſſint, & nihil earum uſum vetat, quarum eximia vis in abluendis detergendiſque renibus, & ſimul deturbandis calculis omnis generis experimentis quotidianis confirmatur.

6. Doloris acerbitas leniatur, tam per interna,

Quàm externa.

Atqui non ſine fructu ad hæc *interna remedia* accedent *externa paregorica, fomenta ſcilicet ex decocto herbarum mollientium, parietariâ, meliloto, galitrico, betulâ; tum linimenta ex oleis ſupra dictis & adipibus, quibus paſſim oleum de ſcorpionibus adjungitur, & cataplaſmata ex iiſdem herbis cum oleis, v. g. ex parietariâ frixâ cum adipe ſuillo.*

Imprimis balneum.

Sed principatum tenet *balneum ſeu potiùs ſemicupium & inſeſſus in decocto earundem herbarum ex aquâ addito vino*, cui uni inſeſſui confidi ſemper plurimùm, quippè qui ſcopis omnibus ſupra declaratis potenter ſatisfacit, cujuſque uſum nunquam fruſtrà ſum expertus ſive in me, ſive in aliis, cùm ſaltem de doloris acerbitate aliquid remitteret, & ut plurimùm arenularum excretio ei ſuccederet intra paucas horas. Teſtis eſſet omni exceptione major ſi viveret, *Illuſtriſſimus Arthriticus*, de quo infrà, *qui centies ex*

Obſervatio.

in-

ingreſſu in ſolium aquæ gelidæ fumo & odore carentis levamentum non mediocre percepit, à paralyſi, cujus metus fruſtrà intentabatur, immunis alioqui.

Poſtremò ad excluſionem calculi mirificè confert *exercitatio corporis, & præcipuè equitatio meo quidem experimento tum in me, quippè qui magnam vim calculi rufi ſemper ab equitatione & curru reddo, tum in plurimis;* 7. Corpus commoveatur.

OBS. CIII. *Et nominatim in Nobili Cive & Conſiliario Pontano Deſ. Nicolao, cui antè plures annos de laborioſo enixu calculi apud me conquerenti cùm equitationem ſuaſiſſem, ille aſcendit equum impulitque per præruptos colles urbi vicinos, intraque horulæ ſpatium calculum non mediocris molis mictu reddidit, quod beneficium deinceps pluries ab equitatione alacer firmuſque ſenex accepit.* De calculo poſt equitationem rejecto.

Atque cùm modò dicta remedia ad calculi cujuſvis generis excluſionem plurimùm valere ratio experientiaque ſuadeant, tamen *ad friabile genus præcipuè* pertinere intelligo, ad quod quippè ſola ſufficiunt. Nam *ad cinerei generis calculos præterea requiruntur etiam quæ abſtergere potentiùs, ſecare ſeu incidere, omninóque frangere calculum experientia ratioque comprobavit, quæ ſunt amara omnia, & propè infinita.* Nam acerbitas doloris & contumacia ad multa in dies excogitanda remedia ingenia hominum exacuit, ut in delectu eorum ſæpè laborent medici, & copia faciat inopes. Curatio in genere calculor. duror. poſtulat potenter abſtergentia, incidentia, & calculum frangentia.

Mihi igitur familiaria ſunt in aliis tamen, non in me, qui duntaxat à friabili genere affligor, *oxymel alteratum capillaribus, betonicâ, calamento, polio montano, ciceribus, radice raphani; item ſyrup. acetoſus, ſyrupus de altheâ deſcriptione Fernelii, conſerva betonicæ, pulvis virgæ aureæ;*

OBS. CIV. Cujus vim mirabilem à me primò divulgatam felici ſucceſſu *Nobilis Matrona Clariſſimi viri Doct. Barclei uxor apud Andegavenſes comprobavit in innumeris nephriticis;* tum verò *pulvis lithontribon:* De Curat. Calc. per pulverem virgæ aur.

OBS. CV. *Pulvis namque granorum juniperi ſemper mihi ſuſpectus fuit, quòd ab ejus diuturno uſu urinæ tandem cruentæ emittuntur, ut in Generoſâ Matronâ uxore D. de Nubecourt non ita pridem obſervavi.* De urinâ cruentâ poſt uſum gran. juniperi redditâ.

OBS.

Conti- nens.

OBS. CVI. Non poſſum denique nec debeo tacere, *ſingulare & memorabile experimentum pulveris partim purgantis partim lithontribi in Nobili Viro Clau. Guerino Ampliſſ. Præſide camer. comput. Ducat. Lotharing. & à ſecretis Car. III. Ducis, qui conſilio Clariſſimi Medici Deſiderii Philberti uſus utroque pulvere ſingulis annis fragmenta corticum miræ magnitudinis calculorum veſicâ contentorum cum arenulis eo numero & copiâ reddidit, ut omnem fidem ſuperarent. Certè vidi non unas pyxides iis refertas quæ intra annum bonus ſenex non ſine magno cruciatu, ſed forti generoſoque animo enixus excluſerat. Pulv. ergo laxat. hæc formula fuit. ℞. aniſ. maratri, carvi, cumini ana ʒ. j. corian. præpar. ʒ. ß. liquir. ſemin. bardan. ana ℥. j. ß. cinam. gal. ana ℈. j. ſem. milii ſol. geniſt. ana ℈. j. ß. pulv. diatrag fr. ʒ. ij. diagrid. ℈. j. ſen. orient. ad pond. omn. fiat pulv. doſ. ℥. j. ex juſc. cicer.*

Experimentum ſingulare & memorabile in Calculo veſicæ, à pulvere laxante,

Pulv. alterius lithontr. hæc formula fuit. ℞. ſem. alth. & viol. ana ℈. ß. ſem. mil. ſolis & rad. liquirit. ana ℈. j. lapid. judaici & lap. ſpong ana gr. vj. pulv. oſſ. dactilor. meſpil. ceraſor. ana ℈. ij. ſem. melon. ʒ. iij. fiat pulvis, cujus involut. pane azimo vino alb. madef. doſ. ʒ. j. aſſumenda trib. dieb. interlunii cujuſque & ſuperb. juſcul. cicer. rubr. alteratum rad. alth. fœnic. eryngii, ononid. & petroſel. gran. junip. contuſ. add. vino alb. mell. butyro, ſucc. citri, ſed horum pulv. uſus commodus eſt maximè ad prophylaxin, de quâ mox.

& lithontribo.

Victus ratio.

Nam de victus ratione inſtituendâ dolore urgente non eſt admodum laborandum, hoc tantùm monendum, quòd cibi prorſus liquidi, ſed ſucculenti, & medicamentoſi in uſum venire debent, & ſæpè repetendi ſi vomitus urget, qui à cibo facilitabitur. Nam ratione doloris ſpiritu vitali à ventriculo averſo cibus ſolidus fuſionem obtinere non poteſt; *vidi ſiquidem integrum & minimè liquatum reddi etiam poſt viginti quatuor ab ingeſtione horas ab Illuſtriſſimo Arthritico, de quo infra, quo tempore nephritis Præſulem vexabat.* Itaque *fuſi liquidique omninò cibi conveniunt, qui & citiùs nulloque negotio coquuntur ac diſtribuuntur, & demulcebunt interea dolorem, atque calculi ſimul excluſionem juvabunt*

bunt: Qualitas autem victus ex prophylaxi intelligetur, ad quam jam tempeſtivum eſt accedere.

Prophylaxeos ergò *præcipui ſanè Scopi*, ſi eorum quæ ſupra à nobis dicta ſunt, recordamur, verſari debent *in detrahendâ materiâ calculorum & corrigendâ ſeu tollendâ efficiente cauſâ. Ac Primo quidem Scopo ſatisfiet, ſi ichorum generatio & proventus* (nam ſeparationem impedire minimè eſt in noſtrâ ſitum poteſtate aut prævifione, ſiquidem motus humorum, ebullitio, fervorque tempeſtates aërias & motus ſuperiorum corporum incertis temporibus derepentè contingentes neceſſariò ſequuntur) *ichorum, inquam, proventus impediatur, & geniti à renibus avertantur, aut viam ad eos jam capeſſentes abluantur abſterganturque ſtatim, ne de novo accedentes praexiſtentibus circumponantur*, ut loquitur Hippocrates, *itaque calculi in majorem concreſcant molem non facilè eluctabilem.*

Præſervatio conſiſtit in duobus ſcopis: quorum I. verſatur in materiâ calc. detrahendâ.

περιπλάττονται προυπάρχοντι.

Poſteriori autem Scopo fiet ſatis, ſi & intemperies renum calida corrigatur, & anguſtiæ eorum quantum licet provideatur.

II. In Cauſâ ejus efficiente tollendâ.

Quoniam igitur ichores ſunt excrementitiæ ſanguinis in quadruplici differentiâ exiſtentes partes, ſeu portiones humoris in ſanguinis maſſâ peccantis, certè non aliter impediri poteſt generatio ichorum quàm *eâ victus ratione, quæ ſanguinem reducat ad mediocritatem tum uſu convenientium ciborum, tum earum rerum quibus viſcerum intemperies cauſa efficiens humoris peccantis emendetur*, exempli g. ſi ex cinereo calculi colore ac duritie inſigni ichoris crudi ſanguiniſque pituiteſcentis plus ſatis proventus intelligatur, in eſum venient quidem *cibi euchymi, faciliſque digeſtionis ſed ad calorem inclinantes, ut ſunt carnes avium montanarum, vitatis crudis leguminibus & frigidis humidis, caſeo, lacte, & cæteris craſſioris molis eduliis.*

I. Scopus perficitur 1. In calculo quidem duro tam victu conveniente ad calorem inclinante:

Viſceribus autem calor vitalis afflabitur (per viſcera ventriculum & hepar hîc præcipuè intelligo) *uſu ſcilicet vini ſive generoſi, quale Hiſpanicum, ſive medicati, ut abſynthitis aut aromatici, & uſu pulveris Ducis, aut alterius digeſtivi, uvarumque paſſularum omnis generis*, quibus ſingula-

quàm iis remediis, quæ innatum viſcerum calorem fovent.

ris vis ineſt in fovendo calore innato viſcerum omnium; vitatis interea tum omni animi contentione, tum corporis vehementi exercitatione à paſtu: nam à nullâ aliâ re ſanguis citiùs crudeſcit quàm à ſtudiis intempeſtivis curiſque eo tempore, quo calor vitalis primæ coctioni vacare debet.

In Calculo autem friabili

Contrà verò ſi ex friabili calculo, ſive arenulis conglobatis & malè compactis, atque ex colore ſive flavo, ſive rubro atrove ſanguinis bileſcere vel atrabileſcere, itaque ichoris bilioſi vel atrabilaris prædominium intelligatur (taceo autem cetera ſigna peccantium in unoquoque humorum cujuſvis generis, cum non ſit inſtitutum noſtrum omnia docere) victus ſanè ratio contraria inſtituetur, & in uſum venient *cibi mediocres, ſed ad temperiem frigidam vergentes*, quales ſunt *carnes vitulinæ, & gallinacei generis ac domeſtici, piſcium nobile genus*, (nam ova in omnibus nephriticis vitanda, quippè quæ lithiaſi opportunam omnino & maximè affinem præſtant materiem albumina quidem lapillis duris, vitellina autem pars calculis friabilibus) *olera cichoracea, bugloſſa, borago, fructus horarii, & maximè fraga, pomaque optimæ notæ: vinum oligophorum vel potiùs ptiſſana:* quibus adjungi poſſunt *medicamenta hepar, vel lienem refrigerantia, uti decocta cichorei, ſerum lactis alteratum familiaribus alterutri viſcerum floribus & herbis, tum conſervæ & ſyrupi ejus generis, ut de cichoreo, de pomis ſimplex.*

partim cibis ad frigiditatem vergentibus:

partim medicamentis hepar & lienem refrigerantibus.

2. Purgatio inſtituatur,

Ad quam ſanè victus rationem commodùm accedet *Purgatio ſolemnis*, eaque conveniens humori peccanti, & inſtituenda præſertim eo tempore, quo ichores ſeparari à reliquo ſanguine fuerit antè ab ægro obſervatum, quod ut plurimum evenit vere & autumno circa inſignes tempeſtatum mutationes. Ita enim & faciliùs commodiúſque peccans humor purgabitur jam ſcilicet ſecretus quodammodo à laudabili ſanguinis parte, & ſimul ichores à renibus avertentur. *Purgatio in nephriticis calculo cineraceo laborantibus inſtituetur exhibito melle roſaceo ſolutivo, aut pilulis alephanginis, de hierâ, vel id genus, & exhibitis per aliquot dies*

Alia in Calc. duro:

melle

melle roſaceo ſimplici, ſyrupo abſynthite, de menthâ, cum decoctis hyſſopi, thymi, & id genus ſed in mediocri quantitate, ut ad renes pervenire nequeant ne augeant eorum impuritatem: tum *expreſſo agarici recens trochiſcati infuſi in decocto mox præſcripto, in quo manna vel mel roſaceum, & diaphœnicum, vel diacarthamum, vel electarium de citro fuerit diſſolutum; aut bolo ex iiſdem electariis cum therebinthinâ; vel pilulis de hierâ cum agarico, cocciis, & ſimilibus.*

In laborantibus autem calculo friabili & flavo, aut rubro Purgatio inſtituetur ex flore caſſiæ recens extractæ, vel ſyrupo roſarum ſolutivo ceu minorativo. Cui ſuccedent *alterantia & incidentia ſyrupi de cichoreo, & acetoſus cum pauco admodum decocto agrimonii & cichorei cum toto, capillarium herbarum, & id genus, ſeminum refrigerantium cum floribus cordialibus; quibus decoctis infundetur rheum barbarum cum ſantali citrini granis aliquot, & expreſſo adjicietur diaprunum, aut quid ſimile cum ſyrupo roſacco, aut de cichoreo compoſito cum rheo; vel bolo repurgabitur æger ex caſſiâ, rheo, & pulvere de ſucco roſarum; vel denique pilulis aggregativis, aureis.* Alia in friabili. Additis alterantibus & incidentibus:

Poſtremò in nephriticis & laborantibus calculo friabili, & atro utiliter præſcribentur pro *minorante medicamento maceratum foliorum ſennæ ex ſero lactis, aut electarium lenitivum, vel catholicum, vel ſyrupus de polipodio: pro præparantibus autem decocta bugloſſi, boraginis, fumariæ, lupulorum, thymi, epithymi, paſſularum, cum ſyrupo de pomis, biſantino, & pro purgante electivè infuſum rhei in iiſdem decoctis, aut macerato prunorum, in quo confectio hamech fuerit diſſoluta, & ſyrupus aliquis ex prædictis; vel bolus ex iiſdem confectionibus catholico ſcilicet, & confectione hamech; vel pilulæ de fumariâ.* Atque medic. minorante, & præparantib.

Ex iis decoctis & medicamentis purgantibus paſſim *ſyrupi magiſtrales parantur, ſervanturque in annum,* ſalubriores tamen minúſque cariores iis qui habitant urbes potiones in diem, & opportunitate jubente paratæ. Nam ut ingenuè fatear, *ut victus quò ſimplicior, eò gratior & ſalubrior, ita meâ quidem ſententiâ de medicinis judicandum*, ut ſupervacaneus ſit eorum labor, qui ex omni genere herbarum ſi- Ex hiſce ſyrupi magiſtrales parantur. (Animadverſio.)

ve obviarum, ſive exoticarum, ſive tempeſtivarum, ſive ſecus medicamenta ejuſmodi præſcribunt magis venditandi oſtentandique induſtriæ ſpecimen aliquod, aut aromatariis gratificandi, quàm benè de ægris merendi gratiâ. Quæ enim ex commixtione tot & tam pugnantium medicamentorum temperies, ſubſtantiæ modus, ſapor, & qualitates id genus ſint emerſuræ, ſubducere & certò conjicere præceps & infirmum in juvenibus pleriſque judicium haud quaquam facilè poteſt, ut longè utilius ſit traditis nobis ab antiquitate medicamentis purgantibus ſummâ ratione ſubductis & probatis rem agere.

Quoniam autem ichorum proventus & ſpontanea eorum ſecretio à reliquo ſanguine omnino cum plenitudine conjuncta eſt, aut etiam ab ea unâ pendet ſæpè, nec in cauſam externam refundi poteſt (nam certum eſt ſanguinem in vaſis redundantem & quodammodo incuneatum ac diſflatione & libero commeatu deſtitutum lentæ putredini omnino obnoxium eſſe) generatio certè ichorum averſioque à renibus utroque nomine *Sanguinis detractionem* exigere videtur, quippè quæ plenitudinem levat, & fervorem coërcet, & in eâ quantitate, quæ plethoræ ejus reſpondeat, quanquam ſanguinis crudi parcior eſſe debet.

3. Sanguis per V.S. detrahatur.

Quia autem quotieſcumque duorum ſolemnium remediorum phlebotomiæ ſcilicet, & purgationis neceſſarius incidit uſus, à phlebotomiâ multis de cauſis brevitatis cauſâ hîc prætermiſſis, & ita jubente Galeno eſt auſpicandum, phlebotomia certè prævertet uſum præparantium medicamentorum & electivè purgantium: ſalubriter tamen minoranti medicamento ſuccedet, ne prima regio ſaburram & impuritatem ſubminiſtret venis exinanitis.

Præmiſſo minorante medicamento.

Quoniam poſtremò duo ſunt ſanguinis fontes *hepar & lien*, *baſilica alterutri viſceri ichores ſubminiſtranti reſpondens ſecabitur*, prout color calculi inſinuaverit hoc vel illud viſcus ſuâ diſcraſiâ ichorum proventum generare. Nam in calculo cinereo laborantibus, aut friabili ſed flavo plerumque hepar primò accuſari debet, ceu parens materiæ calculi illius generis: contrà in calculo atro rubrove impensè

In baſilicâ jam brachii dextri, jam ſiniſtri.

lien

lien potiùs crimen nephritidis ſuſtinet. Quod confirmabit ſitus nephritidis alterutri hypochondrio reſpondentis, & cumulus reliquorum ſignorum intemperiem cujuſque viſceris ſeorſim demonſtrantium.

Poſtremò cùm præſcripta victus ratio toto vitæ tempore ſit accuratè tenenda, purgatio tamen ſolemnis Vere & Autumno utiliter in uſum veniet, ſemel quidem medio tempore utroque in iis qui retinentes ſunt diætæ accuratæ, ſed bis ineunte ſcilicet & jam præcipiti ſive Vere, ſive Autumno in aliis, qui ſuſque deque, neque ex legibus præſcriptis vivunt: imò utile eſt iis circa novilunia cujuſque lunæ ſaltem minorans medicamentum exhibere eluendæ ſcilicet impuritatis à liberiore vitâ neceſſariò ſuccreſcentis gratiâ.

Purgatio ſolemnis, & minorans medicamentum quo tempore in uſum veniunt.

Ichorum igitur ſynathriſmo hiſce artibus coërcito, motuque ad renes eorum ſimul revocato in alvum, quid aliud reſtat ad calculi materiam avertendam, niſi ut qui ichores jam renes invaſêre, abluantur confeſtim, abſterganturque à renibus, & excludantur extra corpus, ut exſiccatio induratioque eorum in calculum impediatur. Hoc ſanè conſequemur facilè uſu *diureticorum ſed lenientium, & ichores abluentium*. Itaque hîc uſurpanda *juſcula lenientia, ſyrupi de liquiritiâ, capilli veneris, conſerva betonicæ, & quæ ad excluſionem calculi friabilis antè commendata, & inprimis exercitatio corporis quocumque modo exculta*, quæ ſi quid aliud in renibus expurgandis magnum momentum habet juxtà vulgarem illam parœmiam: *allez en la Beauce & prenez une Pie à la courſe, & vous n'aurez jamais la pierre.*

4. Diuretica adhibeantur.

Atqui ut ad *Alterum Scopum Præcautionis* veniamus, *in corrigendâ renum intemperie ſeu cauſâ efficiente ſitum*, ejus certè providentia magna haberi debet: incredibile enim dictu eſt quàm brevi ſaburra ichorum viſcidorum & craſſiuſculorum ſi anguſtiam renum non illico ſuperet, ſed cunctetur, in lapillos concreſcat ab hujuſmodi intemperie exſiccatâ & humiditate exhauſtâ. Certè aut me experientia fallit, aut unus dies naturalis eam concretionem adferre poteſt;

II. Præſervat. ſcopus in corrigendâ cauſâ efficiente conſiſtens.

De calculis per dies aliquot continuos excretis:

OBS. CVII. *Nam in Sereniſſimo Principe* CAROLO III. *Clementiſſimo Domino obſervavi, cùm fortè à lapillo majore alter ex ureteribus eſſet obſtructus, ac quinque ſupra viginti dies in eo enitendo Vir Magnanimus fruſtrà laboraſſet, totidem lapillos eo enixûs tempore fuiſſe concretos, & excluſo illo priùs genito & cæterorum obice ſimul & ſemel conſequenter intra diem reliquos excluſos, ſed ita ut ultimi excluſi prioribus ſubinde magnitudine cederent, quæ differentia ſatis indicavit ſingulis diebus unum concreviſſe lapillum, ſed auxiſſe quoque omnes per additamentum quotidie factum.*

Priori ſimilis.

OBS. CVIII. *Pariter memini in Joanne Molineo Præfecto cellæ vinariæ Illuſtriſſ. Cardinalis à Lotharingia* CAROLI II. *eundem propè eventum: ſcilicet cùm tabidus ab abſceſſu coxæ iſchiadis per ſex menſes continuos lecto accubuiſſet, tantam intemperiem renum à diuturno illo decubitu is contraxit, ut duos ante obitum menſes ſingulis diebus lapillum unum redderet, eumque non mediocris magnitudinis.*

indicat 1. Victum convenientem.

Itaque ſedulò videndum ut renum æſtus temperetur omni arte, ſed *victus inprimis ratione modicè frigidâ*, quam deſcripſimus ſupra in excluſione calculi friabilis, nec neceſſe eſt denuo inculcare, niſi quòd monendum iterum vini generoſi uſu præ cæteris maximè foveri temperiem renum, ſimiliterque decubitu diuturno ſuper dorſum, & in ſtragulis plumeis, maximéque ſomno longiore inito; nam in ejuſmodi decubitu & producto ſomno calor vitalis univerſus ad renes influit peractâ ſcilicet coctione primâ, nec renes deſerit, ut tentigo partium genitalium matutinis horis nobis invitis obrepens ſatis inſinuat, niſi ſomno excuſſo protinus.

2. Alvum laxantia.

Neque verò ſolùm calor renum ab his augeſcit cauſis externis, ſed etiam ab alvo fecibus induratis ſcatente; *quò ſanè contraria dictis victus ratio inſtituenda, & alvus in officio continenda maximè; undè præter prunorum & aliorum fructuum horariorum uſum primâ menſâ, juſculorumque lenientium, & ejuſmodi antè commendatum, non improbo butyri uſum quotidianum modò non ſolitarii, ut perperam ſit à vulgo, ſed potius in juſculis*, ne ſcilicet conſiſtentiâ ſuâ & morâ

morâ in ventriculo diuturnâ laxet plus ſatis & effœminet ventriculi tonum amplexando alioqui cibo neceſſarium: cui ſuccedaneus erit *uſus ptiſſanæ ſaccaro communi, vel etiam candido conditæ;* hæc certè poteſt pleriſque ſcopis prædictis mirificè ſatisfacere, ut non ſatis eam laudare liceat.

De *anguſtiâ autem viarum urinæ corrigendâ* nihil neceſſe eſt plura dicere, cùm *uſus lenientium, & in primis butyri, atque balneorum ei mederi ſi quid aliud poſſit.* 3. Anguſtiam viarum urinæ corrigentia.

OBS. CIX. *Memini equidem Ampliſſimum & Ornatiſſimum virum D. de Gatinois beneficio unius ferè butyri ſive ſeorſim, ſive cum juſculis liberaliter aſſumpti tandem duos inſignes ſaxeos calculos quadrageſimo die à perfectâ iſchuriâ laxatis ureteribus excluſiſſe, fatique immaturi vim effregiſſe.* De Calc. beneficio butyri excluſ.

Atque hæc plus ſatis *de calculi curatione & præcautione, ſi modò ſatis dici poteſt & mederi ei dolori, quo vel mors ipſa optabilior eſt, vel parturientis dolores minùs pertimeſcendi, ſi experimentis credendum puerperarum, quæ enixus decem liberorum dolores, quàm unius calculi malle ſe ſuſtinere perferreque ſanctè ultróque jurarunt apud me.*

Cæterùm antequam ulteriùs pergam, *coronidis* loco *memorabile exemplum concurſus doloris cùm colici tum nephritici in uno eodemque ſubjecto hîc addere juverit*, quod mihi in memoriam ſubiit opportunè cùm fortè præſentis tractatus ſub prælo eſſet extrema pagina. De doloribus colicis cum nephriticis in eodem ſubjecto concurrentibus.

OBS. CX. *Generoſiſſimus igitur & Prudentiſſimus Eques è Familiâ Hunolſtein Dominus in Chaſteau-Vove, Anno circiter tertio ſupra milleſimum ſexcenteſimum graviſſimo totius abdominis & alioqui vago incertoque dolore tenebatur mediâ hyeme. Ejus leniendi gratiâ cum ego è Ponte, & Clariſſimus alter Medicus unus ex Archiatris Nancæo acciti eâdem die conveniſſimus, & ſeorſim quæ ad cauſam affectus detegendam facere videbantur, multa ſedulò de doloris ingenio inquiſiviſſemus, atque poſtea in commune contuliſſemus, evenit ut diverſa de cauſâ doloris continente à nobis proferretur ſententia, cùm ille doloris cauſam multam in meſereo latentem ſed variè agitatam accuſaret impuritatem, ego contra obtenderem dolorem revera nephriticum eſſe à commoto fruſtráque quærente exitum lapillo*

in

in ureteribus pertinaciter hærente: ſcilicet certis & evidentibus inductus argumentis iiſque à doloris conditione, & reliquis affectibus, qui nephritidi ſolent aſſidere, & potiſſimùm petitis à præjudicatâ ſententiâ graviſſimorum medicorum, cum quibus ſuper eodem affectu non ita pridem mecum fuerat inſtituta conſultatio. Hoc diſſiduum & pugna ultrò citróque inter nos totum octiduum pugnata fuit: ſed cùm Nobiliſſimum ægrum diſerti viri oratione ad ſuam converſum opinionem animadverterem, tum pro more meo tempori cedendum mihi putavi, quippe qui ab omnibus rixis longè alienus à naturâ & pertinaciore omni contentione averſus modeſtiam ſemper pluris fecerim, quàm vel nominis proprii gloriam & magnam apud ægros auctoritatem. Sed commodùm ceſſit, ut Nobiliſſimus Vir elangueſcente & remittente dolore præfectus comitatui Illuſtriſſimi Comitis Palatini Sedanum properantis, dum fortè in reditu carruca, quâ vehebatur, duriùs impingeret ad arboris ſtipitem, ſuccuſſato vehementer corpore calculum non mediocrem mihi Mediciſque Sedanenſibus à ſe conſultis præſignificatum excuſſerit è renibus, mictuque ſtatim reddiderit.

Quanquam autem eventus ſatis ſuperque meam confirmarit ſententiam, nihilominus Clariſſimum Collegam non temerè à me diſſenſiſſe jam ſtatuo, quia revera, ſi benè ſentio, ambo affectus ſcilicet nephriticus & qui pro colico paſſim habetur ſimul concurrêre & Equitem afflixêre, tametſi tunc temporis unum nephriticum pertenderem. Hujus ſanè certiſſimum teſtimirium extitit lapillus non ita poſt excretus ut dictum eſt: ſed colici quoque doloris concurſus, cujus tamen cauſa non eſſet famoſa illa ſed vana meo quidem judicio meſerei impuritas, verùm ſeroſa potiùs in capite colluvies univerſum abdomen per contractionem nervorum ſexti ſeptimive parium divellens, hoc unicum habeo & infallibile argumentum, quòd inſultus epileptici ex intervallis circaque inſignes temporum mutationes Nobiliſſimum Virum exercerent, ſeſeque comites, aut potiùs duces convulſivis illis ventris inferioris doloribus adjungerent, & præſertim quòd eorum inſultuum epilepticorum vehementiâ vix decurſu exactoque eodem anno Egregius Vir deſubitò ſtrangulatus vitam cum morte commutarit.

Enim-

Enimverò hic diverſorum dolorum concurſus minimè profectò mirus videri debet reputantibus ſive facilem & pronam eluvionem ſeroſi humoris vaſis in magnis ebullientis effervefcentiſque partim ſurſum ad caput, partim tranſverſim & ad latera in renes, ſive diluviem ſeroſi humoris è capite in eoſdem largiter depluentis ſecumque magno impetu deturbantis arenoſam ſaburram, aut lapillos, ſive variam ureterum contractionem & concuſſionem illatam à convulſione nervorum aut membranoſi generis importatâ à ſeroſâ colluvie in poſtico cerebro fervente: hæc namque concuſſio diſtractioque ureterum ab internâ cauſâ profecta haud dubiè commovere poteſt ſaburram arenoſam in illis cunctantem, ſi modò meminimus concuſſionem corporis ab externâ cauſâ ut vomitu, aut corporis ſuccuſſatione à verendo ad ſaxum aut arboris truncum duriter impingente, vel etiam equitatione laborioſâ quandoque calculos è renibus excuti extrudique.

OBS. CXI. *Nam memini etiam Sereniſſimum Ducem & Clementiſſimum Dominum Carolum tertium in reditu è Barroduce dum in carrucâ ad truncum arboris allidente ſuccutitur ſtatim excluſiſſe calculum, in quo enitendo pluſculos dies antè fruſtrà inſudaverat.* De excluſ. calc. poſt ſuccuſſionem corporis fortuitam.

CAPUT III.

De Hydrope aſcite.

OBS. CXII. Utinam & cauſæ notitia, atque modi, quo ſynatriſmus aquæ in hydrope aſcite fit, & ratio curationis ejus tam faciles inquiſitu eſſent, quàm obvia & ſenſibilis ipſius affectus ſeu tumoris idæa: *nam & tumor viſu tactuque ſeſe ſatis ſuperque prodit, & verò adeò frequens eſt hic affectus, ut ſupervacanea ſit illius particularis deſcriptio & hiſtoria, & alioqui tam dirus & funeſtus, ut longè plura ab ejus malignitate quàm aliûs affectûs, miſta ſenùm ac juvenum*, ut loquitur Poëta, *denſentur funera.* Hydrops qualis affectus.

Quanquam igitur, ut primùm inquiramus cauſas colle-

ctionis aquæ in abdominis cavitate præter naturam, quæ illud in tumorem gravem attollit, & incommodum valdè multis nominibus, ſed præſertim ob adjunctam in ſpirando difficultatem, *à Galeno refunditur aſcites omnino in αἱματώσεως noxam ſive fruſtrationem ſanguificationis, conſequentem inſignem facultatis αἱματοποιητικῆς in hepate imbecillitatem, per intemperiem frigidam eamque ſummam, quæ opinio ab omnibus Scholis hucuſque ſummâ cum approbatione atque unanimi Medicorum conſenſu recepta eſt*, *tamen ea ut ingenuè fatear, mihi attentiùs in humoris continentis cauſæ aſcitis ideam intuenti nunquam ſatisfacere potuit, ſed alias eſſe ejus cauſas à generatione aquæ loco ſanguinis laudabilis ſymptomaticâ, & intemperiem hepatis frigidam conſequente diverſas ex hac ſequenti ratiocinatione (aut valdè fallor) intelligere eſt.*

Ejus cauſa continens eſt Aqua.

Inprimis enim *Aquam in hydrope legitimo aſcite dicto collectam, & tumoris continentem cauſam tam certum eſt*, quàm quod certiſſimum partem eſſe ſeri chyli & ſanguinis vehiculi, ut qui de eâ re dubitet, is ſenſu egere videatur: hoc enim ſimilitudo ſubſtantiæ, imo identitas evidenter docet; & urina ut plurimùm pauca nec quantitati potus reſpondens confirmat. Deinde quia ſeri conceptacula ſeu vaſa à naturâ inſtituta ſunt venæ & arteriæ, in quæ vaſa id cum chylo & ſanguine ex potu & cibo genitis è viſceribus illabitur, neceſſe eſt ſerum abdominis in cavitatem veniſſe defluxiſſeque è vaſis, quæ decurrunt aut ſedem habent inſeruntur que membris ventre inferiore concluſis, ſiquidem hic venter membranis undequaque denſis ſepitur, & circumcingitur quas aqua non facilè præterfluit. Quia ergo omnis motus, ut conſtat ex phyſicis, vel eſt ab interno principio ſive à naturâ, vel ab externo, qui duplex eſt tractio ſcilicet, & pulſus; atque in abdominis cavitate nihil quod ſerum ad ſe trahat è vaſis exugatque reperire eſt, in eam certè cavitatem ſerum ſponte ſuâ è vaſis defluit, aut motu pulſus conceptaculis ſuis expreſſum extruſumque decidit, & quocunque modo deſcendit, vel per diapedeſin ex occultis tunicarum poris deſudavit, vel per anaſtomoſin ex apertis oſcillis vaſorum defluxit, nam eroſionis ſeu ruptionis

nis vaſorum nullæ cauſæ, nullaque indicia.

Ac quanquam vaſa ſolitariè per ventres inſignes corporis decurrentia membranâ veſtiuntur externâ quâdam, tamen ſerum, tenuiſſimum quippè & morâ ac calore magis attenuatum, quoties ſcilicet ſuppreſſum reſtitare in iis contingit, per utramque tunicam percolari fortè non eſt improbabile, cùm omnia ſint in corpore perſpirabilia, naturaque ſibi vias quanquam occultas facilè reperiat, ſaltem per tunicam communem reſudare poſſe facilis eſt ratio, ſi illud inter tunicam propriam & communem illapſum ſit, ut ſanè non difficile eſt, ſi demus ex oſculis vaſorum, quibus viſcera pertexuntur, per anaſtomoſin ſive in rimas viſcerum retorridorum, ſive in poros eorundem defluere, & inde ſenſim dilabi ſecundùm membranas viſcerum, quod fieri poſſe docent veſiculæ ſeu hydatides dictæ, aquâ ſcilicet prægnantes inæqualiter è rimis in membranam externam effuſa.

E venis, & arteriis in abdomen, inter tunicam propriam & communem;

Nam eadem aqua facilè gliſcere poteſt ex illo interſtitio inter parenchyma & membranam interjecto in ſpatium interjectum inter membranam propriam vaſorum ſtipitum magnorum, & externam, quam aſſumunt ubi primùm exoriuntur è viſcerum ipſorum membranâ; *itaque facilis ratio eſt & evidens decurſus aquæ inter membranam duplicem vaſorum, & facilis quoque aquæ fluxus per communem membranam vaſorum omnium, quippe tenuem & perſpirabilem: quâ ratione non ſolùm ex venis, ſed ex arteriis quoque ſerum aſcitis fomes venire poteſt.*

Nam *per diapedeſin* ex arteriarum cavo ſerum ut defluere poſſit, obſtat tunicæ propriæ craſſities ſextuplò major quàm venæ, præterquàm quòd interior membranula & tertia id vetet quoque, ſiquidem ſecundùm naturam ſanguinem ita continet ut is minimè exudet in cavum, quod patet arteriâ dilatatâ, & ſpiritus vitalis eſt proprium conceptaculum, ſi modò verum eſt quod quidam ſcripſerunt, arteriam ex duabus propriis membranis conſtare. Nam diapedeſin non convincit ſolutio aſcitis ſeu imminutio quæ conſequitur uſum medicamentorum ſudorificorum & ex-

Per diapedeſin minùs.

ternorum calefacientium, ſiquidem potiùs per extrema orificia quàm per poros medii corporis exudat humor ceu vapor aqueus.

Per anaſtomoſin magis illapſæ:

Per anaſtomoſin autem omnium vaſorum cujuſcumque generis, & præſertim arteriarum (ſeri enim copia in iis longè major reſidet) *ſeroſum humorem in capacitatem abdominis venire poſſe ratio ſatis evidens eſt & quanquam diapedeſin non admittamus, tamen per anaſtomoſin ea copia qua abdomini attollendo par ſit deponi haud dubium eſſe poteſt, cùm innumera vaſa deſinant & terminentur in membranis meſerei, epiploi, & glandularum per eas diſperſarum.* [α] *Hippocrates* ſanè in Aphoriſmis inſinuare non obſcurè videtur ex hepate aquam poſſe decurrere ſecundùm membranas in omentum, in quo porta ipſa recipitur, & indè in ventris capacitatem, ruptis ſcilicet (ut volunt interpretes) veſiculis aquâ prægnantibus, quæ quandoque in hepate reperiuntur.

Et quidem frequentiùs pulſu atque deſubitò,

Sive igitur per diapedeſin, ſive per anaſtomoſin ſerum in abdomen veniat, *certè pulſu aut ſponte diffluit, & fortè frequentiùs pulſu, quia ferè deſubitò & confertim univerſum abdomen ſolet intumeſcere;* qui tumor ſubitus arguere videtur motum naturæ ſeu pulſum & apertionem oſculorum vaſorum quàm ſpontaneam ſeri exudationem, aut exitum; & confirmatur quia motu ſeu pulſu & compreſſione vaſorum ſæpe diarrheæ aquoſæ contingunt, per quas plures aquæ libræ vel uno die extra corpus dejiciuntur.

Atqui quocumque modo ſerum exiliat intra abdomen, copiam ejus ſeu plenitudinem defluvio occaſionem dare neceſſe eſt. Nam quia ſerum aſcitis materia leni & ſuavi eſt à naturâ affectum qualitate, & non niſi paucâ admodum aſperſum bile, ut ſatis color ejus aquæ puræ putæ germanus indicat, certè ad irritandum qualitate minimè aptum eſt, ex quo reſtat, *ut potiùs quantitate naturam gravet, & ad ejus pulſum tanquam oneris ſuperflui eandem ſollicitet.*

Copiâ naturam gravante.

Præ-

α Lib. Aph. 7. Aph. 55. Ὁκόσοισιν ἂν τὸ ἧπαρ ὕδατος πλησθὲν ἐς τὸ ἐπίπλοον ῥαγῇ, τουτέοισιν ἡ κοιλίη ὕδατος ἐμπιπλᾶται, καὶ ἀποθνήσκουσιν. Quibus Hepar aquâ repletum ad omentum eruperit, his venter aquâ impletur, & moriuntur.

Præterea ſerum ſpontè exudare atque è vaſis exſilire niſi priùs attenuatum à majore calore non poteſt, vel certè incuneatum & majore quàm par ſit aggeſtum copiâ adeò ut cùm propriis conceptaculis facilè contineri nequeat quodammodo quærere cogatur exitum: rarefieri porrò & incaleſcere quia plùs ſatis ſibi inculcatur ſi aſſeveremus, haud à rectâ ratione aberrabimus. *Itaque ſerum è vaſis diffluit ſive potiùs per anaſtomoſin, quia in iis ſuperfluit, ac redundat præter naturam.*

Quoniam verò ſeroſi humoris materies eſt potus alimentaque humida, qui potus in dies à nobis ingeritur, atque à ventriculo continenter in univerſum corpus diſtribuitur, pariterque vacuatur continuò partim per renes (urina ſive οὖρον tum dicitur, non amplius ὀῤῥὸς) partim per corporis habitum ſive ſub inſenſilis vaporis formâ, ſive ſub ſudoris, redundantiæ ſanè ſeroſi humoris in vaſis *cauſa eſt aut largior aquæ ingeſtio, & potulentorum, quæ ſunt aquæ genera, vel etiam ciborum humidorum; aut alterutra ex prædictis ſuppreſſa evacuatio vel utraque; aut ambæ hæ cauſæ conjunctæ.* Seroſi humoris redundantiæ cauſæ exiſtunt, ſive ſeorſim, ſive conjunctim: 1. Largior aquæ, & potulent. ingeſtio. 2. Seri per renes expurgatio ſuppreſſa.

OBS. CXIII. *Memini ſanè quemdam olim adoleſcentem in oppido D. Nicolai ad portum habitantem, quòd in febre tertianâ intemperantiùs bibiſſet aquam, ſub ejus declinationem in aſcitem incidiſſe; ſed illum unius tabellæ diacarthami uſu, aquâ in abdomine antè reſtitante per alvum affatim redditâ, ſive brevi reſtitutum ad lanificium rediiſſe.* De hydrope è nimio aquæ potu:

OBS. CXIV. *Pridie Kalendas Anni decimi ſeptimi ſupra milleſ. ſexcenteſimum ad me venit paganus ex vico Villeſé, cum ſeſquipedali abdomine, in quem oculos mihi conjicienti ſtatim recordatio ſubit valetudinis ejuſdem antè triennium declaratæ, ac cùm interroganti à quo tempore recurriſſet affectus, reſpondiſſet à meſſis ultimæ tempore tumorem qui ſenſim ſubſederat repetiiſſe affatim. Ergo ab aquæ (inquam) intemperantiore uſu iterum immaniter extumuit venter: tum ille ultrò faſſus eſt ſe, quòd toto meſſis tempore in decumarum diſtributione vehementer æſtuaſſet ab immodico potu aquæ ſibi temperare non potuiſſe, atque ita denuò coactum meam implorare opem & conſilium.* Præced. ſimil.

 Age

Age autem cùm alterutra illa vacuatio ſeri naturæ familiaris, & ſuppreſſa hydropi materiam conferre poſſit, tamen quoniam ejus portio ad habitum corporis mandatur, ſi quando minimè evacuatur per cutem, illa ut plurimùm introrſum ſive vi naturæ depulſa, ſive ambientis frigore expreſſa iter neceſſariò in interiora vaſa relegit, tandemque per renes cum reliquo ſero expurgatur, *quiſquis aſcites ſequitur ſuppreſſionem ſeroſi humoris, is in unam expurgationem per renes fieri ſolitam deficientem & ſuppreſſam regeri debet.*

Atqui quoniam renes non expurgant ſerum niſi id à meſaraicis, gaſtricisque, & epiploicis vaſis priùs in viſcera pervenerit, & ex his per emulgentes tandem in renes diſtribuatur, *ſeri ſuppreſſio circa renes fit, aut quia minimè ſerum ex officinâ primâ diſtribuitur in ſecunda viſcera* (hepar & lienem intelligo) *ſed in meſaraicis reſtitat gaſtriciſve & epiploicis, aut certè portis radicibuſque earum, & convexa viſcerum non pervadit; aut quia tranſgreſſis decurſiſque viſceribus hæret in ſtipitibus cavæ ſive venæ, ſive arteriæ ſplenicæ, & hinc inde tam in radicibus eorundem vaſorum, quàm in ramis emulgentibus & per corpus renum diſperſis, ibique ſubſiſtens renes evadere, aut certè ureteres & veſicam pro naturæ inſtituto non poteſt.*

Suppreſſionis ſeri circa renes cauſæ.

Quò ſanè fit, ut aqua quæcumque aſcitem fovet neceſſariò defluat vel ex alterutrâ portâ aut utrâque, & radicibus earumdem per viſcera diſperſis, certè è ramis earundem per ventrem propagatis atque ventriculo, inteſtinis, ac glandulis implantatis; vel ex alterutrâ cavâ (venam cavam & arteriam ſplenicam intelligo quæ à liene exorta & inſerta aortæ diſtributionem ſanguinis tenuis in liene geniti complet) *itaque hydrops fit ex ſeri ſeu aquæ duplici è vaſorum genere diverſo depluentis, & à naturâ vel ſpontè depoſita ratione copiæ ſcilicet & plenitudinis ſuperfluæ.*

Quoniam autem diſtributionis ſeri per portam quidem duplicem radiceſque, & ramos utriuſque duo ſunt diverſa principia hepar ſcilicet, & lien, & pariter ejuſdem diadoſews per vaſa cava atque radices & utriuſque ramos principia ſunt duo renes, quibus in deducendo expurgandoque

extra

extra corpus ſero ſuccedaneam præbent operam ureteres & veſica, atque univerſæ hæ partes eam diſtributionem perficiunt potiſſimùm motu tractionis, atque hanc tractionem complent tum demum, cùm uſus indigentiæ viget (ſerum namque non ſpontè per vaſa decurrit, ſed coaleſcens confuſumque ſanguini per vaſorum anguſtias & anfractus commeat & perfluit, quia ſanguis à viſceribus prædictis trahitur & per neceſſariam concomitantiam ſerum unà quoque ei ſcilicet confuſum immixtumque; trahitur autem ſanguis à viſceribus quia ipſe porrò habitus ab iiſdem trahit, utpotè à quo inanitio primùm exhauſtuſque incipit ſubſtantiæ noſtræ, quæ alimento proinde indiget) complent, inquam, ſive habitus ſive viſcera tractionem ſeri tum demum cùm uſus indigentiæ alimenti urget, & præcipuè in corporis habitu; complent autem partim temperie in mediocri quodam calore conſiſtente tanquam inſtrumento præcipuo; partim adjuvante conformatione in meatuum præſertim, quos ſerum & ſanguis percurrunt hinc inde, libertate poſitâ, *efficitur profectò ſuppreſſæ diſtributionis ſeri ſive redundantia præter naturam ejuſdem in prædictis vaſis utriuſque generis regeri oportere vel in uſum tractionis ablatum, ſeu defectum indigentiæ ſive in habitu, ſive in viſceribus, vel in imbecillitatem caloris trahentis, vel in meatuum ſive viarum anguſtiam cujuſcumque ſpeciei, quæ anguſtia neceſſario tandem etiam adjungitur ad caloris minimè trahentis defectum, ob neceſſariam illam ſeri cum ſanguine, ſive chylo ſemi-ſanguine permixtionem.*

Serum per renes non excernitur.
I. ob uſum tractionis ſeri in toto ſeu in viſceribus ablatum.
II. Caloris trahentis imbecillitatem.
III. Meatuum anguſtiam.

Nam ſive ſerum præ tenuitate à reliquo ſanguine ſecretum ex ſe diffluit è vaſis, ſive à naturâ tanquam onus inutile deponatur percolaturque è vaſis, terrena in ſanguine portio relicta neceſſariò meatibus inhæret, immoraturque, & ita obſtructionem infert.

Quod igitur attinet ad *tractionem ablatam per uſum indigentiæ ſive in toto, ſive in viſceribus ceſſantem*, ob quam vis trahens feriatur, ejus ſanè cauſa eſt *plenitudo ſeu plethora ſive univerſalis in toto, ſive particularis circa viſcera*; & utriuſque cùm variæ ſint cauſæ, *frequentiſſimæ tamen ſunt*, &

Quo ad I. Uſus tractionis ceſſat: Ob plethoram vel univerſalem, vel particu-

Materem circa viſcera;

& potentiſſimæ, menſtrua purgatio, & hæmorrhoidum fluxus ſolemnis ſuppreſſa.

Nam quæ ab aliis fit cauſis, ut otio cum pleniore victu conjuncto, vel membri alicujus mutilatione, quia in plethorâ ab his cauſis & ſanguis craſſus minimúmque ſeroſus eſt, & cum eâ conjunctum eſt virium robur, illa certè plenitudo aut à naturâ fere deponitur ſive per hæmorrhagiam, ſive cruentum alvi profluvium; aut ſi diutiùs ſanguis hæret ratione multitudinis incuneatus & ventilatione prohibitus brevi putreſcit, vel inflammatur; itaque febris, aut alius prævertit affectus ſeri effluxum è vaſis, proindéque hydrops non facilè conſequitur & frequenter.

Cujus cauſa, menſtrua & hæmorrhoidalis purgatio coërcita.

Ex adverſo autem dum à *purgatione menſtruâ aut hæmorrhoidali coërcitâ* ſanguis in toto redundat, vel etiam in viſcera ſeu fontes, unde primùm dimanavit, recurrit ſponte ſuâ, aut aliâ quâcumque ex cauſâ, quia in menſtruâ purgatione cohibitâ ſanguis ferè eſt crudus multoque ſero dilutus, ſimiliterque in hæmorrhoidibus ſuppreſſis ſanguis calidus & plurimo ſero affuſus, inde ſuppreſſam utramque vacuationem crebro excipit hydrops, quòd ſerum plurimum in iis redundans & incaleſcens ob infarctum à reliquo ſanguine ſpontè ſeparatur; & ſecretum per ſe exudat in inanitatem abdominis. *Quò ſanè hydrops, qui fit ſanguine reſtitante in viſceribus ob ceſſantem tractionem vaſorum per ablatum indigentiæ uſum ſequitur ferè eam ſanguinis plenitudinem, quam ſuppreſſa infert menſtrua purgatio mulieribus familiaris, aut hæmorrhoidalis utrique ſolemnis ſexui, aut utraque etiam; nam & mulieres hæmorrhoidalem fluxum quædam patiuntur.*

Ac quanquam venarum in corporis habitu tractio non ſolùm propter defectum uſus indigentiæ, id eſt, copiam ſanguinis intercipi poſſit, ſed etiam propter alias cauſas aboleatur, ut caloris nativi languorem, tamen quia calor in habitu non elangueſcit niſi ſimul cum calore viſcerum & priùs, ſiquidem externæ partes à calore internarum potiùs quàm contrà foventur, atque utrobique ab iiſdem atteritur cauſis, remediaque eadem utrique conferunt; viarum

rum autem in toto habitu anguſtia tanta eſſe nequit, ut tractionem alimenti tollat quin priùs febres, aut ſimiles affectus hydropis generationem prævertant; quamobrem tractionis in toto ſublatæ cauſæ reſolvuntur in cauſas à quibus tractio viſcerum aboletur; ſcilicet proprii caloris languorem, & viarum anguſtiam.

Quod igitur ad *Caloris imminutionem* attinet, quoniam innatus viſcerum calor partim humido primigenio continetur, partim continuo affluxu caloris è corde influentis viget & veget, certè calor inſitus viſcerum elangueſcit, *non ſolùm contrariâ alteratione, hoc eſt, inſigni refrigeratione, ſed quia humido primigenio ceu fundamento quâcumque ratione deſtituitur, & verò caloris influentis è corde affluxu defraudatur.*

Quoad II. Calor imminuitur.

1. Contrariâ alteratione,

Inſitum certè partium calidum ſuffocari multitudine non crediderim, etſi influens calor poteſt: nam potentia tantum ineſt, ſed actuatur ab influxu vitalis è corde, quem influxum plethora intercipit, & quamvis multitudine obrui fateamur, dum tumor aliquis conjungitur, anguſtia certè una quoque conjungitur, de quâ mox.

Itaque *quæcumque inſigniter viſcera refrigerant*, ea hydropem tandem invehunt per caloris proprii extinctionem. *Sic ab uſu opiatorum, cereviſiæ, pomatii, piratii, ab aſſiduo & diuturno aquæ potu ac liberali hydrops importatur*, ut experientia docet præſertim in iis provinciis, quæ loco vini liquoribus iis impensè frigidis liberaliùs utuntur, utpote palato non ingratis, cùm aquâ purâ nulla natio tam intemperanter utatur.

Seu inſigni refrigeratione.

Jam *humidum exhauriunt primigenium viſcerum*, quæcumque vehementer confertimque exſiccant, quæ calorem ſanè actualem atque eximium habeant oportet, qualis eſt ſanguis ipſe inflammatus in ardentibus febribus: nam externæ cauſæ tantâ vi exſiccandi præditæ vix in uſum veniunt, niſi *fortè aqua vitæ, theriaca*, & ſi quæ alia, in quorum uſu temperatiores ſunt paſſim omnes, alioqui haud dubium eſt ea in viſceribus igneſcere poſſe, *cùm experimento conſtiterit ebrioſum quendam hominem Scotum in inſano convivio à*

2. Humidi primigenii exhauſtu.

(Obſervatio.)

à liberali aqua vitæ ex vino Hiſpanico extracta (in Hiſpaniâ certamen illud Bacchicum certatum fuiſſe retulit mihi fide dignus Vir Religioſus) potu inflammatæ ſcilicet in ventriculo fuiſſe exanimatum, animâ quippè una cum flammâ ſeu igne ex ore & naribus erumpente. Itaque raro ab his externis cauſis exhauſto humido primigenio ſuccedit hydrops.

Sed ferè febribus ardentibus, in quibus ab igneo intus concepto in ſanguine calore nativum humidum viſcerum depaſcitur & abſumptâ vaſtatâque carnoſâ ejus ſubſtantiâ (in quâ maximè radicale ejus humidum effloreſcit) & ſuperſtite fibroſâ parte, quippè quæ propter innatam duritiem vaſtitatem ignis latentis effugit, viſcus retorridum manet.

Sic multò magis corruptâ viſceris alterutrius ſubſtantiâ quomodocumque, & vel in empyema ſuppurato phlegmoni ſuccedens verſâ hydrops fit brevi, ſi vita cum empyemate diu poteſt ſtare.

3. Vitalis & influentis caloris nimiâ diſſipatione.

Porrò quæcumque *vitalem & influentem in nobis calorem affatim & multùm diſſipant, ſpirituumque ſubſtantiam exhauriunt, & à viſceribus diu multúmque avertunt*, ut acerbo cum dolore conjuncti affectus, & tumor aliarum partium, ea pariter hydropem important, calore ſcilicet inſito viſcerum per influentis interceptionem per ſe langueſcente, & intermoriente.

Ac cùm vitalis ſpiritus per inſignem cujuſcumque materiæ vacuationem confertim diſſipetur, tum maximè per immodicum ſanguinis effluvium quippe cui utrique ſpiritus miſceatur adeo ut ſanguinis effluvium a ἀξιόλογος in toto refrigeratio ſequatur.

Quam etiam ob cauſam cujuſcumque partis abſceſſum ſive empyema hydrops conſequitur, quia nimirum cùm ſpiritus ad focum putredinis unà cum ſanguine accurrat computreſcatque, hac ratione ſanguis ad ſummam paupertatem, ſpirituſque devenit; itaque inſitus partium calor vitalis influxu deſtitutus marceſcit: quanquam certè non ita frequens eſt hydrops ab hac poſtremâ cauſâ. *Vidi ſapiùs namque tabefacta diuturno abſceſſu corpora, tamen ab hydrope im-*

a Effatu dignus. Hipp. Coac. præn. Aph. 150.

immunia vivere, cujus eventus cauſam credo eſſe partim inediam ſeu ſiccam victus rationem in hecticis febribus cum empyemate conjunctis ordinariam, partim perpetuum alvi in iiſdem affectibus profluvium.

Atque hæ ſunt in univerſum cauſæ, quæ vernaculum viſcerum calorem labefactando tractionem ſanguinis abolent, atque hydropem accerſunt, è ſanguine ſcilicet, diutiùs quàm par eſt in vaſis immorante ſero diffluente per ſe ex iis in abdominis inanitatem.

Age verò quòd ad *Anguſtiam viarum* attinet, ea ferè *duplex eſt & frequentiſſima hydropis cauſa*, *obſtructio ſcilicet*, *& compreſſio vaſorum*. Nam anguſtia naturalis eorum, quæ ſequitur parvitatem quamdam viſcerum à primâ conformatione contractam, eamque præter naturam, quam inter cauſas hydropis *Avicennas* refert, ea & rara eſt, & ſuperior omni arte: ſubſidentia autem vaſorum etſi eſſe poteſt tanta, ut ſanguis præterfluere non poſſit, tamen quia fit per atoniam ſummam, quæ vitalis exhauſtum caloris ſequitur, ſi modò hydropem inferre poteſt, & eum potiùs non prævertit mors, coincidit certè cum cauſis ſuperiùs allatis, & verò cum ſanguinis potiùs penuriâ, quàm abundantiâ conjungitur, ut meritò hydrops ab eâ metui non poſſit. Aſtrictio denique vaſorum notabilis ſtatui non poteſt hydropis cauſa, quia viſcera admodum recondita ab ambientis frigoris injuriâ ſatis ſuperque tuta ſunt. Quo III. viarum anguſtia accidit, Præternaturale earum vitium,

Obſtructio igitur hydropis cauſa fit à multis, viſcidiſque humoribus, & maximè pertinet ad radices vaſorum, quæ utrinque implantantur viſceri: nam obſtructio truncorum quidem rara eſt ob amplitudinem cavitatis eorum, à quâ illa ex parte nomen cavi accipiunt. Ramorum autem ſive gaſtricorum, ſive epiploicorum, ſive meſaraicorum obſtructio potiùs perpetuum continenſque alvi profluvium quàm hydropem inferre ſolet. Vel quia ex obſtruuntur:

Sed enim quanquam obſtructio radicum ſive portæ, ſive cavæ hydropem inferre poteſt, hîc tamen intelligendum eſt non quidem illum à principio ſtatim contingere, ſed febribus diuturnis ab iis obſtructionibus illatis ſuccedere Maximè radices vaſorum tam portæ, quàm cavæ, &c.

 tan-

tandem: nam quia ſanguis in iis incunatus brevi neceſſarióque putreſcit, certè febris prævertit, & cùm ratione inappetentiæ cum iis conjunctæ corpus plethorâ non ita laboret, inde non ita frequens ſuccedit, etſi cachexia, ut experientia docet in febribus pallidis puellarum, quæ cachexiam quidem, tamen aſcitem raró important.

Cùm porrò obſtructio vaſorum ad alterutrum viſcus pertinentium à multis, craſſis, viſcidiſque humoribus pendeat, aut potiùs à ſanguine hiſce conditionibus affecto, ſpeciatim vaſa in renibus obſtruuntur cùm ab iiſdem genere ſive humoribus, ſive ichoribus, tum ab arenulis & calculis, quibus ſi uterque renum pertinaciùs hærentibus obſidetur, ut urinæ inferatur ſuppreſſio, ſequi omnino hydropem neceſſe eſt, niſi is aut ſudore continuo largiùs erumpente avertatur, aut morte potiùs prævertatur, quam iſchuria completa non quidem intra ſeptenarium, ut credunt omnes, ſed intra vigeſimum, aut quadrageſimum infert, ut infrà monebitur à nobis.

Vel quia comprimuntur, Jam verò *compreſſio vaſorum ſive radicum per viſcera diſperſarum* etſi ab externâ cauſâ induci poteſt ſcilicet thorace arctiore, aut vinculis arctis; hæc tamen cauſa potiùs febres pallidas quàm hydropem importat, ut conſtat in puellis corpora juncea ab arctiore veſtitu quærentibus. *Fit autem planè hydrops per compreſſionem vaſorum à parenchymate viſcerum extumeſcente admodum ſive phlegmonode affectu, ſive ſcirrho, quæ cauſa certè eſt hydropis frequentiſſima:* raros namque aſcite laborantes videas, qui non priùs aliquo tumore præter naturam hepar præſertim diſtentum habuerint, quàm in hydropem inciderint, quanquam ſæpè is tumor latet & ab hydrope ipſo obſcuratur.

à tumoribus viſcerum.

De hydrope à tumoribus viſcerum.

OBS. CXV. *Superiora equidem tempora memoriâ repetenti, occurrunt ante viginti quatuor annos Nobiliſſimus Vir D. de Robecourt, Commendator Malthenſis, Magiſter Joannes Cognetus Vicenſis Pharmacopœus, Thomas quidam Hoſtiarius cameræ principalis Caroli* III. *atque ut ruſticanam plebem, alioſque, quos mediis temporibus vidi poſtremis annis, præter Carolum Perdeum, de quo infra, memini duo paria fra-*

fratrum, alterum ex familiâ Sartoris Pontani Tortedieu nomine, alterum ex Nobili Familiâ Dodo Scribæ Domanii principalis aſcite tandem contabuiſſe, cui occaſionem dederat phlegmonodes pertinaxque hepatis tumor, iſque Chronicâ febre lentâque ſuccinctus: de ſcirrhorum enim contumaciâ quotidiana ſatis loquuntur experimenta. Sed phlegmonodeωm tumorum hepatis diuturnitatem poſt L. Mercatum in longè plurimis obſervavi, quos nominandi occaſio aliàs dabitur opportunior.

Certè quiſquis demortuorum hydropicorum curioſiùs attenderit diſſectioni (*debent autem Medici ſatagere plurimùm ut quantum licet hæc iis detur facultas, quòd liber naturæ ſit optimus docendus medicinæ magiſter, ex quo certè, dico verè & ſeriò, longè plura quàm ex ſcholis omnibus ſemper didici*) quiſquis (inquam) attenderit ſerio diſſectioni hydropicorum, *fatebitur una mecum ultrò tumorem aliquem viſceris alterutrius ferè unam eſſe certè frequentiſſimam aſcitis parentem.* A quibus frequentiſſimè hydrops naſcitur.

Et ſanè ſi ratione dirimenda eſt hæc controverſia, longè mihi facilis & veriſimilis videtur ratio generationis aſcitis, quæ ab anguſtiâ petitur vaſorum in viſceribus, & præſertim hepate, in quo quippè & vaſa quàm in liene graciliora ſunt à naturâ, & verò ſanguis crudus craſſuſque ferè cunctatur, quàm communis illa ſententia in fruſtratione haimatoſeωs poſita. Sive enim completam anguſtiam radicum vaſorum in alterutrius viſceris ſimis aut convexis partibus, & multò magis in ambabus ſtatuas, ſive incompletam, quàm evidens neceſſariaque ratio ſeſe offert moræ & aggeſtionis in dies majoris tam ſanguinis ſive potiùs chyli ſemi-ſanguinis, quàm ſeri ipſius in interioribus illis anguſtiis, & ab eâ morâ ebullitionis cujuſdam & tranſcolationis ex iis vaſis ſeri in abdominis cavitatem, aut trajectionis in ulteriora vaſa, relicto à tergo ſanguine ſincero craſſoque, & ex iis tandem effluxus ejuſdem in inanitatem ſive thoracis, ſive ventris inferioris: quòd ſcilicet ſerum per ſe minimè nutriens & à fervore nonnihil putreſcens & ſalſuginoſum redditum non apponatur partibus, ſed neglectum à naturâ in iis exorbitet & ſuperfluat? Non verò à fruſtratione ſanguificationis.

 Ex

Hanc ſententiam confirmant. I. Sanguificationis natura. Nam 1. è corpore heterogeneo ſimplex non producitur.

Ex adverſo autem quæ-nam philoſophia admittat ex corpore heterogeneo & conſtante ex partibus craſſis terreniſque ſimul cum aqueis, ex quo genere ſunt alimenta externa & chylus ipſe, qui etſi ad ſenſum eſt homogeneus, revera tamen heterogeneum quid eſt, & ex diverſis ſubſtantiis confuſis coaleſcens; quæ, inquam, philoſophia admittat ex corpore concreto ex quatuor elementis unum ſimplex corpus produci tantum, atque illud aqueum?

2. è ſanguine crudo ſimplex ſerum non generatur:

Quanquam enim à languidiore hepatis calore generari poteſt ut reverà generatur à chylo ſanguis crudus admodum & pituitoſus, leucophlegmatias fomes, tamen ex eodem modò integro ad vaſorum radices perveniente nunquam ſimplex ſerum generatur, ſed ſanguis crudus omninò aut potiùs chylus inquinatus, *ut loquitur Ariſtoteles*, vel certè qualis ipſe è ventriculo venit, & minimè alteratus: quid enim fiet craſſis terreniſque partibus, aut quis abſumpſit, cùm potiùs aqueæ & tenues reſolutionis ſint capaces?

Sed potiùs corpus aliquod craſſum.

Et ſi chylus alterationem aliquam admiſit quantumvis levem à languido hepatis calore, is per reſolutionem aquearum particularum, aut certè ſpontaneum earum diffluxum in corpus ſeipſo craſſius, quàm contrà in ſimplicius & tenuius converti debeat, philoſophicâ ratione ita dictante?

3. Serum non tam generatur in hepate & liene, quàm ab his viſceribus è ventriculo attrahitur,

Adde quod in haimatoſi ſerum non tam generatur in hepate aut liene, quàm è ventriculo reverà ab iiſdem viſceribus attrahitur, ſiquidem ille eſt ipſe liquor, qui in potum uſumque venit ſive ſit aqua pura, ſive vinum, aut aliquod aliud aquæ genus, *ut omninò improbabile ſit, ne dicam abſurdum, ex chylo toto alioqui heterogeneo ſeu compoſito & corrupto in hepate* (nam generatio præſupponit ſemper materiæ corruptionem ex axiomate phyſico, *generatio unius eſt alterius corruptio*) *unum ſimplex elementum idque aqueum produci.*

Galeni dogma nullam neque etiam benigniorem interpretatio-

Quòd ſi dicas *Galeni illud dogma* benigniùs ſaniúſque eſſe interpretandum, *ut chylus quidem etſi integer perveniat ad viſcera, is tamen nullo modo ab iis attingatur præ ſummo caloris languore, itaque pars ejus tenuior per ſe ſecernatur,* dif-

diffluatque, craſſa autem & terrena ſeorſim reſtitet in vaſis; accipio quidem lubens hanc interpretationem; imò eam poſt longam meditationem commentus ſum & excogitavi, quòd non niſi ægrè *à Præceptore tanto* diſcedere poſſem; *tamen huic benigniori meæ interpretationi reclamat in primis experientia, quæ docet vaſa ſanguine etiam, non ſolo craſſamento chyli albo ſcatere, & liquorem illum ſeu potulentam materiam omninò alterationem aliquam in ipſis viſceribus ſubiiſſe.* Cùm enim in ventriculo potulenta & liquida minimè morentur, ſed confertim præterfluant, ut aliàs eſt à nobis demonſtratum, in aſcite autem vinum v. g. aſſumptum omninò alteretur, ſiquidem abdomen non vino ſed aquâ purâ diſtenditur, quæ vinoſæ ſubſtantiæ nihil retinet, omninò certè chylum in viſceribus alteratum eſſe neceſſe eſt. nem admittit.

Præterea cùm familiares ſint aſciti dejectiones cruentæ & loturæ carnis recens mactatæ ſimiles, arguere eſt non omninò ita labefactatam eſſe haimatoſin, ut chylus ab hepate non attingatur prorſus, & ſerum ſolum loco ſanguinis generetur: & ut demus chylum intactum ab hepate ſummè refrigerato reſtitare, tamen quis ferat eam loquendi formam ex chylo integro ad viſcera attracto loco ſanguinis laudabilis ex chylo, inquam, concreto corpore ſolùm aquam ſeu ſerum generari? *nam ſi non pervenit totus, ſed ſolùm ejus pars tenuis fluxaque ſive aquea, craſſiore ac terrenâ à tergo relictâ, an non potius tractrix quàm aſſimilatrix accuſanda: & ſi tractrix accuſanda, non tam ejus impotentia eſſentialis, id eſt, intemperies frigida, quàm viarum anguſtia criminanda?*

Sed urgeo: demus enim laborare hepar intemperie frigidâ, ſanè quoniam per eam facultas utraque tractrix & aſſimilatrix eſt labefactata, cùm utriuſque inſtrumentum ſit calor, non poteſt aſſimilatrix lædi, quin una quoque tractrix, atqui quoniam tractio aſſimilationem præcedit, tractionem potiùs quàm ſanguificationem eſſe læſam arguere oportet, aut certè non potiore ratione unam quàm alteram: quia autem ex alterâ parte anguſtia viſcerum experientiâ teſte aſciti ferè adjungitur, tractricis potiùs imbecillitatem quàm

II. Ipſa intemperies viſcerum frigida; quæ non tam aſſimilatricem, quàm tractricem facultatem labefactat.

quàm aſſimilatricis aſcitis cauſam ſtatuere neceſſe eſt ; *& ita frigida intemperies prima cauſa aſcitis conſtitui debet, quatenus tractionem potiùs quàm aſſimilationem lædit.*

Autoris ſententiæ Eraſiſtratus olim fautor fuit.

Cùm igitur viarum anguſtiam potiùs hydropis cauſam quàm frigidam intemperiem ut putarem experientia & ſuperiores rationes in animum induxiſſent meum, non mediocriter ſum lætatus cùm à *Galeno* accepi, *extitiſſe olim Eraſiſtratum fautorem, imò auctorem hujuſce ſententiæ à me conceptæ & ſuperioris meditationis vi priùs expreſſæ, quàm apud Galenum repertæ*, quòd ab aliquot annis aſſiduâ ejus lectione intermiſſâ potiùs animum ad unius veritatis inveſtigationem appulerim, quàm in alienis ſententiis colligendis laborarim.

III. Confirmant id etiam omnia ſymptomata Aſciti aſſidentia. qualia ſunt 1. dejectiones Chyloſæ, pingues & crudæ.

Age enim excutiamus ſi placet *omnia Symptomata Aſciti aſſidentia*, utrum ſanguificationis vitium an tractionis, & intemperiem frigidam, an potiùs viarum anguſtiam, & diſtributionis vitium contrà arguant. In primis igitur *dejectiones chyloſæ pingueſque & crudæ Aſcite laborantibus moleſtæ, urina autem nulla aut valdè pauca* demonſtrant ſanè maximam chyli partem diſtributionem in viſcera ſubterfugere, medioque in curſu, imo in principio viæ ſubſiſtere, nam ſi ad viſcera perveniſſent & tot vaſorum meandros evaſiſſent, omninò certè à chylo alienæ êſſent & ſubiiſſent aliquam alterationem & ſanguinis rudimentum ſaltem aliquod, & longè probabilius eſt chyloſas reddi, quia chylus defectu attractionis vaſa meſaraica non ſubit, ſed ex ipſis inteſtinis immediatè diffluit, quàm quòd decurſis illis anfractibus ille ad viſcera appulſus, & intactus ab illis relegat ſuum iter, perque eoſdem anfractus remeet in inteſtina.

2. Urina pauca aut nulla.
3. Dejectiones cruentæ & loturæ carnium ſimiles.

Et ſanè id confirmat ſatis *urinæ paucitas* nec reſpondens quantitati potus; ſed & *dejectiones cruentæ ac loturæ carnium recens mactatarum ſimiles*, quæ aliquando præcedunt hydropem, aut etiam in principio ſuperveniunt, partem chyli aqueam maximè ad viſcera percolatam perveniſſe duntaxat relictâ à tergo & ſubſiſtente parte craſſiore arguunt, & alioqui atoniam conſequuntur viſcerum ſimulque indicant; quem-

quemadmodum & *ſtillæ ſanguinis tenuis è naribus, è gingivis, atque aliis locis aſciti familiares.* Quæ ſanè atonia viſcerum non tam in caloris imbecillitate ſummâ quàm in præternaturali laxitate & exolutione conſiſtit fibrarum, quæ ad retinendum atque adeò trahendum (nam tractionis finis retentio) comparantur, & nihil ad aſſimilationem conferunt.

4. Stillicidium ſanguinis è naribus, gingivis, & aliis locis.

Hujuſmodi enim cruentas dejectiones loturæ carnium recens mactatarum ſimiles ad tractricis retentriciſque quidem imbecillitatem, minimè autem aſſimilatricis referendas eſſe [a] Galenus diſertè docet his verbis: *Igitur ut non potente ob imbecillitatem hepate ſuccum à ventriculo attrahere attrahendi facultas afficitur, ita cùm retineri nequit comprehendens continenſque facultas infirma cenſenda eſt; proinde in primis quidem cruorem ſanioſum excerni videmus, poſtea verò craſſiorem & veluti feculentum:* hactenus Galenus. Quòd ſi hæ dejectiones cruentæ hydropis prodromi non tam aſſimilatrices quàm cæterarum facultatem ſequuntur imbecillitatem, eandem ſanè adauctam hydropem ſequi omnino neceſſarium eſt. *Ex his igitur, unáque è ſtillis ſanguinis atque aliis argumentis convincitur neceſſariò, ſerum in hydropicis redundare quidem, ſanguinemque longè à prædominio eſſe ſeroſum, nam aliter non ſpontè diffflueret ex variis corporis partibus, itaque ex ejus redundantiâ hydropem ſequi non quòd aſſimilatrix, ſed potiùs tractrix eſt labefactata.*

Nam ſeroſus plus quàm par eſt ſanguis & fibrarum expers fit ſanè, quia fibroſa chyli pars minimè ad viſcera pervenit, ſed tantùm ichoroſa, eáque plurimo ſero affuſa, quæ utraque ſcilicet per tenuitatem vaſa viſceráque ipſa ſemi-anguſtiam incompletam patientia ſuperare potuit. Atque hæc quia ad nutritionem minùs idonea eſt, utpotè quæ nec apponi, nec agglutinari poteſt, ſiquidem lentoris

[a] Gal. lib. 5. de loc. aff. ὥσπερ δὲ τοῦ μὴ δυναμένου δι' ἀτονίαν ἥπατος ἐπισπᾶσθαι τὸν ἐκ τῆς κοιλίας χυλὸν ἡ ἑλκτικὴ πέπονθε δύναμις, οὕτως τοῦ κατέχειν μὴ δυναμένου, τῆς περισταλτικῆς καὶ καθεκτικῆς δυνάμενος ἐστὶν ἀτονία καὶ διὰ ταύτην, ἔκκρισις ἐν ἀρχῇ μὲν αἵματος ἰχωροειδοῦς γίγνεται, μετὰ ταῦτ' δὲ ἤδη καὶ παχυτέρου καὶ οἷον τρυγώδους.

& pinguedinis expers, inde fit ut corpus quidem tabeſcat, & ſimul quædam partes contrà intumeſcant, in quas ſcilicet ſerum in ſanguine redundans defluit, nec reſolvi poteſt, niſi acceſſu alieni caloris.

5. Atrophia reliquarum corporis partium.

Scilicet quod ad *Atrophiam* attinet, illa ſanè non aliam cauſam habet quàm quòd partes congruo deſtituuntur alimento, intercepto ſcilicet ob viſcerum infarctus, quos cùm ſola ſeroſa pars ſuperet, & cùm minimè affigatur partibus, indeque ſuperfluat in totum, præſertim tamen gravitate ſuâ deorſum nutat atque decumbit in crura, quæ à fonte caloris longè ſemota tandem ab ejus depluvio continente intumeſcunt: qui tumor tamen fugax eſt, quòd calore lecti humor aqueus facilè reſolvatur, cùm qui faciem occupat non ita evaneſcat, & obliteretur, quippè cùm nuda facies ambientis frigori ſemper ſit expoſita.

Objectio: cur ſcil. ſitis Aſciticis perpetuò moleſta ſit?

Sed quæret aliquis ſi atrophia hydropi comitem ſe adjungit quòd laudabili nutritio ſanguine partes deſtituantur, & non niſi aqueus ſeroſuſque ſubminiſtretur, itaque exorbitet in vaſis, ut in tumorem præter naturam quædam attollat membra, *quî fit ut ſitis, quæ eſt humidi roridi ſeu ſeroſi appetitus, perpetuò moleſta eſt aſciticis, & non fames potiùs?*

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor. Horat.

Famis ſanè ablata cauſa in proclivi eſt, tractio ſcilicet ſeu exſuctio venarum ad ventriculi ſtomachum attinentium, ratione plenitudinis viſcerum & languoris caloris eorum vernaculi: ſed ſitis quoque non obſcura eſt reputantibus ſerum per moram putridum, ſalſuginoſum, ac nitroſum nullâ ratione uſibus naturalibus ſatisfacere poſſe; aut potiùs conſiderantibus ex ſanguine ſeu chylo viſceribus infarto & putrente vapores elatos os ventriculi oppetere calidos ſiccos. Nam à ſero quamvis putrente & ſalſuginoſo vapores efferri ſitiferos haud facilè crediderim, & multo minùs ſitim induci (quanquam ea eſt *Clar. Mercati* ſententia)

Solutio.

tia) quòd per exhauſtum humidi in viſceribus primigenii importuniùs trahant viſcera; nam inopinabile calore innato viſcerum devaſtato tractricem vigere poſſe.

Sed pergamus ad reliquas ſi quæ ſint functiones, quæ inſalubres & præternaturales aſciti aſſident. *Tuſſis ſanè ſeu tuſſiendi cupiditas inanis*, experientiâ teſte, jam à principio ei ſeſe adjungere ſolet & longè priùs quàm ſerum eâ ſit in abdomine collectum copiâ, ut in thorace eructet vel exudet, quòd inferior venter ei continendo jam ſit impar, hoc enim proprium eſt aſciti jam longiùs progreſſo. Aſſidet igitur tuſſis non aliam ſanè ob cauſam, quàm quia aut diaphragma à viſcere alterutro aut ambobus extumeſcentibus & gravitantibus deorſum divellitur diſtrahiturque, aut certè ſi jam ſerum tantâ ſit aggeſtum copiâ ut ei innatare veluti viſcera poſſint, & idcirco levitare, quia idem diaphragma ab eo præter ordinem diſtento quippè immaniter ſecundùm convexa ſeu gibba comprimitur & in anguſtias adducitur: nam tuſſis quia ſicca ab exudante ſero non fit ſanè in principio, cùm imum ventrem tum occupet ſolum, neque etiam à qualitate vaporum è ſero expirantium ſurſum excitatur tuſſis, quippè cùm ii vapores lenes & mulcebres ſint potiùs præſertim in principio. 6. Tuſſis ſeu tuſſiendi ſaltem cupiditas inanis.

Atque hæc ſatis multa de naturâ aſcitis cauſiſque ejus proximis; de cauſis enim antecedentibus dicere velle parecbaſis eſſet longior, & ab inſtituto noſtro aliena, pariterque de diagnoſi hydropis jam præſentis affectus quippe per ſe evidentiſſimi agere, eſſet de meridie lumen accendere: verùm futurum & inſtantem antè denunciare ſi non Medico glorioſum (cui incerta minanti & maximè ingrata haud facilè creditur) certè ægris utile, aut prorſus neceſſarium. *Unum igitur certiſſimumque & inſtar omnium aſcitis imminentis prognoſticon habendum, præſens tumor ſive inflammatorius ſive ſcirrhoſus alterutrius viſceris: hic namque niſi maturè curetur, funeſtum certè neceſſarióque infert aſcitem.* Hydropis ſignum prognoſticum certiſſimum.

Quæret autem hîc fortè aliquis *frequentiæ hujus exitiabilis affectus cauſas?* Verùm conſideranti hinc quot & quàm crebræ vitam hominum incurſent cauſæ, quæ meſereum Cauſæ Hydropis frequentiæ.

 viſce-

viſceraque craſſis & crudis opplere ſuccis ac infarcire poſſunt, illinc quàm frequentes occaſiones ſanguinem utrumque in viſcera ſeu in nativos fontes impellentes, impulſum cohibentes, cohibitumque putredini & corruptelæ obligantes, mirum profectò non videbitur viſcera crebris adeo opportuna vaſorum anguſtiis, propriæque ſubſtantiæ infartibus eſſe.

Equidem dici non poteſt quàm uberem prava perperamque inſtituta victus ratio & præſertim labor corporis intempeſtivè, & adhuc incocto cibo initus ſubminiſtrent; aut quàm crebri ab animi paſſionibus & præſertim aëris inclementiâ & ſubitis atque alternantibus ejus mutationibus, Boreæque præſertim flatibus, maximè in plagis Septemtrionalibus contingant ſanguinis recurſus impulſuſque ſive lenti, ſive conferti in viſcera, à quibus febres plethorica invadunt corpora, eæque licet parvæ, continuæ tamen & ferè funeſtæ, atque hydrope terminatæ, imo non niſi cum eo commorientes, in quibus plerumque viſcera tenſa & immanem aliquando in tumorem, qui etiam coſtarum lumbos ſupra exſtet, & dura ſupra admirationem præſertim hepar, quod aliquando trunci ligni inſtar edurum eſt, & veluti retorridum, & alioqui rimis fiſſum plurimis, in quibus aquam puram vidi latitantem & aliquando incluſam in veſiculis quæ hydatides dicuntur; quæ tamen meo judicio non apparent, niſi inflammatorius tumor aliqua in parte ſuppuraverit: veſiculæ enim fiunt meâ ſententiâ ex puris parte aliqua concreſcente & excoctâ à calore.

Cauſæ, Aſcitis cacoëthiæ & indomabilis contumaciæ.

Supervacaneum hîc foret *Cacoëthiam aſcitis & indomabilem contumaciam* pluribus deſcribere, quæ naturæ vires, artiſque omnem induſtriam ita eludit ut omnium Medicorum ingenia ſubſannare vulgari ſed vero perhibeatur proverbio, *L'hydropique fait aux medecins la nique.* Certè ejus malignitate longè plures quàm cujuſquam alterius chronici affectus confici tabeſcereque & mori experientia quotidiana abundè teſtatur, cujus pravitatis ratio ſatis obvia eſt in commemoratas à nobis cauſas ejus diligenter attendentibus.

bus, nimirum intemperiem frigidam ſummam, quæ exhauſtum ſpirituoſæ humidæque ſeu carnoſæ viſcerum ſubſtantiæ à febrili ardore illatum conſequitur, & obſtructiones ſive tumores eorumdem.

Quæ enim ars exhauſtum humidum primigenium reſtituere, extinctumque calorem vernaculum denuo ſuſcitare poteſt? quæ induſtria tenaciùs adhæreſcentes, & quaſi jam concretos adnatoſque vaſorum parietibus humores abſtergere, vel altius imbibitam impactamque viſcerum poris alienam ſubſtantiam abluere, atque ſaxeam propè duritiem emollire, retorridum denique parenchyma æquabili & priſtino ſubſtantiæ modo commutare valebit? etſi namque obſtructiones tumoreſque viſcerum in principio artem minimè ſuperare videntur, nihilominus tamen tum quoque rarò percurantur, quia ſcilicet aut per Medicorum ſocordiam prætervidentur, aut ratione diuturnitatis negliguntur ſpernunturque, utpotè cùm & ægri ſtatim atque febris deferbuit ſe habeant ὀρθοστάδην, capiatque eos faſtidium cùm medicamentorum tum medicorum, & viciſſim medicos ſæpè propria avarities ad valedicendum ægris partam antè victoriam ſolicitet, aut certè pudor ejus tam diu delatæ re inconfectâ clam ſeſe ſubſtrahere compellat: itaque morbo ob haſce cauſas in dies majorem acquirente contumaciam ſenſim ſuccreſcit hydrops, qui alioqui tum demum negotium exhibere ægro & revocandi medicos occaſionem dare incipit, cùm jam viſcerum cacopragia longiùs provexit & omni arte ſuperior evaſit.

Obſtructiones viſcerum cur rarò percurantur.

Quo ſanè tempore quàm fieri poteſt primæ mali fibræ eradicandæ ſunt, & naviter curationi incumbendum, dum adhuc natura viſcerum integritatis ſuæ quodammodo retinens eſt, hoc eſt, æger eſt εὔσπλαγχνος, ac quamprimùm certa ſe produnt ſigna hydropem interminantia, cujuſcemodi ſunt, præter tenſionem & gravitatem hypochondrii utriuſque, aut alterutrius, diſpnœa, aſitia, urina non ſatis potui reſpondens, & incipiens cachexia, quæ ſeſe evidenter prodit pravo totius habitus colore, genarum livore, ac pedum tumore, magno virium languore, & id genus.

Hydropis ſigna demonſtrativa.

Curatio hydr. in genere habet V. Scopos.

Omni itaque ſtudio vacandum averſioni, certè *Curationi jam jam incipientis* ἀρχομένης τ̃ νόσου, ut loquitur *Hippocrates*, *aſcitis*, *quà nativum qui ſupereſt calorem fovendo augendoque*, & *ſubſtantificum reparando humidum*, *quà viſcera ab obſtructionibus liberando*, *pleonexiam eorum deplendo*, *quà denique ſeroſum* & *redundantem jam humorem confeſtim expurgando vacuandoque*.

Curatio hydrop. ſpeciei à frigidâ viſcer. intemperie, & acuto morbo ſuccedentis; poſtulat. 1: Victus rationem moderate calidam.

Ergo quod ſpectat *ad eam Aſcitis ſpeciem*, *quæ acuto ſuccedens morbo calidi inſiti viſcerum ſequitur penuriam ſive frigidam intemperiem*, oppugnanda certè in primis *victus ratione*, quæ ex cibis euchymis eupeptiſque & modicè calidis conſtet; quo in cenſu ſunt *aves domeſticæ*, & *præſertim montanæ*, *perdices*, *turdi*, *idque genus*, *vinum generoſum*, *Hiſpanicum*, *malvaticum*, *imo medicamentoſum*, *ut aromaticum*, *abſynthites*, *paſſulæ damaſcenæ*, *corinthiacæ*, quippè in quibus ut in vino, vivificus quidam calor nativo noſtro affinis adhucnum viget; *ſalſamenta autem aromatis condita non inſalubria erunt*. Cibus porrò ter in die aſſumi poteſt ſed ex longis intervallis: nam in medicamentis exigua ſpes niſi fortè in uſu *electarii aromatici roſati*, *diarrhodonis Abbatis*, *dialaccæ*, *corticum citri*, *zingiberis conditi*, & *ſimilium* (ſi modò empyreuma febris minimè fuerit relictum) quorum uſus ante cibum ſalubris erit, quemadmodum à cibo fomenta *ex mentâ*, *abſynthio vino incoctis generoſo*, & *emplaſtrum ex cruſtâ panis aromatis aſperſi*, laudantur.

2. Medicamenta quædam interna, & externa.

Curatio Hydrop. ſpeciei, ab anguſtiâ viarum, perficitur. 1. averſione pleonexiæ;

Jam quòd *ad Alteram Aſcitis ſpectat ſpeciem*, *quæ viarum anguſtiam potius ſequitur ſive ob vaſorum infartum*, *ſive ob tumorem phlegmonodem aut ſcirrhoſum*, & *alioqui medicabilis eſt* (nam confirmatæ provectæque admodum fruſtra curatio inſtitueretur & tentaretur, cujus obtinendæ nulla ſpes foret) cum hactenus antecedentibus ejus cauſis *pleonexiæ ſcilicet* & *cacochymiæ* fuerit ſatis conſultum; ſuppono enim Medici non defuiſſe operam tempore & loco partim per idoneam victus rationem, medicamentorumque uſum febri prægreſſæ & diuturnæ convenientium, partim per ipſum febrilem calorem, cui in ſuperfluis humiditatibus deterendis abſumendiſque non ignava vis eſt, confeſtim *ad aperientia deobſtruentiaque meſereum* & *viſcera affecta malè*

acce-

accedendum: ſed eâ lege, ut ſi jam aliquis abdominis tumor ſeri in eo ſynathriſmum demonſtret axiologon, *expurgationis* ejus ratio in primis habeatur, cùm viſcera inteſtinaque ſero innatare & immergi diu non poſſint citra detrimentum & gravem vernaculæ temperaturæ noxam: ſapienter enim monet *Hippoc.* α *incipienti hydropi alvi profluvium aquoſum ſine cruditate morbum ſolvere.* Et alibi: β *his, qui hydropem circa venas collegerunt, erumpente aquâ in ventrem ſolvi.*

Ita autem medicamentorum temperabitur uſus ut à *levioribus ſive hydragogis, ſive deobſtruentibus* initium ſemper capiatur, *& forma eorum ſolida præferatur liquidæ.* Convenient ergo primùm, *pilulæ ex hierâ, carthamo, agarico cum tantillo rhei*, quòd etſi cum aqua repurganda venit, cholagoga videntur aliquorum judicio intempeſtiva, tamen meâ ſententiâ plures ſimul ſcopos explet ſcilicet deobſtruendi & ſeroſos humores, quibus bilis ferè ſemper affuſa eſt, purgandi per renes, & alvum unáque partes roborandi. Ex illis ergo medicamentis *ſive boli, ſive pilulæ fient pulveribus ſubactis cum ſuccis iridis, vel ſambuci, aut ſyrupo aliquo, ut roſaceo ſolutivo, ſive de abſynthio.* 2. Cacochymiæ, per hydragoga ab initio leviora.

Exhibito autem medicamento purgante & modicè, prætermiſſâque moroſiore aliâ præparatione, quippe quam humor ex ſe fluxus minimè deſiderat, *deobſtruentibus* locus erit & *primùm levioribus*, in quo genere ſunt, *oxyſaccarum, ſyrupi de cichoreo, acetoſus, de radicibus, de limonibus, ſpecies triaſandali cum rheo, & diarhodonis Abbatis*, è *quibus cum pulvere raſuræ eboris, cornu cervi uſti, ſeminibus melonum, agrimonii, atque ſaccaro in aquâ agrimonii diſſoluto tabellæ concinnari poſſunt.* Præterea, *trochiſci de abſynthio, de ſpodio; denique pilulæ ex pulvere rhei, ſpicâ nardi, vermium terreſtrium exſiccatorum in umbrâ & malaxatorum cum ſucco cichorii, aut fumariæ per dies caniculares con-* 3. Deobſtructione primum per leviora.

α Coac. præn. Aph. 457. ἐπὶ δὲ ὑδέρῳ ἀρχομένῳ διάῤῥοια γενομένη ὑδατώδης χωρὶς ἀπεψίας λύει τὸ νόσημα.

β Coac. præn. Aph. 461. τοῖσι ὑδρωπιώδεσι κατὰ φλέβας ἐς κοιλίην ῥαγέντος τοῦ ὕδατος λύσις.

condenſato, quibus ammoniacum in aceto diſſolutum addi poteſt, ſi ſuſpicio ſit affectus ſcirrhoſi.

Quanquam porro ſolidior forma medicamentorum præfertur liquidiori, tamen non inſalubriter *ſyrupi aperientes diſſolvuntur in decoctis ejuſdem generis, ut radicum quinque aperientium, intybi, agrimonii, betonicæ, capilli veneris, ceterach & id genus*, ſed in modicâ admodum quantitate.

Dein per fortiora: quæ ſunt vel primi,

Atque iis levioribus per aliquot quaternarios uſurpatis ſuccedent commodùm *generoſiora ſive hydragoga, ſive deobſtruentia.*

De Curat. hydr. per hydragog. Fernel.

OBS. CXVI. In *primo genere* ceteris antepono *elaterium, quod pilulis prædictis ad pauca grana addi poteſt*; & *hydragogum minus Fernelii felici ſuccuſſu ſæpè expertum mihi*, & nuper in *Nobili Advocato Pontano Arnulpho Maviean*, *cui ab inflammatorio hepatis tumore & gravi febre intumuerat inſigniter univerſum abdomen.*

vel ſecundi generis.

In *ſecundo genere* ſunt, *oxymel diverſi generis, ſyrupus biſantinus, de hyſſopo, de praſſio*, qui ſolvi poſſunt *in decoctis radicum filicis, rubiæ majoris, rumicis valerianæ, anchuſæ, herbarum cichoracei generis, abſyntii pontici, chamædrios, chamæpityos, ſeminis agrimonii, ſecuridacæ, cicerum, lupinorum, florum geniſtæ, ſtæchados.* Quæ ſanè non minorem vim in ſero repurgando per renes quàm in deobſtruendis viſceribus habere ſtatuendum eſt, ideoque iis obnixiùs utendum. Ad hos ſcopos pariter commendantur, *trochiſci de eupatorio, de capparibus, & rheobarbaro.* Quia autem in chronicis morbis remediorum varietas jure laudatur, quòd aliàs natura aſſuetudine remediorum vim ſpernit eorum & ludificat, conſulendi *Celebres Practici, Hollerius, Duretus, Mercatus, Maſſarias, Saxonia, & ceteri*, qui eorum magnam ſylvam tradiderunt.

4. Seri per renes expurgatione.

Jam verò non minori facilitate quàm commoditate *Serum modò præſcriptorum medicamentorum uſu per renes repurgatur*, ſed etiam *decocto polii montani, calamenti, virgæ aureæ; conſerviſque betonicæ, eryngii, & denique therebintinâ:* quæ diuretica longè ſudorificis præferenda, quòd hæc non poſſint niſi ægerrimè uſurpari ob conjunctam hydropi ſive di-

dyſpnœam, ſive virium languorem: & ſudorem præterea retorrida viſcera vel affectu phlegmonode diſtenta non facilè permittant: adde quòd exiguo cum fructu aut potiùs cum detrimento & noxâ uſurpantur, ſcilicet quia neque vacuant deobſtruunt, niſi calida actu ſumantur, & ferè etiam potentia valdè calida, quæ ratione febris adjunctæ ſunt ſuſpecta,

OBS. CXVII. *Certè inproſperum eorum ſucceſſum in omnibus memini, & nominatim in Ampliſſimo Præſide cameræ comput. Lotharingiæ Aliſio Domino de Vroncourt.* De Infelici ſudorificorum in hydrope uſu.

Quibus etiam de cauſis haud valdè probare poſſum in aſcite ob anguſtiam vaſorum ea quæ inſenſiliter aquam vacuare creduntur, ut ſunt *ſales theriacales*, *magnæ antidoti*, *& ejuſmodi.* 5. Inſenſibili evaporatione.

Atqui cùm *ſuperiùs memorata remedia quovis anni tempore maximoperè probem, Aeſtate tamen Vereque præcipiti, ut ineunte Autumno, unas acidas aquas uſque & uſque inculcare & deprædicare non ſatis poſſum, & ſoleo*, cùm earum vires in deobſtruendis viſceribus, vacuanda ſimul aqua ſive per alvum, ſive per urinas, ſive per ſudorem præpotentiores ſint cæteris cùm per ſe, tum ratione copiæ quæ in uſum venit, defectu cujus cætera medicamenta longè acidis aquis ſunt inferiora, quippè quæ non niſi parcâ manu propter ingratitudinem ingeri poſſunt. Dicta remedia quovis tempore adhibenda, ſed Vere præcipiti, & ineunte Autumno acidulæ uſurpandæ.

Eximias ſanè acidarum vires teſtantur qui *Fontem Spadenſem* bibunt, qui ſingulis annis ſingulare earum beneficium in percurandis hydropicis experiuntur.

OBS. CXVIII. *Nam & ego ipſe earum vel longiùs importatarum uſu non ſemel hydropem averti jam inſtantem, & reſtitui olim earum beneficio Fratrem Angelum Capucinum etiam orthopnoicum ex inſigni tumore phlegmonode utriuſque hypochondrii, & hac æſtate alius Vir Religioſus Pater Simon Ragheſius ordinis Præmonſtratenſis ab inflammatorio hepatis tumore gravi febre comitato revaluit quarto poſt menſe.* De Curat. hydr. per acidulas Spadenſes.

Atque hæc ſatis multa de medicamentis quæ & cauſas & affectum propoſitum reſpiciunt ſi hoc unum addiderimus tanquam coronidem, *tempus adminiſtrationi eorum commo-*

Tempus adminiſtrationis remediorum debet eſſe matutinum.

modum eſſe duntaxat matutinum, diſtans quippè decem minimùm horas ab aſſumpto cibo: nam quæ cibo crudo adhuc in ſtomacho offeruntur obſtructiones potiùs augere quàm tollere nata ſunt.

Præſidia Chirurgica tanquam pernicioſa rejiciuntur:

Jam quid *Præſidia, quæ manuum operâ induſtriâque vacuare ſenſibiliter aquam abdomine contentam poſſunt*, commemorem? ea ſanè etſi varia ſunt & paſſim laudantur, tamen pleraque uſu longo tanquam pernicioſa probata flocci facio. Accepi certè ab expertiſſimis olim Medicis, dum in Italiâ viverem, funeſtiſſimam iis plerumque gangrenam ſuccedere ob atrocem dolorem cum iis conjunctum, & confertum aquæ intemperantiùs attractæ decubitum,

De gangrenâ poſt cauterium cruri adhibitum in hydrope.

OBS. CXIX. Quorum experientiæ confidens ut debui ab iis ſemper abſtinui, & eo libentiùs quòd funeſtum illorum eventum experientiâ comprobavi, *in Nobili Matronâ conſorte fortis & generoſi viri Claudii de la Ferte, Capitanei vicarii præſidii Nancejani, cui, aſcite laboranti, cùm ex conſilio boni ſenis Pharmacopœi me quamvis reclamante cauteria utrique cruri adhibita fuiſſent, inflammatio, & mox gangrena accidit adeò dira fœtidaque ut loco eſcharæ lurida caro propiorque ſterquilinio ſive odorem ſive colorem ſpectares, ſuccreverit (quæ fœtorem tantum exhalabat ut univerſum compleret cubiculum) aliàs ſeptimanam intra alteram exitiabilis.*

exceptis, Setone in ſcroto, & apertione umbilici. Sed à perito Chirurgo inſtitutis.

Quanquam autem experientia ita ſtatuendum eſſe de chirurgicis præſidiis jubeat, exceperim tamen *Setonem, ſeu cannulam ſcroto vulnerato immiſſam, & Umbilici apertionem à Clariſſimo Andreâ Laurentino celebratam & feliciter uſurpatam*, modò à perito & exercitato chirurgo ea fiat: nam aliàs periculoſa eſt;

De male adminiſtratâ in hydrope umbilici apertione.

OBS. CXX. *Ut obſervavi in pauperculo homine jam à biennio aſcite laborante, cui valetudinis recuperandæ gratiâ ab Illuſtri & R^da^ Antiſtitâ Cœnobii D. Petri apud Mediomatrices, Joanna de Marcoſſey, miſſo in Pontem, cùm umbilico aperto ligamentum hepatis à Chirurgo in hac operatione non ſatis experto fortè præciſum eſſet, profluxiſſetque aqua, die is ſequenti à diaphragmate cum ſcirrhoſo hepate ſimul divulſo deorſum nutante ſpiritu intercluſo, vitâque ſimul fuit privatus.*

tus.

tus. Notum enim eſt omnibus ſatis præciſionem illius ligamenti immedicabilem ſuffocationem brevi conſequi.

Quò ſanè laudavi ſemper illud dictum *Clariſſ. Archiatri Deſiderii Philberti* longè ſatius eſſe ſinere ſuo ut in ſterquilinio hydropici moriantur, quàm fruſtra tentare & infamare præſidia quæ aliis ſaluti fuêre. Equidem quæ hactenus præſidia commemoravi, ea jam jam inſtanti certè non valde provecto aſciti præſcripta eſſe à me intelligi cupio: nam altiùs radicato confirmatoque jam affectu ea nequicquam & non ſine ludibrio tentari poſſunt, ut iis hydropicum velle curare ſit Æthiopem dealbare, aut laterem velle lavare.

Enumerata remedia hydropi recenti & non inveterato, utpote incurabili, conveniunt.

Age verò ſupervacaneum eſt de *Victus ratione* plura dicere, cùm *ſicca tenuiſque* ſed alioqui in *paucâ mole multùm nutriens* ſatis evidenter ab hoc affectu deſideretur, in quo perluvies ſeroſa longè manifeſtiùs quàm in ullo alio redundat. Omnibus namque ſatis innotuit quòd non pauci tenuioris fortunæ homines ab exquiſitâ potus abſtinentiâ priſtinam recuperarunt ſanitatem; nihilominus tamen non ſum adeo ſtricti juris, quin *juſculorum uſum* permittam *modò diureticorum*, in quibus ſcilicet incoxerint *radices aperientes petroſelini*, *fœniculi*, *aſparagorum*, *cappares*, *majorana*, *hyſſopus & ejuſmodi.* *Carnes euchymæ*, *eupeptæ* vel tyronibus notæ ſunt, *& à piſcibus*, *fructibus*, *leguminibus* prorſus eſſe abſtinendum, ſatis ipſe affectus inſinuat; excipio tamen *ficus & paſſulas ſive damaſcenas*, *ſive corinthiacas.* Sed hæc plus ſatis in re tam clarâ quàm quæ clariſſima.

His omnibus adjungi debet victus ratio ſicca & tenuis.

CAPUT IV.

De Tumoribus aquoſis, ſive Hydropibus particularibus lienis & hepatis.

OBS. CXXI. *Memini me non ſemel olim vidiſſe tetigiſſeque ſplenicos (eorum nomina temporis longitudine effluxa è memoriâ exprimere hîc non licet) quibus lien catarrhopos in immanem excreverat tumorem, qui vel umbilicum infra ſiniſtrum latus longè latéque tenebat, atque evi-*

De tumoribus aquoſis lienis.

evidente renitentiâ ſeu tenſione ſeſe prodebat, & jam ſemel atque iterum cùm evanuiſſet recurrerat. Hoſce alioqui [α] ὀρθοστάδην *laboraſſe & fuſco ſqualidoque habitu a naturâ fuiſſe recordor, & à febre vixiſſe arbitror immunes, certè adeo parvâ, quæ querelam ſui ab iis non exprimeret. Quid præterea de iis, quos curſim duntaxat vidiſſe contigit, dicam, nihil habeo certi.*

De ſolutionibus ejuſmodi tumorum.

OBS. CXXII. *Obſervo autem paſſim in pleriſque febribus continuis jam a principio utrumque vel alterutrum hypochondrium, ſed præſertim dextrum tenſum quidem ſed indolens tamen, & eum tumorem brevi ſubſidere ſive ſpontaneo ſanguinis fluxu ſuperveniente, ſive potiùs eodem ſectione venæ revocato (nam id genus febrium modò tempeſtivè vocatus largâ ſanguinis detractione ſimul & ſemel, aut per epicraſin potiùs ex* [β] *Hippocratis conſilio jugulare, ut cum Galeno loquar, conſuevi) ſive diarrhœâ aquoſâ bilioſâ, ſive profuſo ſudore, ſive per ſe, hoc eſt, ſpontè & ſenſim ſine ſenſu, ſeu inſenſili reſolutione citra ſuppuratum, & citra duritiem immedicabilem: ut pridem annotavi in Nobili Viro L. Stephano Subſtit. Pont. quanquam iiſdem empyema diuturnum ferè & annuum aut ſcirrhum ſuccedere non raro mihi obſervatum.*

Magnus ſanè [γ] *Hippocrates* annotavit tumores œdematis nomine generali expreſſos molles quidem & indolentes, quos ſpontè ſedari innuit, ſed aliàs judicari tardiùs, ut quadrageſimo aut ſexageſimo, idque ſive fluxu ſanguinis, ſive ſuppurato, ſive ſpontè. *Clariſſ. Deſid. Jacotius* & quidam ex Practicis tumoris in liene laxi meminerunt & à febre immunis, ejuſque fugacis. *Clariſſ. Franciſcus Valeſius* eos

α Erectum ſtando. dicitur de leviter ægrotantibus ſic Hipp. lib. Epid. 1. Sect. 1. Aph. 10.

β Lib. de rat. vict. in morbis acutis Aph. 50. ubi medicamentum ἐπικρατικὸν, id eſt contemperativum, deſcribitur.

γ Lib. præn. Aph. 19. Coac. præn. Aph. 281. Τὰ μαλθακὰ δὲ ἀνώδυνα τῶν οἰδημάτων, χρονιώτερα δὲ τὰς κρίσιας ποιέεται, καὶ ἧσσόν ἐστιν ἐπικίνδυνα. τὰς δὲ ἑξήκοντα καὶ ταῦτα ὑπερβάλλοντα τοῦ πυρετοῦ μένοντος, ἐμπυοῦται. Molles verò & doloris expertes tumores, diuturniores judicationes faciunt, & minùs periculoſi ſunt. Sed & hi ſexaginta dies tranſgredientes, febre manente, ſuppurantur.

eos ſic deſcripſiſſe videtur, *ſunt quidam*, inquit ille, *quibus lien valdè durus eſt & magnus, color vero faciei & reliqui corporis non admodum vitioſus, quod quid m neque admodum grave, neque periculoſum eſt: ſignificatur enim ſolum vitium lienis.*

In primis igitur ex hujuſmodi multiplici tumorum numero qui quidem ſine febre ſunt potiùs laxi, quàm verè duri, atque indolentes, eos non eſſe phlegmonodes & verè inflammatorios ſatis conſtat: neque enim phlegmone eſſe ſine gravi febre poteſt; doloris præterea abſentia id confirmat, qui neceſſariò adeſt phlegmoni à ſanguine quocumque, affatim & derepentè viſcus impetente. Tumores hi hepatis & lienis non ſunt phlegmonodes,

Cùm autem durities adjuncta inſinuet eoſdem ſcirrhoſo generi poſſe accenſeri, tamen non quidem ſecundario ſcirrho qui phlegmoni ſucceſſerit malè curatæ, ſed potiùs, qui primigeniâ generatione adortus fuerit lienem aut hepar, veroſimile eſt, ſiquidem febris prægreſſa accuſari non poteſt, cujus ardore arefactum viſcus immedicabilem contraxerit duritiem. Atqui quoniam durities vera quæ ſiccitatis eſt effectus non laxitatem præ ſe fert, & aliàs non ita inſigni & evidenti tumori conjuncta eſt, tumores autem præterea hujuſmodi evaneſcere & obliterari ſive ſenſim ſine ſenſu ac ſpontè, ſive affatim & ſenſibili aliquâ cum evacuatione ſolent, certè neque ad alterum ſcirrhi genus quod à craſſo terrenoque humore ſuæ primordia originis repetat referri poſſunt. Non Scirrhoſi,

Quoniam itaque per hos tumores moles partium augmentum cœpit, atque omnis moles à ſubſtantiâ emanat corporeâ, ut ex phyſicis conſtat, ſanè per additamentum ſubſtantiæ alicujus corporeæ & materiatæ partes intumuerint eſt neceſſe; atque cùm æqualis tumor ſit ferè, tametſi catarrhopos ſeu declivis tantùm percipitur (nam propter ſepimentum coſtarum anarrhopos non facilè detegitur ſed effugit manus contactum) eam ſubſtantiam adjunctam altiùs intimiúſque infuſam immixtamque eſſe æqualiter toti viſceri veroſimile eſt.

Per tumores porro iſtos quia hypochondria ita ſunt tenſa,

ſa, ut non verè dura ſed potiùs laxa tactu judicentur, materiam adjunctam & tumefacientem inde arguere eſt compreſſilem eſſe & ceſſilem, qualis eſt aquæ, quæ facilè cedit moxque refluit, non autem duram, qualis terrena eſt & limus jam à ſole induratus reſoluto magnâ ex parte humore antea imbibito. Quia præterea tumores iſti ſpontè ſubſident, & ſine ſenſu, itaque perfectè quandoque, ut nativæ magnitudini mollitieique æquabili reſtituta ſibi pars videatur, etſi aliàs ſupereſt renitentia & durities, conjicere eſt additam illam ſubſtantiam perfectæ reſolutionis eſſe capacem omninò, quæ nihil terreni craſſamenti ex ſe relinquat, aut certè maximâ ex parte reſolvi poſſit, quæ exiguum quiddam reſolutionis impatiens relinquat, qualis ſanè ſubſtantia eſt aut vaporoſa omninò, aut aquea ſimplex, aut cui terrenum quoddam craſſamentum fuerit admixtum.

Neque vaporoſi: Sedenim quia ſi detur eſſe vaporoſam, eam neceſſe eſt ipſâ in parte tumefactâ genitam fuiſſe (nam per vaſa anguſta obliquè inteſtinorum corpori inſerta oſcillaque eorum longè anguſtiſſima craſſis ex inteſtinis, ſunt enim flatuum conceptacula, flatus ſubire ſpontè, aut ex ipſis inteſtinis quaſi exugi trajicique porro ac deferri per anfractuóſos vaſorum ſinus in viſcera uſque improbabile eſt, ne dicam dictu ridiculum) gigni, inquam, vaporoſam ſubſtantiam in viſcere ex ſubjectâ aliquâ materiâ oportet, materia autem vaporis eſt prorſus aquea, ut conſtat ex phyſicis, reſolvitur profectò materialis cauſa omnis propoſitorum tumorum tandem in aqueam.

Certè ut non diffitear ſive vaſa, ſive viſcera turgere poſſe ſpiritali & caliginoſâ aliquando materiâ, uti cenſuit *Doctus Coac. interpres modò citatus*, in eâ tamen ſum hæreſi hujuſmodi vaporem nihil aliud eſſe, quàm ſerum ſive aquam in maſſa ſanguinis vel chylo confuſam, calore attenuatam & concepto agitatam fervore, quod Philoſophiæ

Sed Aquoſi; & Sapientum conſenſui omninò conſentaneum eſt. *Itaque tumores iſti laxi viſcerum ſuboriuntur per acceſſum humoris aquei ſeſe in intimius eorum corpus ſive parenchyma inſinuantis.*

Quod

Quod confirmat indolentia tumori conjuncta & tenſioni, à cujus enim humoris conferto decubitu in partem membranâ ſuccinctam dolor ſenſuſque triſtis, gravitatis ſaltem ſenſus abeſſe poteſt, niſi ab aquei decubitu ſuâ naturâ lenis omniſque acrimoniæ expertis, ſtatimque per attenuationem, quam ubi primùm viſcera irruit patitur, levitantis, & non niſi per exſudationem ſenſim factam irruentis tenſionemque molientis; non enim ſanguis, aut alius ullus humor terræ particeps citra indolentiam affatim, & ſubitò viſcera invadere poteſt.

Quod confirmant ſigna aſſidentia.

Unde autem illud humidum exorbitans venit impetitque viſcera? Sanè quoniam lien & hepar ſunt conjuncta cum venoſo quidem genere hepar, cum arterioſo autem potiſſimùm lien (loquimur enim de ſanguine jam confecto) atque quælibet maſſa, ſed præſertim ſanguinis arterioſi plurimo eſt ſero affuſa, *haud dubium eſſe poteſt ab utroque vaſorum genere ſeroſam pleonexiam deponi in utrumque viſcus poſſe ſive ſponte, ſive pulſu motuque naturæ copiâ ejus aggravatæ & irritatæ, ſive ſeorſim, ut evenit in diarrhœis bilioſis, ſive unà cum ſanguine ipſo turgente, ſed ita ut ſanguis ipſe quidem in vaſis ſubſiſtat, ſerum autem ex iis exundet in lobos, atque tumorem excitet.*

Aqua exorbitans impetit hepar per venas, lienem per arterias.

vel ſeorſim, vel unà cum ſanguine.

Nam ita duo tumorum genera ſuboriuntur, quorum unum à ſeri duntaxat decubitu ſine febre eſt quidem ſaltem non magnâ & gravi, certè minimè periculoſâ & ſubſidet ſponte; alterum cum gravi & acutâ febre & ſuppurato ferè ſolvi ſolet. Scilicet ſanguis acratos in vaſis ſubſiſtens niſi revocetur tempeſtivè venæ ſectione, & aliis revulſionis generibus, putreſcat neceſſe eſt ac ſuppuretur, unde febris & ſolutio tumoris plerumque funeſta per empyema.

Inde duo tumorum genera ſuboriuntur: Unum ſine febre, vel exiguâ, Alterum cum febre gravi & acutâ.

Id porrò diſcrimen inter duo viſcera inſinuat ratio, experientiaque confirmat, ut quoniam ſanguis arterioſus longè copioſiore ſero ſcatet, quàm venoſus qui craſſior eſt crudiorque: & præterea hepatis vaſa quàm lienis longè exiliora & anguſtiora, *hepar inde magis quidem opportunum ſit tumoribus, qui à ſero unà cum ſanguinis affluxu fiunt atque febre magna ſuccincti ſuppurato terminantur, contra*

Huic tumorum generi hepar magis obnoxium eſt:

lien

Iſti lien. *lien iis obnoxius ſit magis tumoribus, qui ab unius decubitu ſeri excitati ſebrem non ita magnam habent adjunctam & per ſe ſedantur;* quanquam utrique tumores averti poſſunt ſi medicus tempeſtivè vocatus vel eos jam præſentes advertens, vel jam jam inſtantes prævidens legitima remedia revulſioni materiæ influentis adhibuerit, atque etiam influxuræ, & cauſam moventem ſive occaſionem correxerit, v. g. plenitudinem ſanguinis & ſeri, vel ſubitum frigus ambientis, ob cujus occurſum & ex crebris intervallis ex inopinato repetentem in Septentrionalibus terræ plagis nullum genus febrium obſervo frequentius graſſari & adoriri corpora præſertim juvenum plethorica, nec ſatis ſibi cauta providaque harum ſubitarum aëris mutationum, & etiam eaſdem negligentia præ nimiâ juvenilis roboris confidentiâ.

Nimirum rara juvenum corpora Boreas ex improviſo perflans altiúſque penetrans, præſertim ſi auſtrinam conſtitutionem exceperit, è circumferentiâ redundantem in vaſis ſanguinem unà cum ſero & ſæpiùs ſerum ſolum, quippè facilè ſeparabile, in præcordia magnâ vi pellit truditque; quo ſanè neceſſariò in ſtipites cùm ruant, in viſcera quoque ſeu fontes, ex quibus primò dimanarunt, impetere evenit, & ſæpè ſubſiſtere in anguſtiis radicum vaſorum præſertim ſanguinem craſſum, nam nullo negotio ſerum erumpit è vaſis, irrumpitque in poros parenchymatis: *itaque raræ ſunt febres, in quibus ab hoc ſanguinis recurſu ambo viſcera, aut ſaltem alterum ex iis non intumeat ut plurimùm.*

De tumore hepatis inflammatorio, cum ſero ſuperfluo.

OBS. CXXIII. *Equidem experientiâ quotidianâ obſervo paſſim hujuſmodi tumores, & inter alios memini me vidiſſe in diſſecto cadavere Illuſtris Adoleſcentis Baronis Ferdinandi ab Henauſen, cui febris cum tumore inflammatorio tertiùm recurrerat intra unum annum, eaque lethalis, lobos quidem omnes hepatis admodum turgentes ſed laxos & molles, interiùs autem viſcus ſtupendâ rigidum duritie & retorridum: ſcilicet lobos ſeri non minor pars invaſerat, nam reliqua portio in alvum primum ſeptenarium decubuerat, unde diarrrhœa hydatotis,*

tis, ſed ſanguis in vaſis ſubſtiterat & interno viſcere, in eoque uſtione concreverat in duritiem inſignem.

Quin etiam non improbabile eſt ſeroſam ſanguinis partem in ſpatium membranam inter & parenchyma interjectum excuti poſſe, aut ſenſim exudare colligique eâ copiâ, quæ tumorem excitet, ut eſt à nobis annotatum ex α *Hippocrate* ſuperiore obſervatione.

Colligitur etiam ſerum illud in ſpatio membranam inter & parenchyma interjecto.

Adhæc quoniam viſcera ambo ſibi per duplicem portam conjunguntur, non eſt dubium alterutrum in alterum poſſe deponere ſuam pleonexiam, & tumorum exhibere materiam. Atqui quoniam ſpeciatim lien cum ventriculo conjungitur immediatè per vaſa brevia quidem ſed ampla, eaque plura: nam hepar ei per media inteſtina connectitur & vaſa ſed longiora obliquiúſque inſerta & ſurſum aſcendentia, minori ſanè negotio magna aquæ epotæ pars pervenire poteſt è ventriculo in lienem ſive potiùs tractu ipſius lienis, quandoquidem vaſa lieni & ventriculo communia non nihil obliquè incedunt duas inter ventriculi tunicas.

Interdum etiam unum viſcus pleonexiam ſuam in alterum deponit.

Sic ventriculus lieni magnam aquæ partem communicat.

Quoniam enim lien ex inſtituto naturæ fluxiliorem atque adeo aquoſiorem chyli partem è ventriculo immediatè trahit exugitque in dies, ex quâ calidum & tenuem ſanguinem ſibi totique conficit & minorem ejus confecti partem apponit ſibi, ſed majorem per arterias in univerſum corpus diſtribuit, atque interea renes ſerum jam ſuperfluum ebibunt ſecernuntque à ſanguine, lien autem eam in chylo partem aqueam trahit abundantiùs, quò calor tractionis omnis inſtrumentum in eo magis viget, quæ univerſa ſunt in phyſicis demonſtrata, neceſſe eſt profectò lienem æſtuoſum ſive à naturâ, ſive aliam ob cauſam multæ aquæ ſitientem ab intemperatiore tractu aquoſioris chyli è ventriculo in dies continuante turgere tandem collectâ aquâ, & maximè parenchyma ejus rarum, ſpongioſum, atque bibulum, ſi præſertim eveniat renes in ſuo munere ſegniores evadere: quod utique evenit cùm ab aſſiduo ſanguinis ſeroſi affluxu nativus eorum calor impenſiùs refrige-

Zz ra-

α Coac. præn. Aph. 281. *καὶ γίνεται δὲ ταῦτα μὲν ἐν χιτῶνι.* Atque hi quidem. (ſc. tumores) in tunicâ fiunt.

ratur, aut verò ſaburrâ arenoſâ, terreniſque & craſſis ſordibus, quæ cum aquâ in potum veniente ferè ſunt commixtæ, ipſi obſtruuntur.

Lien tumoribus ejuſmodi laxis & immanibus opportunum eſt;

Itaque quibus lien à naturâ præcalidus, ii tumoribus ferè laxis & immanibus ac prodigioſis vivunt obnoxii, quique quandoque ſubſidunt ſpontè, aut certè in ſcirrhum degenerant, quòd craſſamenta illa terrena diſcuſſionis ſint impatientia. Poroſa ſanè lienis ſubſtantia bibulaque & calida à naturâ magnum adfert apparatum ad frequentiam ut & ad ſtupendam molem ejuſmodi tumorum: nam ſi hepar denſâ carne in duplo vel triplo naturali majorem molem præter naturam poteſt intumeſcere;

De maximo hepatis tumore.

OBS. CXXIV. *Ut non ita pridem in hoſtiario principalis cameræ vi hepatitidis abrepto obſervavi, cui hepar in molem ſupra admirationem extuberaverat*, lienem ἀραιοσαρκότερον in quintuplo vel ſextuplo majorem nativâ excreſcere molem non mirandum, præſertim cum potus quotidianus materiam abundè ſubminiſtret.

Hanc Doctrinam confirmant, 1, Generatio horum tumor. ſenſim fieri ſolita,

Hujus autem doctrinæ de *continente cauſâ horum tumorum ſeroſâ ſcilicet colluvie* argumentum eſt in primis *generatio horum tumorum* non ſimul & ſemel ſed *ſenſim fieri ſolita*; cujus ſignum indolentia. Scilicet ſi per pulſum fieret tumor, omnino affatim invaderet viſcus, cùm pulſus materiæ naturam aggravantis confertim fiat præſertim in publicis officinis: attractio enim contrà fit pedetentim & ſine ſenſu, quippe quæ reſpondet inanitioni habitus corporis à cauſis externis ſenſim fieri conſuetæ.

2. Eorundem ſubſidentia, ſeu modus ſolutionis.

Deinde idem convincit ſubſidentia tumoris temporis progreſſu & ſpontè ſuccedens, citraque ſuppuratum, aut ſcirrhum, etſi quandoque hunc relinquat, nedum difficiles obſtructiones ſive ex craſſamentis terrenis in potum venientibus & ſimul à viſcere cum potu ebibitis, ſive à crudioribus & indomitis chyli partibus ab æſtuoſo liene intempeſtivè attractis, & poroſum ejus corpus altiùs pervadentibus, nec à calore viſceris ſenſim remiſſiore facto unà cum ſeroſo humore reſolvi & attenuari aptis, ſed magis magiſque incraſſari ob indomabilem naturam. Unde tumor quidem per reſo-

ſolutionem perfectam decrementum tale capit, ut ferè ad magnitudinem redeat naturalem, ſed edurum tamen reſtet viſcus ob altiùs impactum craſſamentum terrenum, nedum illud quod in vaſis ſubſtitit, & obſtructiones infert contumaces.

Atqui hanc profectò doctrinam mirificè confirmat tum cauſarum externarum, tum ſymptomatum aſſidentium ſpeculatio. α *Hipp.* namque obſervatione lienoſi plerumque fiunt ab uſu aquarum lutulentarum quales paluſtris, & id genus, & omnium medicorum experimento horum tumorum cibi etiam craſſi viſcidi ſunt fomites, & præſertim fructus, & lacticinia, atque leguminum juſcula: nam hæc aqueum & terrenum alimentum plurimum ſuggerunt. 3. Cauſæ externæ.

Quod autem attinet ad ſymptomata aſſidentia iſtis tumoribus, liene certè præexiſtenti in vaſis ſanguini & in dies in corporis nutricatum inſumpto ſubſtituente deinceps atque affundente ſeroſum ſanguinem (ſi ſanguinis nomen meretur ſanguis ichoroſus fibrarumque expers, quem morbidum vocat β *Ariſtoteles*) quippe cùm lien non niſi fluxam & tenuem chyli partem antequam ſolida ciborum ſubſtantia fuſionem acceperit intempeſtivè præripiat, infelicem ſequi neceſſe eſt totius corporis nutritionem, & habitus omnem marceſcere florem, qui præcipuè aliàs viget in ſanguine arterioſo ſpiritu quippe vitali fœcundiſſimo, quod de ſententia *Hippocratis* γ *Galenus* docuit: *quibus lien creſcit*, inquit ille, *his corpus contabeſcit ac vitioſis impletur humoribus, & contra quibus lien decreſcit, iis corpus florem reſumit.* 4. Symptomata aſſidentia.

Quoniam enim ſanguis aquoſus præter naturam tenuis lentoriſque expers eſt, certè nec apponitur partibus nec affigitur; & præterea aqua in ſanguine nimiùm redundans ſpiritus vitalis ubertati adverſatur, corpus inde tabeſcat & flo-

α Lib. de aere locis & aquis aph. 25. τοῖσι δὲ πίνουσι (ὕδατα ἑλώδεα) σπλῆνας μὲν αἰεὶ μεγάλους εἶναι, καὶ μεμυωμένους. Bibentibus autem (aquas paluſtres) ſplenes ſemper ſunt magni ac pleni.

β 4. meteor.

γ 2. de natur. facult.

florem gratioſum amittat oportet : quo ſanè ſerum redundet neceſſe eſt in toto corpore & maximè infernis partibus. Ex quo etiam ſpiritibus in toto ferè obrutis ob aquæ copiam magna corporis ſequitur gravitas & ſegnities imbecillitaſque, & ex ejus conſcientiâ, viriumque corporis diffidentiâ mira animi ignavia & anguſtia, atque ad metum propenſio.

Quia porro redundans in maſſâ ſanguinis aqua gravitat, inde pleonexia ſeroſa ſeſe in infernis partibus magis prodit: itaque varices fiunt & tumores pedum.

Sed & quoniam aqua non eâ copiâ à vitali ſpiritu illuſtratur quâ par eſt, indè ea facilè putreſcit non ventilata ut debet: nam *vitium capiunt ni moveantur aquæ*.

A putreſcente autem etſi leviter & ſimul redundante in partibus inferioribus aquâ calent præter naturam genua, pedeſque.

Imò verò eadem putreſcens effervеſcit in partes ſuperiores, hinc ſpontè è naribus exudat ſtillatque ſanguis aquoſus, acrimoniâque ſuâ partes teneriores invadens, ut carnes gingivarum, eas exedit, putrefacit, corrumpitque, & à dentibus abſcedere facit: ex quâ corruptelâ partium oris anima ipſa fœtet.

Quin etiam ab eâdem cauſâ ulceribus dyſepulotis crura manant fœdanturque. Denique quia aquæ fervor ille eſt levis & in ſubjecto aqueo frigidoque ineſt, certè febris minùs evidens ſed obſcura, & quæ in extremis partibus in quas decubuit gravis humor ſeſe prodit.

Atque hæc ſatis de tumoribus præſertim aquoſis, quæ diſcutienda & examinanda relinquo medicis, ſi quando ejuſcemodi affectus occurrerint. Quos tumores ad frigidos referri debere ſatis conſtat, quanquam calida intemperies occaſionem dederit: certum namque eſt viſcus à contactu aquæ diutiùs ſtagnantis tandem refrigerari. Unde hoſce tumores non temerè ad hydropem referre poſſumus ex analogiâ hydropis pulmonis vel cerebri, cùm in iis viſcera poroſa ſuâ naturâ juxtà atque illæ partes plurimâ aquâ ſint prægnantia & diſtenta.

Tumores iſti cùm frigidi ſint, non temerè ad hydropem referuntur.

Atqui

Atqui quod ad *Curationem* attinet, primi quidem generis tumores qui cum febre plerumque gravi ſunt conjuncti, inſinuant certè *revulſionem ſanguinis ſeroſi, vel ſeri ipſius à viſceribus, tum vacuationem influxi jam & impacti humoris in ipſis viſceribus ſive ſenſilem, ſive inſenſilem:* nam de indicationibus quas febris conjuncta confert, non eſt inſtituti noſtri hoc loco dicere.

Curatio Primi tumorum generis, cum febre gravi, duos habet Scopos.

Revulſio autem potiſſimùm obtinebitur *Venæ ſectione* præſertim ſi ſanguis ſeroſus impetat viſcera, quæ ſemel & iterum vel eâdem die repeti debet antequam ſanguis altiùs impingatur. Interea autem providentia cauſæ impellentis habebitur, ut v. g. frigoris ambientis, & aliarum ejuſmodi, & eodem etiam tempore cætera revulſionis genera poſſunt adminiſtrari, & præſertim *frictiones, atque ligaturæ partium extremarum:* nam balnea nimiùm ſuſpecta ſunt.

I. Complectitur revulſionem ſeri à viſceribus; tam per V. S. quàm per ligaturas & frictiones extremar. partium.

Iis commodùm ſuccedent *Vacuantia ſed moderatè admodùm*, quæ ſcilicet poſſunt è viſceribus ſerum blandè educere, qualia ſunt *ſyrupus roſarum ſolutivus, caſſia, electarium lenitivum, & rheum barbarum*, potiſſimùm ſi conjuncta ſit diarrhœa billioſa ut ferè evenit, *cujus uſus in pulvere & ſubſtantia cum conſervâ aliquâ cichorii vel roſarum, aut ſucco cichorii in formâ boli vel pilularum maximoperè probatur:* quorum vicem geret *ſyrupus de cichorio compoſitus cum rheo, vel ejuſdem rhei infuſum in decocto endiviæ, portulacæ, tamarindorum & myrobalanorum.*

II. Vacuationem Ejuſdem 1. per purgantia moderata.

Vacuatio pariter per *diuretica ſed frigida & lenientia* mihi commendatur plurimùm, qualia ſunt *decocta radicum aſparagorum, agrimonii, cichorii cum toto, capilli veneris, betonicæ, & id genus cum ſyrupis herbarum prædictarum, ut capilli veneris, & ſimilibus.*

2. Diuretica frigida & lenientia.

Vacuatio porrò inſenſilis per medicamenta ut tentari poſſit non video, ſiquidem quæ digerere poſſunt interiùs aſſumpta quia calida, ea à febre prohibentur: externa autem tum hac ratione improbantur, tum quia uſus exigui ſunt, cùm ſeptum coſtarum oſſearum vim eorum intercludat.

Jam vero quoniam proprium lieni tumoris genus continentem cauſam habet aqueum humorem non ſponte, aut

Curatio

Secundi generis tumorum, lieni propriorum, Tres habet ſcopos, I. eſt cohibitio attractionis ſeri. II. Humoris attracti evacuatio.

motu pulſus influxum, ſed tractione illectum, cujus tractionis principium ipſe lien eſt, *Scopi* ſanè *Curationis in cohibendâ tractione & attracti humoris evacuatione verſantur.* Nam neque revulſio derivatiove locum habere poſſunt: quia autem importuna illa tractio aqueæ in chylo partis fit per calidam lienis intemperiem, *iſthæc intemperies uſu contrariorum in primis corrigenda venit, ex adverſo verò evacuatio ſeroſi humoris inſenſilis quidem non niſi per calefacientia poteſt obtineri. Prædicti itaque ſcopi contraria indicant: quocirca ita temperandus eſt uſus reſolventium ſive diſcutientium, ut ab eorum uſu viſceris intemperies incrementum non capiat, niſi potiùs ab iis reſolventibus prorſus abſtinere præſtat, & ſolis ſenſibiliter vacuantibus inſiſtendum* Denique quia cum aqueâ chyli parte neſcio quid *terreni craſſamenti* attrahitur ab ipſo liene, hoc etiam *abſtergendum*, ne ineluctabilis relinquatur ſcirrhus.

III. Abſterſio terreni in liene craſſamenti.

His præmittatur lene aliquod pharmacum, & venæſectio.

Quoniam ergo prædictorum remediorum uſus corpus εὔροον poſtulat, præmittendum certè *lene aliquod pharmacum & baſilica ſiniſtra aperienda*, ut facilem medicamenta cætera inveniant viam, quæ ſanguinis detractio etſi ad revulſionem non confert, nec à tumore indicatur, tamen haud dubiè calidam viſceris intemperiem emendat.

I. & II. ſcopus expedietur tam per purgantia;

Quantum igitur ad *Purgationem* attinet, quia & humor fluxilis eſt atque ſequax, & focus humoris ventriculo admodum vicinus, *medicamenta mediocria ſatis erunt*, cujus generis *folia ſenæ*, *carthamus*, *pilulæ de fumariâ*, *pulvis diaſenæ*, *ſyrupus vel mel roſarum ſolutivum*, *ſyrupus de pomis regis ſabor*, *& de polipodio*: quæ medicamenta cùm repetita ſufficere poſſint, tum calidam viſceris temperiem minimè augent.

quàm diuretica: utraque moderata.

Quæ moderatio temperiei etiam in *vacuantibus per urinas* deſideratur, ut *utrique Scopo* ſatisfiat. Itaque è *diureticorum ſylvâ temperata ſed lieni familiaria ſunt eligenda:* nam quæ per ſudores aquam in liene vacuant, quia citra inſignem calorem id præſtare nequeunt, ſuſpecta ſanè meritò ſunt. Quanquam autem diuretica ſive ſerum per renes educentia paſſim liquida exhibentur, tamen quoniam hæc

ſunt

ſunt aquæ genera & rectà ſplenem ſubeunt, ideóque tumori augmentum adferre nata, iis præferenda videntur, quæ ſolidam aut certe mediam conſiſtentiam habent, quæ non verendum eſt celeriter, & integris viribus lienem pervadere poſſe ob inſignem vaſorum lienis cum ventriculo connexionem & viciniam. Præter ſuperiùs ergo dicta ex uſu erunt *ſyrupi de radicibus*, *oxymel ſimplex*, *ſyrupus de betonicâ, & byſantinus*, quibus *decocta* ſed in modicâ & æquali quantitate adjici poſſunt non ſolùm *ex herbis prædictis*, ſed ad *Abſterſionem craſſamenti viſcidi cum aqueâ chyli parte attracti & materiæ alioqui ſcirrhi*, *decocta radicum tamariſci*, *herbarum chamædryos*, *chamæpityos*, *abſyntii*, *ſaturejæ*, *pulegii*, *calamenti*, *marrubii*, *ſcordii*, *ſeminum apii*, *fœniculi*, *petroſelini*, *agni caſti*; *quibus cichoracea & frigida commemorata temperationis gratiâ adjici debent*: & *cùm radices in aceto macerari poſſint*, *tum ſyrupus acetoſus*, *oxyſaccarum & omninò acetum omnibus medicamentis ex conſilio Galeni affundendum*. III. Per medicamenta partim interna, 1. liquida.

In *ſolidâ* autem *ſubſtantiâ* medicamenta hæc probantur, 2. ſolida. *pulveres ſcilicet ceterach*, *ſeminis agni caſti*, *trochiſci de capparibus*, *de eupatorio*, *de laccâ*, *aromaticum roſatum*, *diacuminum*, & *ejuſmodi*: *conſervæ item capilli veneris*, *ceterach*, *cichorei*, *betonicæ*, *cum quibus pulveres prædicti poſſunt miſceri*, *uti & ſina*, *atque ſazzafraſſum*: *quorum etiam decocta non improbantur*, à quibus metus non eſt ne augeatur pleonexia ſeroſa, cùm celerrimè diſtribuantur.

Non improbantur *medicamenta chalybeata*, ubi jam ex 3. Chalybeata. parte detumuerit lien, & ſuperſtes fuerit aliqua durities, ſed eâ lege ut integram chalybis ſubſtantiam non admittant, indomabilem ſcilicet à naturâ humanâ. Ergo *vinum chalybeatum*, *aut infuſa*, quæ paſſim à Practicis præſcribuntur locum habebunt.

Poſtremò inter medicamenta omnia principatum tenet 4. per acidulas. *aqua acida*, ut *Spadenſis*, cujus uſus experimentis quotidianis in tumoribus & infarctibus viſcerum comprobatur, cui ſuccedanea eſſe poteſt *aqua chalybeata Alexandri Petronii Romani*, quæ aſtrictione quâdam veluti exprimit ſero-

ſum

ſum in liene humorem, unáque robur ei adfert mirificum.

Partim externa, reſolventia, emollientia & roborantia, &c.

Atqui ex *medicamentis externis modicè reſolventia* probari poſſunt, à quibus intemperies calida viſceris minimè augeatur, quibus tamen in fine, ſi durities reſtiterit, *emollientia* non inutiliter adjunguntur & ſemper *roborantia viſcus modicâ adſtrictione*; denique *acetum penetrationis gratiâ*. Laudantur igitur *olea amygdalarum amararum*, *chamæmelinum completum*, *liliorum alborum cum aromatibus*, *& de capparibus*; *axungia & adipes gallinæ*, *anſeris*, *medulla vituli*; *ammoniacum*, *unguentum dialtheas*, *de meliloto*: denique *fomenta ex decocto radicum altheæ*, *malvæ*, *corticum radicum capparorum*, *tamariſci*, *herbarum ceterach*, *abſynthii*, *chamædryos*, *pulegii*, *calamenti*, *ſeminum lini*, *fœnigræci*, *quorum fotus litibus præmittendus*. Quoniam tamen metus eſt ne ab his calida viſceris intemperies capiat incrementum, ad id coërcendum *frigida victus ratio & ſicca* quantum fieri poteſt inſtituetur. *Juſcula* ergo in uſum non venient niſi alterata *endiviâ*, *boragine*, *bugloſſo*; quæ medicamentoſa erunt magis ſi *radicibus quoque aperientibus*, ut *aſparagorum*, *& capparibus* alterentur. *Carnes* laudantur *euchymæ*, *eupeptæ*, *vitulina*, *hædina*, *avium domeſticarum*, *perdicum*. *Vinum tenue oligophorum*, *certè dilutum aquâ chalybeatâ convenit*. Nam meracum & generoſum quia ſtatim viſcus ferit improbatur: *abſynthites* tamen non inſalubre *ſed decocto agrimonii dilutum* & primâ menſâ ebibitum, ut vim medicamenti gerat. Inter *fructus* commendantur *caricæ cum thymo*, uti & *amygdalæ amaræ*, ſed primâ menſâ pariter ſumendæ. *Exercitatio* denique moderata & cibo præmiſſa pro ſaluberrimâ habetur, ut inſalubris quæ ſtatim cibum excipit.

Quibus adjungatur victus ratio frigida & ſicca.

C A-

CAPUT V.

De Hydrope uteri, & partu Lunæ, molæ ſpecie.

OBS. CXXV. *Vidua quædam paupercula Claudia Bernard, quæ habitabat in angiportu vici ſacerdotum, appetentibus menſtruis per duodecim annos circiter motibus afflictata eſt convulſivis, atque hyſterica dicta ſymptomata (uti accepi) paſſa eſt: tandem phlegmone uteri cum febre acutâ ſupervenit, quæ in empyema degeneravit. In demortuæ cadavere uterum plurimâ aquâ turgentem, & veſiculis quibuſdam purulentâ materiâ prægnantibus diſtinctum reperimus, pariterque abdomen multâ aquâ diſtentum. Scilicet cùm febre hecticâ ratione abſceſſus uterini per triennium laboraſſet, & ratione ſitis perpetuæ largiùs aquam epotaſſet, ſerum in vaſis toto corpore redundans exudavit partim in abdomen, partim in uterum, cum ad eum vaſa inſignis magnitudinis perveniant, & in tabidis corporibus ſeroſus admodum ſanguis reſtagnare in vaſis ſoleat.* De Hydrope uteri.

OBS. CXXVI. Veſiculæ autem illæ prægnantes pure tenui, quas in illâ obſervavi, mihi refricant memoriam *ejus ſpeciei molæ, quæ mihi à Nobili Matronâ Anth. le Feure deſcripta eſt & obſervata ſæpiculè ab obſtetrice famoſiſſimâ Cuſtinâ dictâ; narrabat ſcilicet obſtetrix illa, ſe inter partus monſtruoſos vidiſſe enixum quemdam veluti globum membranoſum flatuoſo quodam ſpiritu turgentem & diſtinctum diſtentumque veſiculis quibuſdam aqueo humore puri non abſimili ſcatentibus & plenis, & aliàs pellucentem, ut faciem Lunæ quodammodo exprimeret, unde partum Lunæ vocabat, affirmabatque magnâ vi ex utero erumpere & devolvi in terram, atque è terrâ ad uterum reſilire inſtar pilæ cujuſdam.* Videlicet à flatu naturâ ſuâ levitante plenus globus ille illiſus in terram remittebatur & ſubſiliebat non aliter atque pila aëre diſtenta excuſſa in terram reſilire ſolet. Haud enim dubium eſt, infœcundum ſemen & crudum poſſe in veſiculam delinea- De partu quodam Lunæ, ſpecie molæ. Ejus generatio.

 ri

ri & deformari, quæ lapſu temporis ſero ſenſim è vaſis exundante impleatur. Quo calore loci attenuato & in flatulentum converſo, neceſſe eſt uterum in inſignem attolli tumorem, qui mole ſuâ tandem naturam ad ſui excluſionem & veluti partum ſollicitet.

CAPUT VI.

De Iſchuria Memorabili cum ſudore perenni.

Morbi prima invaſio.

OBS. CXXVII. *AMpliſſimum & Prudentiſſimum Virum Anthonium de Gatinois, Dominum de Drouville, in ameno illo ſuo in Fano D. Nicolai ſeceſſu ſolitudini de more vacantem, hoc eſt, multa ſuper miſerabili tum ſtatu Regni Gallici meditantem ex inopinato Iſchuria adoritur: ea autem jam unum diem preſſerat Virum conſtantem, cùm apud me ex aulâ evocatum de urinâ penitus ſuppreſſâ querimoniam habet, & alioqui imum ventrem minimè diſtentum affirmat. Ergo, inquam, utrumque renem pertinax obſedit aliquis calculus: nam & nulla profectò alia à calculo cauſa firmum cæteroqui & alacrem hominem derepentè urinæ exitu privare poteſt, & veteres tuas querelas de nephritide memini. Itaque omnes machinæ & baliſtæ in murum illum intendendæ ſaxeum, qui effluxui inutilis alioqui humoris obicem ſe præbet. Sit ita ſanè, infit ille, & quanquam averſus ab omni medicamentorum genere, tamen enema unum & alterum, bolum caſſiæ cum rheo, & detractionem ſanguinis è malleolo probat, & imprimis diætam atterendis calculis atque lubricandis viis peridoneam inſtituit, crebróque per acclivia & declivia equo aut carrucâ vectus decurrit, ſed fruſtra: ſeptem interea dies integri dilabuntur & nullam aquæ guttulam reddit, imo quatuor ſupra diffugiunt, cùm primùm urinam ad libras duas circiter fundit; ſed iterum urina ſupprimitur, & novemdecim dies ſicci prætervolant, quos iſchuria ſecundò totos urget. Quæ certè ſiccitas non mediocriter animum meum tum pupugit, quòd me-*

Secunda invaſio.

mi-

miniſſem claſſicos auctores uno conſenſu iſchuriam ſeptem dierum lethalem affirmare; & nihilominus Vir Magnanimus non deſpondit animum. Circa trigeſimum autem circiter diem à primâ ſuppreſſione ſex circiter libras affatim eminxit, ſed mox tertiùm iſchuria repetiit æquè ut antè pertinax. Tum verò corpus univerſum jam antè per pluſculos dies uvidum ſpectabili continuoque cœpit diffluere ſudore, & tam inſuavi & olido, ut vix ferrem præſentiam Colendiſſimi Affinis. Dies autem jam decem ſudor ille noctefque tenebat, cùm ecce derepentè dolor renum atrociſſimus cauſarium adoritur, ſed is mox (nam nullus dolor atrox & acerbus idemque diuturnus) ſemicupio paucas intra horas cedit, & ſimitu duo ab illo excreti calculi formâ & caractere dactylorum nucleis ſimiles ſed longè majores, quorum enixu ſucceſſit liberalis diuque optata, & facilis deinceps mictio. Memorabilis ſanè fuit illa urinæ ſuppreſſio & propè incredibilis, ſed ſudor perpetuus & ejus vicarius in *Nobili Viro* incolumitatem diu in incerto nutantem retinuit, per quem ſcilicet colluvies toto corpore ſeroſa & jam præ morâ diuturnâ putrida ſenſim expurgata fuit, aliàs fortè non ita impunè tuliſſet tam obſtinatam & omni fide majorem ſuppreſſionem. Quærere autem aliquis poſſet quî fieri potuerit ut toto illo quadragenario ſemel & iterum urinam reddiderit, eaque extemplò ſuppreſſa penitus fuerit. Fieri ſanè potuit ut lapillus hærens in pelvis fine exortuque ureteris aliquo corporis motu ſurſum in pelvim rejectus aſcenderit itaque liberum aquæ deſcenſum præbuerit, ſed idem mox decidens ſpontè & ab aquâ decumbente deſuper preſſus expreſſuſque iterum in ureteris principium exitum ut antè denegarit ſero: credibile enim eſt hæſiſſe toto illo tempore in exortu ureteris lapillum ſecundùm unam ex extremitatibus ſeu mucronem, non autem ſecundùm corpus medium, quod cùm ureterem ipſum vi ſubiit tum verò dolor gravis urgere cœpit, nam in pelvi amplâ lapis ſanè abſque moleſtiâ deliteſcere potuit unáque penitus intercipere urinam.

Tertia: Cui ſe adjunxit ſudor per plures dies continuus. Solutio totalis. Sudoris hujus effectus. Cur urina ſæpiùs ſuppreſſa & iterum reddita fuerit.

OBS. CXXVIII. Cæterùm *obſervavi Iſchuriam non minùs memorabilem, ſed diſparem ſortitam exitum, in Joanne* Cha-

De Iſchuriâ lethali.

Chavotio, Nobili Pharmacopœo Pontano. Hic cùm alterum è renibus grandiore calculo obſeſſum ante annos viginti traheret, ſive geſtaret, cujus ipſe alioqui benè conſcius erat, quippè à perpetuo gravitatis & æſtus ſenſu ſatis edoctus, ineunte anno climactericorum principe circa veris initium ex inopinato in perfectam Iſchuriam incidit, eamque cum ſummis cruciatibus conjunctam, altero ſcilicet rene aut potiùs uretere tum penitus obſtructo & occupato ab inſigni lapide deſubitò ex alveo renis in ipſum ureterem delapſo, atque mediâ in viâ hærente adeo pervicaciter, ut totis viginti diebus ſemel & vix ſcyathum aquæ reddere potuerit: natura ſanè ſummo cum conatu in eo deturbando tamdiu laboravit, nec quanquam revocante atroci dolore ipſa ab illâ contentione deſtitit, quamdiu vires conſtitêre, & continuitatem ſuam ureter retinere potuit: nam ad medium ureterem tandem perveniens lapis ita eum dilaceravit divulſitque, ut in divulſis fibris tandem intricatus fuerit, & Vir conſtans penitus fractis à laborioſo illo enixu viribus piam animam Deo reddiderit. In cadavere certè non ſine ſtupore repertus calculus mirè, ut dixi, implexus atque involutus.

CAPUT VII.

De Hydrocele.

OBS. CXXIX. R*Everendo Præſuli primùm viro facto intumuit ſcrotum, nec deſtitit vel à viginti annis continuò intumeſcere & trimeſtri quoque ſpatio Nobilem Virum apertioni ejus, quò humor tumoris cauſa effluat, obligare. Aqueum autem prorſus fuiſſe humorem diſtendentem ſatis conſtitit, quòd ſcrotum poſitâ ex adverſo flammâ ſeu lumine traluceret tranſpareretque: nam ut membrana ſuâ naturâ præſertim diſtenta diaphana ſit, ſola tamen aqua inter humores perſpicua eſt, ſed ipſe humor ex apertâ parte ſatis ſeſe oſtendit aqueum.*

Atqui cum generationem is humor tumente in parte accipere minimè poſſit, mirabitur meritò aliquis à viginti annis & ampliùs perennem fuiſſe ſeroſi humoris in ſcrotum de-

defluxum, & alioqui minimè hactenus exitialem aut noxium: verùm ſi altiùs cauſas repetere placet, facilè omnis faceſſet admiratio. Primùm enim ſynathriſmi ejus locus conſtituatur, ut citra controverſiam conſtitui debet, *cavitas media communes inter & proprias teſtium membranas ſive involucra interjecta:* tum verò certum eſt decubitum illum humoris aquei ex abdomine ceu parte mandante fieri & ſecundùm peritonei apophyſin: ſuâ namque ſponte ex alto in declive illud modò dictum cavum præceps ruit humor. Aquæ collectionis locus.

Unde autem in capacitatem abdominis deſcendat (nec enim generari illic ſive in illo vacuo credibile eſt) facilè erit intellectu, ſi meminerimus quod ſuperioribus obſervationibus diffuſiùs eſt demonſtratum, quâ ratione & modo è viſceribus malè affectis, atque aquâ prægnantibus ipſa aqua evadere ſenſim queat parenchyma viſcerum, interque membranas magnorum vaſorum ex iis emergentium gliſcere, ac tandem ex eorum finibus percolari exundareque in abdomen, quod ex ejus collectione progreſſu temporis univerſum intumeſcit, qui tumor hydrops aſcites dicitur.

Quâ doctrinâ ſuppoſitâ illud quoque ex ſe evidens eſt, perfacilè fuiſſe & proclive aquam ſtatim in abdomen exundantem ſibi quoque viam porrò feciſſe, certè inveniſſe in homine præſertim venationi exercitationique corporis omnis generis tum intento, per peritonei productionem illam, quæ extrà abdomen delata teſticulos ſecundùm naturam circumveſtit. Quam ob cauſam potiùs hydrocele ſive tumor aquoſus ſcroti extemplò ſubſecutus, quàm hydrops qui ab aquâ reſtitante fieri ſolet. Cauſa προκαταρκτικὴ,

Age quodnam viſcus incuſari poteſt tanquam primarius fons, unde perennis illius aquæ tamque continuata ſcaturigo & decurſus in abdomen primùm & ex hoc in ſcrotum? Clara ſanè ſunt argumenta lienis æſtuoſi admodum ideoque intemperantis in attrahendo imbibendoque omni fere aqueo humore qui in quotidianum venit potum: nam gracilis habitus ac fuſcus & calidus, nigrum capillamentum, vultus decolor, propenſio in febres ac tumores ſiniſtri hy- προηγουμένη, Pars mandans.

pochondrii unà cum ſingulari prudentiâ & oxythymiâ in *R^{di}* *Viro* inſinuant evidenter ſanguinis atrabilaris prædominium, & lienis fervidam intemperiem, quæ ſeroſi aliàs humoris in toto redundantis, & maximè circa prædictum viſcus cùm cauſæ, tum indices ſunt omni exceptione majores. Profectò non ſolùm *Vir Reverendus* nativam illam ſplenis conſtitutionem præ ſe fert, ſed nobiles ipſius parentes univerſaque familia ita manifeſtè, ut ex *Cariâ* huc appuliſſe merito ex vultu fuſco & melancholico quis ſuſpicari poſſit, *in quâ ſcilicet Cariâ, ob vultus pallorem in incolis, quidam cytharœdus feſtivè dicere ſolebat, mortuos ambulare.*

Prognoſticum. Benè autem habet quòd aqua illa è liene in dies ac dies exundans neutiquam hactenus diuturnam in abdomine moram traxerit, ſed ſibi viam fecerit in ſcrotum: ita enim evaſit aſcitem, qui extincto brevi calore viſcerum omnium nativo paucos intra annos immaturæ morti illum tradidiſſet. Nam cùm eum vitæ ſtatum divinâ providentiâ ſibi elegerit, quæ fœcunditatem teſticulorum non deſideret, æquiori animo ferre debuit eum morbum qui vitæ quidem diuturnitatem promitteret, etſi virilitate aliquatenus exueret.

De remediis autem hujus tumoris non eſt neceſſe dicere cùm tutiſſimo & celerrimo jam ipſe aſſueverit, & conſuetudo illud non valdè moleſtum etiam reddiderit; *ſcilicet apertioni ſcroti ſcalpello factæ, & tertio quoque menſe aut etiam citiùs repetitæ:* nam tædii faſtidiique plenior vita eſſet quæ in commutandâ vel etiam ad mediocritatem reducendâ habituali viſceris intemperie, vel in parciùs ſubminiſtrandâ ſive reſecandâ materiæ ſeroſæ colluviei fomite verſaretur & laboraret.

Curatio, per Scroti apertionem tertio quoque menſe repetitam.

Victus ratio qualis. Hoc unum tantum monere *Reverendum Virum* cupio, *victus rationem* ſibi eam deinceps inſtituendam, quæ ad *frigiditatem cum ſiccitate* inclinet, ut & viſceris phlogoſis reprimatur, & minimè id in poſterum tantâ aquæ copiâ turgeat: nam aliàs *Vir Prudens* medicè congruenterque naturæ vivit.

OBS.

OBS. CXXX. *Cæterum hoc ipſo tempore quo typis hæc conſilia mandantur, Reverendus Religioſus conſpiciendum D. P. Baroto & mihi exhibuit curandumque ſcrotum oppidò quidem immane ſed longè minùs grave quàm moles & tumor ſtupendus præ ſe ferant, quâ levitate ſuſpicor non temerè illud potiùs diſtentum eſſe & prægnans aqueo quàm craſſo aliquo humore. Quam conjecturam confirmare videtur victus ratio in uſu fructuum, herbarum, & cereviſiæ poſita, necnon cantus diuturnus & frequens tuſſis, nota enim eſt ſympathia partium reſpirationi inſervientium cum genitalibus.* Remiſimus autem curam in tempus commodius: ſæva enim hyems vigebat.

MORBI EXTERNI HABITUS A DILUVIE SEROSA.

SECTIO V.

CAPUT I.

DE ARTHRITIDE Conſilium primum.

OBSERVATIO CXXXI.

KALENDIS *Septembribus convocato Collegio Archiatrorum à Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Præſule, decernendi cauſâ de auxiliis quibus tum impendentem ſibi arthritim & deinceps in poſterum avertere atque amoliri poſſet, propoſui in medium quid ſentirem de ortu cauſiſque illius affectus non in genere quidem, ſed in particulari duntaxat. Atque cùm majorum noſtrorum & univerſæ Medicorum ſcholæ ſuper eo argumento decreta non ſolâ auctoritate ſed rationum pondere potiùs (ut veritatis ſtudioſum decet) non tam ſpectans quis dicat, quam quid dicatur, pro meo more diligenter penſitatéque expendiſſem, ſanè tum omnibus ſubductis rationum momentis ſtatui recepta ſcita illa ſubjecto corpori non uſquequaque congruere, ſed alias eſſe arthritidis conjeci cauſas, quæ cùm Illuſtriſſimum Principem à paucis annis, tum vero pleroſque alios & fortaſſe omnes exercet fatigatque, quas cauſas nemo hactenus quod ſciam prodidiſſet.*

Quæ autem rationes me eò impulerint (temerarium namque eſt ab antiquitatis ſtatutis ſine validiſſimis rationum firmamentis diſcedere) ac etiamnum quaſi cogunt recedere à vulgari & præjudicatâ opinione, quanquam ipſa cùm alias non una

&

& eadem ſit ab omnibus conſtanter recepta, non vanam inde propriæ imbecillitatis ſuſpicionem injicit, veniamque dare, imò ingenioſum quemque invitare videtur ad novam ſed meliorem & firmiorem ſi fieri poteſt inquirendam, opera-pretium me facturum eſſe duxi, quandoquidem intelligo Illuſtriſſimum Principem exterorum Medicorum præſentiâ invitatum de deliberatione novâ ineundâ judicia noſtra iterum exquirere velle, ſi eas ſcriptis rationes mandarem, ut majore cum otio, curâ, & animi meditatione à judicioſiſſimis collegis in examen poſſent revocari.

Principiò convenit mihi cum Scholâ Medicorum articulares dolores non nudam quidem intemperiem, ſed continuitatis ſolutionem quandam, ita atrocitate eorum ſuadente, conſequi, hoc eſt, violentam diſtentionem & præter naturam ligamentorum membranoſorum quæ continent, firmant, inducunturque eorum articulis oſſium, quæ ſunt colligata per diarthroſin, id eſt articulationem, in quâ manifeſtè oſſa moveri poſſunt, quippè quæ ligamenta exquiſitiſſimo pollent tactu, quòd membranæ, quæ eſt unicum tactus inſtrumentum, naturam habeant.

Autori de Arthritidis naturâ cum Medicorum Scholâ convenit quidem, de ejus Cauſâ continente, fluxionum cauſis,

Deinde verò illud quoque detur hanc ligamentorum divulſionem præter naturam partim fieri ab imbibito aliquo humore, partim ſequi oſſium à ſe invicem quandam veluti abſceſſionem, quam humor in eorum cavitatem ſive inania ſpatia magnâ vi irruens facit: eum autem humorem è venis aut tendinibus depluere confertim ſive ſpontè ſive expulſum à cauſâ externâ aſtringente vehementer, vel à naturâ ejus copiâ aut qualitate irritatâ: & porrò non ſolùm in ſpatia illa articulorum eundem humorem erumpere, ſed circumſtantes omnes partes ſive nervoſas ſive carnoſas occupare & imbuere.

termino ad quem, Mobili naturâ, & de viis motus:

Itaque mihi cum omnibus convenit tum de doloris continente cauſâ in genere, tum de fluxionis, quæ eſt motus quidam localis, quibuſdam cauſis, termino nimirum ad quem, mobilis natura, & ſpatio motus ſeu viis, quas tenet humor ſed iis communibus duntaxat: neque enim convenit adhuc aut de certo termino a quo, aut de ſpeciali natura mobilis, ſive humoris

Sed tantum in genere, non verò in ſpecie.

moris ipſius ſpecie, qui ſunt principes indicationum fontes.

Eorum diverſæ opiniones recitantur.

Etenim hic mihi humorem è capite depluere ſtatuit, & vel ab internis partibus per quartum occipitis foramen ſcilicet ſecundùm vertebras dorſi, quæ fuiſſe α *Magni Hippocratis* doctrina videtur, vel ab externis ſive inani ſpatio cranium inter & cutem; ille ab hepate detrudi; alius è ventriculo aut inteſtinis meſereoque in articulos transferri credit, cui videtur favere experientia quâ colicum dolorem cum arthritide commutari comprobatur. Hic porro cauſatur pituitam, ille bilem, utramque alius, partim ſanguinem (incoctos ſcilicet & crudos) vel ichores ipſos humorum, quos impropriè ſeri nomine donant, cùm ichor *Platoni* dictus ſit cujuſque humoris pars fluxa, ejuſdemque coloris & naturæ cum propriis humoribus; ſerum autem propriè dictum nihil aliud ſit quàm potulenta materia ſeu aquea pars chyli & ſanguinis vehiculum, & aqua pura puta. Ergo hunc vel illum humorem arthritidis fomitem ſtatuunt medici pro cacochymiæ ſpecie quæ in ægro evidentiùs ſe oſtendit: quæque triplex duntaxat paſſim agnoſcitur à medicis totidem humoribus reſpondens.

Atqui ut non diſputem arthritidem poſſe eſſe hujus aut illius cacochymiæ ſobolem, quod caret dubitatione, ſi ipſa humorum & non ichorum potiùs cacochymia intelligatur, cùm potiori nomine ichoroſa cacochymia videatur ſtatui poſſe parens arthritidis: ut, inquam, non diſputem de theſi, *certè in propoſito ægro arthriticos dolores periodicè recurrentes minimè ab illis humoribus vel etiam ichoribus dependere, neque à ventriculo, inteſtinis, aut hepate humoris quiſquis ſit tandem decubitum arceſſendum puto, ſed unum ſerum ſeu aqueam ſubſtantiam, quæ in venis & arteriis maximè utrique affunditur ſanguini, parentem horum dolorum affirmo aſtruoque, idque è venis & arteriis univerſi corporis, ſed maximè capitis periodicè ad articulos defluere arctè teneo, accuratéque defendo.*

Cauſa continens præſentis Arthritidis eſt Serum. Ejus Terminus à quo. Terminus ad quem.

Nimirum potulenta materia ſeu aquea ſubſtantia in potu

α Lib. de locis in homine. Sect. 18. 19. 29. & lib. de glandulis. Aph. 36.

Quod probatur in genere,

1. A ſeri generatione,

tu præſertim & cibis quoque (nam aqua & terra præcipuè omnibus præbent molem & corporaturam, ſed aër & ignis vires) ſed maximè fructibus & plantis ſumpta à ventriculo alterata & commixta chylo partim in coctione, quæ fit in convexis partibus hepatis & lienis, ſecernitur à reliquis humoribus atque à renibus attracta fit urina, *(quam tertiæ coctionis eſſe excrementum dixit Actuarius: quòd primam in ventriculo fieri, ſecundam in meſeraicis ſimiſque hepatis qua bilis ſecernitur ſtatuerit)* partim vero permixta ſanguini tum craſſo tum tenui in omnes venas & arterias potiſſimùm defertur neceſſaria ſcilicet tum, ut & antè, ad deductionem ſanguinis per ſe (α ὄχημα τροφῆς ob eam cauſam ab *Hipp.* dicitur) & cùm ulteriori ejuſdem ſanguinis coctioni, quæ elixationi ſimilis eſſe debet, ut conſtat ex *Galeno*, tum denique utilis temperationi omnium partium, quarum calor facilè aliàs inflammaretur.

& functionibus.

2. Ab ejus ſuperflui neceſſariâ reſolutione:

Serum igitur perfunctum hiſce elixationis devectioniſque humorum nutritiorum, & irrorationis membrorum omnium muneribus non recurrit naturaliter in vaſa, etſi plerique id opinantur, ſed in benè conſtitutis corporibus auctore β *Galeno* in quartâ illâ numero coctione, quæ fit in venis, attenuatum ſenſim reſolvitur perinde atque exorbitans in fructibus & plantarum ſuccis humiditas diuturnitate temporis diſcutitur, quod diſertè docuit γ *Galenus*, hoc eſt in vaporem abit, qui vel inſenſili exſpiratione vacuatur, vel ſudore præſertim ſi à multo potu id in vaſis redundarit, & vehementior acceſſerit motus; cujus doctrinæ argumenta ſunt quod experimento conſtat & quicunque multùm potant eos plurimùm ſudare obſervatione δ *Hippocratis* & contrà; & præterea qui plurimùm ſudant ingenti urgeri ſiti ob ſeri penuriam, cujus appetentia ſitis.

 Quæ

α Lib. de alim. in fine. vehiculum alimenti (humiditas) eſt.

β De natural. facult.

γ De ſimpl. medic. facul.

δ Lib, Aph. 4, Aph, 41. Ἱδρὼς πολὺς ἐξ ὕπνε ἄνευ φανερῆς αἰτίης γενόμενος, τὸ σῶμα σημαίνει, ὅτι πλείονι τροφῇ χρέεται. Sudor multus ex ſomno citra manifeſtam cauſam factus, corpus multo alimento uti ſignificat.

Quæ ſanè doctrina fuit α *Theophraſti*, quo loco ſcribit urinam, ſudorem, & lacrymas unius atque ejuſdem humoris eſſe ſobolem, cui aſſenſum præbet *Galenus* paſſim.

3. A ſeri naturâ.

Cæterùm hoc ſerum mera eſt aqua, niſi quod (ſi modò verum eſt quod ſcribit β *Galenus*) paulo craſſiorem ſubſtantiam tot diverſis coctionibus obtinuit & paucâ bile perfunditur, quæ deſpumans per illas coctiones ſero ob tenuitatem ſubſtantiæ facilè permiſcetur, & ab eodem maximè diluitur: quantitate denique reſpondet potui, imò hyeme etiam longè exuperat in ſanis, quòd ſcilicet eo tempore coctio melior & calor vegetior exprimat magis à cibo illud humidum, & præterea exſpiratio ſeri inſenſilis eodem tempore deficiat. Quò ſanè non mirum eſt ſerum in vaſis turgere & redundare ſive quòd humidior cibus in uſum venerit, & aquoſior ut juſcula, fructus horarii, & ſimiles, ſive quòd ex opinione *Galeni* hepar, & noſtrâ lien ad calidum ſiccum vergant temperamentum, quare quicquid eſt aquæ in cibis vehementer attrahunt & intemperanter (nam non crediderim per eam temperiem fortiter exprimi aquam à reliquis ſuccis quanquam ea eſt interpretatio *F. Valeſii* dicti *Galeni*) ſive quia habitus corporis ſit denſus, ſive ſimiles cauſæ concurrant, quæ aptæ ſunt ad ſerum copioſius quàm par eſt generandum, aut congerendum ſuppreſſâ vacuatione ejus naturali.

4. Quantitate.

Non dubium profectò eſt ab his cauſis plenitudinem ſeroſam ſive colluviem in vaſis ſuccreſcere, cujus etſi nulla aut rara in ſcholis medicorum fiat mentio, tamen neceſſariis effecimus rationibus eam eſſe poſſe imo frequentem, quibus experientia ipſa non repugnat præſertim in atrabilaribus & hypochondriacis, qui obſervatione γ *Hippocratis* perpetuò ſalivoſi ſunt, aut ſudoribus diffluunt. Quin *Galenus* tametſi ubi ex profeſſo agit de plenitudinis & cacochymiæ ſpeciebus nullam faciat ejus men-

α Lib. de ſudor.

β Locis dictis & 1. de atra bile. 1. de ſanit. tuend. & 1. de ſimp. facult.

γ In Epidem. paſſim ut & lib. 2. ſect. 2.

mentionem, tamen meminit diſertè *comm. in* [α] *Aphor.* ex quo non paucos ab ea ſeroſâ colluvie morbos invehi veroſimile eſt, imò neceſſarium cùm in juſtâ humorum omnium ſymmetriâ ſanitas conſiſtat.

Equidem in eâ ſum hæreſi maximam arthriticorum morborum partem & non paucas febres à ſeroſa colluvie originem trahere. Quis enim niſi pervicax auſit negare ſerum in venis & arteriis præſertim exundans atque diutiùs retentum putredinem poſſe concipere, cùm omnia elementa ſimplicia obſervatione [β] *Ariſtotelis* præter ignem putreſcant; itaque febrem in nobis excitari poſſe? 5. Ab ejus diutius in corpore retenti putredine:

Quis adhæc inficiabitur illud idem ſerum ubi turget & abundat vel inundationis fluminum alveum excedentium & egredientium modò ſymptomaticè vaſis exilire per ſe poſſe per diapedeſin vel potiùs per anaſtomoſin; aut verò à naturâ ejus copiâ irritatâ huc vel illuc detrudi poſſe, maximè ſi ei copioſior bilis vel humorum ichores permiſceantur, qui in ultimâ coctione in toto habitu factâ cùm ſeparentur ut inutiles, abireque ſoleant in inſenſilem expirationem, neceſſariò etiam in venis turgent, ſi exitu per poros cutis una cùm ſero intercludantur? & 6. Motu tam ſymptomatico quàm critico.

Atqui nullam aliam in Illuſtriſſimo cauſario noſtro quàm hanc ſeroſam ſeu aqueam colluviem, eamque cùm ſemel incaluerit aut copiâ turget, non aliundè quàm à venis arteriiſque totius corporis in articulos ruere & diris cruciatibus affligere ex his evidentibus argumentis, quæ ſemper in eo & pleriſque aliis ſedulò obſervavi, conjicere eſt. tametſi non inficias ièrim magnam etiam aquæ portionem è capite, in quod ſcilicet innumera vaſa finiuntur, in articulos ſecundùm tendines gliſcere & irrepere, quod fieri poſſe ex Hipp. *antè monui.* Atque in ſpecie ad præſentem Aegrotum applicatur.

Principiò igitur quoniam humor quicunque arthritidem fovet non niſi cum fluxu quodam, & motu locali dolentem impetit partem, ideoque vel motu ſpontaneo vel motu ab externo aliquo principio ſive tractu ſive pulſu, tractionis autem cauſa externa internave nulla eſt evidens; Humor Arthritidem fovens quomodo articulos irruat.

 nam

[α] Aphor. 46. ſect. 6.
[β] 4. Meteor.

nam toto induciarum tempore & in ipſâmet invaſione arthritidis, neque medicamenta calida afflictis admoventur articulis, neque in iiſdem articulis calidæ alicujus intemperaturæ ſigna ulla conſpicua, ſed potiùs contrariæ, quandoquidem articuli ſuâ naturâ ſunt partes frigidiſſimæ exſuccæque, & à fonte caloris ſejunctiſſimæ, ac ſpeciatim in *Illuſtri ægroto* à diuturnitate morbi macilentæ & ferè tabidæ, *efficitur profectò humorem quicunque ſit articulos irruere vel ſpontè vel pulſu, excuſſum expreſſumque vi naturæ copiâ aut aliquâ qualitate irritatæ, ex quo ſequitur eundem humorem vel præ copiâ naturam aggravare, vel qualitate malignâ eandem lancinare infeſtareque vel certè per ſe ac ſpontè exundare, quòd ſcilicet fervorem quoquo modo conceperit alienum, itaque longè latéque deſpumet, & efferveſcat.* Nam cùm dolor deſubitò & vehementer invadat, omninò humor ejus parens magnâ vi copiâque & impetu neceſſe eſt præceps ruat.

Hic humor non eſt craſſus, frigidus & lentus; Quamobrem accuſari non debet humor craſſus frigiduſque à naturâ, & lentus qualis ſenſim in dies generari, adhæreſcere & congeri ſive ventriculi inteſtinorumque parietibus, ſive vaſis primæ regionis, id eſt, radicibus portæ utriuſque per epiploum aut meſenterium divaricatis. Quò

Neque è viſceribus infimi ventris ortum trahit: ſanè nunquam potui iis aſſentiri, qui arthritidis propoſitæ fomitem è viſceribus & hypochondriis omninoque in inferiore alvo repeterent: nam quî fieri poteſt ut humor craſſus & viſcidus eas infarciens partes confertim cumulatéque vel uno die invadere non ſolùm articulos inferiorum partium, ſed etiam impetere membra ſuperiora valeat, cùm ad deterſionem hujus humoris longiſſimum tempus exigatur & ad fluxum omnino ſit ineptus ejuſmodi humor?

Quod fluxus alvi, partim ſpontanei, partim medicamentis excitati, Accedit quod & nuper à me obſervatum alvi fluxui partim ſpontaneo, partim ab uſu quotidiano laxantium medicamentorum procurato eique trimeſtri nihilominus ſucceſſiſſe arthriticos dolores de more & repentè eoſque graviſſimos & diuturnos. Quin etiam annotatum poſtremis annis toto tempore paroxyſmi alvum ſemper fluere liquidis excre-

crementis, hoc eſt, aquoſis bilioſis, quæ indicant ſanè ab alvo non venire cauſam arthritici doloris fomitem, cùm alvus contrario motu prorſus repurgaretur, nec natura ſimul contrarios tentet motus.

Sed meam ſententiam confirmavit tandem diſſectio corporis non vi arthritidis ſed peripneumoniæ fatis abrepti, ut infrà videbimus. Nam ex diſſectione ſatis conſtitit viſcera omnia inferiore ventre contenta integra fuiſſe & vitii expertia, cùm naturalem obtinerent mollitiem, molem, habitumque, colorem, & reliquum omnem ſubſtantiæ modum, atque ab omni infarctu libera prorſus eſſent, ut nihil quod in iis culpare poſſes niſi æſtuoſam intemperiem haberes. Et diſſectio corporis demortui affirmant.

Quoniam igitur è majoribus vaſis atque ſuperioribus toto ſcilicet corpore humor arthritidem fovens repeti debet: nec enim id controverti poteſt, cùm ea vaſa connectantur per ſuas propagines cum articulis ipſis, in quos proinde ex omnibus vaſis ſive plenitudo, ſive cacochymia deponi poteſt, & exonerari, & verò vaſorum externorum tumor, qui antè inſultum arthritidis in manibus pedibuſque conſpicuus eſt admodum, quique, niſi lapſu temporis ſubſederit, producit morbum in longum tempus, ſatis inſinuat terminum à quo motus humoris eſſe vaſa totius corporis & præſertim arterias, ut intelligere eſt ex pulſu magno altoque & veluti undoſo, qui neceſſariò plenitudinem cum virium robore arguit, *concludamus humorem arthritidis continentem cauſam è vaſis totius corporis quocunque modo ruere in articulos.* Sed is, qui è vaſis totius corporis provenit.

Quis autem aut qualis humor è vaſis præter maſſam ſanguineam, aut ſerum ei affuſum erumpere poteſt? ſanè etſi vel maſſa ſanguinis, vel ſaltem ichoroſa ejus portio fluxilis à naturâ & per quandam putreſcentiam ſeu fervorem à craſſamento ſanguinis ſeparata per ſe irruere poſſe videtur in articulos, aut à naturâ magnâ vi depelli, *tamen feroſam potiùs ejus partem ſive aqueam ſanguinis maſſæ affuſam incuſandam eſſe his argumentis conjicere eſt.* In primis enim cùm ſanguis ſit naturæ theſaurus certè niſi plurimùm redun- Scilicet ſeroſus & aquoſus:

dundet aut vitioſus ſit, & per putredinem unio humorum ſeu partium ſit diſſoluta, omnino illius natura retinentiſſima eſſe ſolet & per ſe non ita facilè moveri poteſt ſi integritatem naturæ ſervat; cùm contrà ſerum & per ſe exundans facilè ferri quoquò poſſit; & quâ datâ portâ exilire, pariterque nullo negotio à naturâ huc illuc impelli.

Quoniam autem ſanguinis maſſa ipſa omninò vitii eſt expers, niſi fortè præcalidior quàm par ſit, & potiùs deficere eum quàm redundare & exorbitare in vaſis ſatis conſtat; ex adverſo autem ſeroſa colluvies evidentiſſimè redundat & ſanguinis maſſam excedit, ſerum potius accuſandum venit quàm ſanguis. *Seroſæ namque toto corpore redundantiæ plura ſunt eaque illuſtria argumenta*, & inprimis experientia rerum magiſtra, cujus conſcios teſtes appello clariſſimos collegas archiatros. Quoties enim ſecta eſt vena *Illuſtriſſimo Principi*, ſecta eſt autem ſingulis annis ſæpè ſæpiùs, toties advertimus, ubi ſanguis in pelvi ſubſediſſet confuſione humorum diſſolutâ, ſerum ſecretum maximam partem pelvis occupare, eique tantillum miſcelæ ſanguineæ conſtantis & integræ atque inculpatæ innatare: quem ſeri exceſſum obſervo quotidie in omnibus calidis corporibus & arthritidi obnoxiis.

Utpote in corpore multum redundans. Hunc in eo præſentem demonſtrant: I. Ejus copia à ſanguine emiſſo in pelvi ſecreta.

II. Cauſæ antecedentes tam internæ;

Deinde quæ cauſæ ſunt ſynathriſmi ſeroſi humoris ſive internæ, ſive externæ, eæ in univerſum concurrunt omnes in *noſtro Illuſt. cauſario*. Nam inprimis impensè calidum à naturâ illi temperamentum viſcerum omnium, ut ex capillamento nigro conſtat, & alacritate animi ad omnes functiones & labores, nec non ex habitu calido & æſtuoſo. Ac quanquam à naturâ euſarcos habitus olim illi naturalis calidæ intemperiei humidam aſſociatam eſſe indicet ex ᵅ *Galeno*, tamen jam in ſiccitatem propendere, à quâ calor augmentum non mediocre acceperit, conſtat apud me, partim ob naturalem quæ fit per ætatum decurſum in ſiccitatem mutationem, partim ob uſum diætæ exſiccare natæ, labores ſcilicet corporis immoderatos præſertim in venando & equitando, & quotidianum vini meracioris ut Hiſpa-

ᵅ In arte parvâ.

ſpanici uſum præmiſſum validis illis exercitiis, nec non graves animi curas & tædia præſertim poſtquam arthritis eum ſemel affligere cœpit.

Quibus cauſis ad generationem copioſi ſeri plurimùm facientibus acceſſêre aliæ in eodem colligendo retinendoque potentiſſimæ, & in primis quæ denſitatem totius habitus inferunt, ratione cujus ſerum non ut antè expurgari, ut par eſt, potuit. Nam ut carnoſam molem quippè quæ poros etiam habitus conſtringere ſolet omittam, quia paroxyſmis arthritidis & febre ex brevibus intervallis recurrentibus ſtatim exhauſta eſt & imminuta, cùm *Illuſtris ægrotus* ante febrem illam tertianam gravem & productam nephritidis anteambulonem totas noctes æſtivas ſolitus eſſet aëri nudum ſeſe exponere, quò auræ externæ ductu & tranſpiratu æſtum internum à plethorâ, & habitu athletico illatum temperaret; præterea ſtragulis è ſetis caprinis (*camelotum vocant vulgò*) ferè ſemper incubuit & indormivit, & tectus veſtituſque fuit diu noctuque ſemper ſericis pannis cocco infectis, in quo ſcilicet vis aſtringendi ineſt eximia. Ab his ſanè cauſis, pariterque ab ætate habitus inſignem contraxit denſitatem. quàm externæ.

Cui ſemper poſtea adjunxit cibandi rationem liquidam & perpetuum otium non minimam collectionis aquæ in toto corpore cauſam. *Itaque colluvies ſeroſa in toto ex aſſidentibus ſignis hiſce ſemper innotuit plurimùm.* III. Signa aſſidentia: Qualia ſunt.

Nimirum ipſo in morbi inſultu longè magnam urinæ copiam quæ eſt ipſum ſerum aqueum, de quo quæſtio eſt, & ad ſex libras vel uno die, cùm vix duas cujuſcumque potulentæ materiæ ebibat, reddere & effundere per pluſculos dies *Illuſtris Princeps* conſuevit. Nam quòd docti viri ſtatuunt ſigna arthritidis eſſe non tantùm mingere, aut ſudare quàm antè, id de præcedentibus ſignis intelligere, non de concomitantibus par eſt: *nam perpetuum certe ſignum concomitans nedum arthritidem, ſed fluxiones omnis generis eſt copioſa urina, & potum longè excedens, experientiâ noſtrâ quotidianâ.* 1. Magna urinæ effuſio per pluſculos dies durans.

Adhæc ſeroſam colluviem in toto redundantem ſatis de- 2. Dejectio-

nes aqueæ bilioſæ ſingulis paroxyſmis ſupervenientes.

clarant dejectiones aqueæ bilioſæ *Hippocrati* dictæ α ὑποχωρήματα ὑδατόχλωρα à multis jam annis ſingulis paroxyſmis vel à primis ſtatim diebus ſupervenire ſolitæ. Probabile enim eſt, cùm illæ ſint ſymptomaticæ principio ſcilicet morbi aſſidentes, ab ejuſdem humoris redundantiâ fieri, à quâ & ipſi dolores eodem tempore urgentes pendent. Quanquam enim bilioſæ ſunt, tamen à prædominio ſunt omninò aqueæ: nam cùm confertim ab omnibus vaſis ſerum depluit non ſolùm in externas partes & articulos, ſed etiam in internas excuſſum, neceſſe eſt eam partem, quæ introrſum deponitur, decurrere per hepar antequam in ſentinam communem, hoc eſt, inteſtina tandem perveniat, in eoque decurſu bilem diluere ac ſecum deferre, quippè uberiùs genitam in eo viſcere æſtuante accedente ciborum ad bilis generationem propenſâ conditione: nimirum *Illuſt. ager* cùm vino, tùm vero ſuccis carnium ſolis utitur, qui ſucci ut & vinum facilè inflammantur atque bileſcunt.

3. Febris cum horripilatione & inſigni laſſitudine præcedens.

Idem præterea confirmat febris cum horripilatione, & inſigni laſſitudine unum aut alterum diem arthritidem præcedere, & ſub veſperam exacerbari ſolita ſingulis diebus. Nam ejuſmodi febris cùm omnino fomitem in vaſis magnis habeat, tum verò nocturna exacerbatio & horripilatio manifeſtè arguunt ebullitionem & efferveſcentiam aquoſi in vaſis humoris. Notum enim eſt illud *Hippocratis:* β κατάῤῥοι φρικώδεες, *fluxiones horriferæ.* Experientia enim docet nunquam aqueos è capite humores decumbere quin horror aliquis totius corporis ſeſe comitem adjungat.

IV. Syndrome ſymptomatum in motu depravato & ſenſu propè ſepulto conſiſtentium.

Denique plenitudinem toto corpore ſeroſi humoris redundantem & maximè in capite convincit evidentiſſimè, ſyndrome ſymptomatum in motu depravato & ſenſu propè ſepulto conſiſtentium. Nam cùm primis annis ſcilicet initio paroxyſmorum motus convulſivos in artubus præſertim inferioribus pateretur, quos *gouttes crampes* vocamus, qui etiam niſi vinculis aſtringerentur & firmiter continerentur, inviti ægri membra ſuſtollebant, à paucis annis toto paroxyſmo non ſolùm eoſdem motus, ſed longè differen-

α. Coac. præn. Aph. 134. Egeſtiones aquæ ſimiles.
β. Lib. 1. Epid. Sect. 1. add. coac. præn. Aph. 17.

ferentes magnitudine & alioqui toto corpore paſſus eſt, qui vel cernerentur in palpebris, in labiis, & maximè in carpo, quorum ratione pulſus mirificè depravabatur, ſed etiam in ſoporem qui ad typhomaniam ſive coma pervigil pertineret inclinavit ſemper. Quæ ſymptomata antè deſcripſimus & ad hydropem cerebri ſive lethargi ſpeciem reduximus, atque eorum continentem cauſam eſſe ſeroſam colluviem in capite plurimis argumentis probavimus.

Poſtremò noſtrum hoc dogma non mediocriter comprobavit ſolutio perfecta nuperi & graviſſimi omnium, quos unquam ſuſtinuit paroxyſmos, quæ ſolutio eſt conſecuta, Menſe Julio Anni ſexti ſupra ſexcenteſimum, madorem totius corporis quinque dies continuatum eumque tepidum, qui etſi antea non ſuccedere conſueverit, tamen id inclementiæ aëris & rationi decumbendi ſuper ſtragulis admodùm ſimplicibus debet imputari, quibus ſcilicet de cauſis motus ſeri in circumferentiam corporis è centro conſuevit impediri.

V. Perfecta ſolutio Paroxyſmi omnium graviſſimi.

Concludamus itaque, quoniam in *Illuſtri ægroto* una ſeroſa colluvies evidenter ſe prodit, & alioqui ſanguinis maſſa integritatem retinens ad penuriam potiùs & exhauſtum quàm copiam redacta eſt, *ſeroſam diluviem tanquam arthritidis continentem cauſam eſſe culpandam, ſiquidem conſentaneum eſt ad eum unum humorem referri morborum & ſymptomatum cauſas, qui ſolus vel præ cæteris maximè in corpore ſuperfluit & redundat.*

Quam ſanè ſententiam mirificè confirmat conditio, ſolutioque arthritici doloris. Nam cùm tumor cum fluxione dolorificâ ſemper ſit conjunctus, obſideatque partes dolentes, tumor certè arthritidi in illuſtri ægroto conjunctus eſt ejuſmodi, ut non niſi in ſeroſum humorem rejici poſſit. Nam facilè quidem & brevi diſcuti ſolet, reſolvique & perfectè adeo, ut quanquam à decem annis ferè *Nobiliſſ. Virum* exercuerit, tamen nondum tophus ullus ſit relictus. Diſcuti, inquam, facilè & brevi conſuevit arthritidi aſſidens tumor præterquam in partibus longè diſſitis à fonte caloris, cujuſmodi ſunt genua; & perfectè, id eſt, ſine

VI. Arthritici doloris conditio, deſumpta ab ejus brevi reſolutione, nullo tumore remanente.

ſuppurato aut topho, cujus ſuppurati quidem ratione ſanguinem fluxum accuſare poſſis, & cujus tophi pariter ratione humorem aliquem craſſiuſculum ſive pituitoſum aut aliquem alium, vel etiam ichorem qui diuturnitate temporis concreſcere in lapillos ſolent, jure criminari valeas. *Quia igitur ſolus humor ſeroſus perfectè reſolvi poteſt & tumor cum arthritico dolore conjunctus perfectè ſubſidet, is certè in eum humorem ſeroſum regeri poteſt.*

Quanquam non eſt abſurdum progreſſu temporis tandem nodoſam poſſe evadere arthritidem, ſiquidem fieri vix poteſt ut vel ſerum è capite quidem diſtillans non ſecum deferat mucoſi aliquid excrementitii in cerebro humoris, qui diuturnitate temporis & morâ in articulis lenteſcens rigorem in partibus relinquat, & duritiem, cùm lentus humor non poſſit facilè totus diſcuti, ut nihil ejus ſuperſit, vel quòd pariter è vaſis magnis depluit & deponitur ſerum in articulos, id non diluat aliquem ichorem, vel etiam arenoſum aut ſabuloſum aliquod excrementum, quod aquæ in uſum venienti paſſim immixtum & confuſum eſſe ſolet.

Certè quanquam in Illuſtri ægroto ſanguis bileſcit & æſtuat, tamen quia alvus fluit ſemper bilioſis & liquidis excrementis, non mirum eſſe debet hucuſque tumorem arthriticum protinùs ſubſidiſſe, & nullum tophum in eo relictum, qui ſenſim generari aliàs ſolet ex bilioſis ichoribus præ morâ induratis. Nam ſeroſa profectò colluvies in propoſitâ arthritide non tam deponitur è viſceribus quâm è vaſis toto habitu corporis, cujus pars partim in alvum ſecedit perque viſcera decurrens bilem omnem detergit ſecumque defert in ſentinam totius corporis; altera autem rectà in articulos fertur, quæ quia excrementitiam bilem in illis vaſis non reperit nec ullum alium ichorem, ſiquidem ſanguis minimè, ſed incendium duntaxat & inflammationem concipit, itaque ſola & expers mixtionis invadit in articulos, inde nihil terreni relinquit, quod in nodum concreſcere poſſit, cùm ipſe ſeroſus humor perfectè à calore partis tandem diſcutiatur & prorſus reſolvatur.

Non

Non ſolùm enim nulli ichori ſerum permiſceri ex dictis ſatis conſtat, ſed neque ſanguini ipſi intelligere eſt ex eo, quod ſuppuratum non excipit & ſequitur dolorem arthriticum, tametſi in quibuſdam ſed plethoricis admodùm corporibus contingere aliquando vidimus & valdè raro.

OBS. CXXXII. *Hoc certè tantùm obſervavi in quodam homine vorace & admodum bibace & aliàs ſanguineo: ſcilicet partim uſu vini, partim ratione febris ſanguis ipſe totus ebulliens, non autem ſolus ſeroſus humor orgaſmo quodam articulos impetebat, ibique cùm reſilire in vaſa non poſſet calore partis in pus faceſſebat, quod etiam viam ſibi faciens extra erumpebat.* Nam quòd in *Illuſtri ægroto noſtro* rubor quandoque ſplendeſceret in parte malè affectâ, is certè non à ſanguine obſidente articulum ſed potiùs à præſentiâ ſpiritus vitalis ſive illuc à medicamentis calidis allecti ſive potiùs ſpontè allapſi pro more ſuo. Scilicet ſpiritus vitalis ad partem omnem laborantem & præſertim dolentem ſponte ſuâ accurrere ſolet & quamdiu urget dolor.

De Arthritide à ſanguinis ebullitione, per ſuppurationem ſolutâ.

Atque hæc demonſtratio à conditione tumoris cum dolore arthritico conjuncti certò evidenterque concludit, propoſitam arthritidem unius ſeroſi humoris & impermixti eſſe ſobolem, atque eam fere cauſam eſſe omninò in univerſum arthritidis, quandoquidem fere paſſim tumor hic per ſe ſubſidet & citra ſuppuratum; & quanquam aliquando tophus aliquis relinquitur, quia is tophus fit ab ichore333 bilioſo ſenſim à calore loci concreto, aut etiam ichore pituitoſo ſeu mucido è capite delapſo, prout nodus ſeu lapillus concretus flavus eſt aut cinereus, tamen rarò ſuppurato terminatur; ſed reſolvitur ſenſim. Ex quo aqueus ſolus humor quippe reſolutionis patiens; ſed cui ichoris terrenive excrementi aliquid eſt aſperſum, neceſſariò arguitur.

Age *ut conſtare poſſit quæ cauſa humori articulos irruenti det impetum, priùs à nobis de febris cum arthritide conjunctæ ſpecie inquirendum.* Enimverò quanquam hujuſmodi febrem paſſim omnes ſymptomaticam indigitant, tamen ut aſſenſum cohibeam multa ſuadent. Nam ſymptomaticæ febres dicuntur & ſunt eæ, quæcunque aliquem alium primarium affectum & præſertim cum dolore conjunctum ſequuntur pro

Febris Arthritidi conjuncta, non eſt ſymptomatica;

cujus motu & exacerbatione nunc quieſcunt, nunc repetunt. *Galenus* certè febres, quæ phlegmones viſcerum conſequuntur, hoc nomine ſolet exprimere: univerſa pariter Medicorum ſchola, quæcunque febris inſigni ſupervenerit dolori à quâvis cauſâ exorto, eam vocat ſymptomaticam, cujus poſtremi generis eſſe febrem omnem arthritidi ſociatam conſenſus eſt hactenus omnium Medicorum. Nam phlegmones ſeu affectus phlegmonidis in viſcerum aliquo nulla ſuſpicio hactenus, nullaque conſpicua ſigna apparuêre.

Neque ipſa Arthritis eſt articulorum febris;

Et longè minus probabilitatis meâ quidem ſententiâ habere videtur *Magni celeberrimique noſtro ævo Hippocratis interpretis Galli* opinio, qui arthritidem febrem articulorum facit, quaſi focus febris cum arthriticis doloribus conjunctæ in ipſiſmet ſit articulis & non in ipſis magnis vaſis: nam inopinabile eſt ſerum aqueum prorſus humorem naturâque frigidiſſimum in partibus frigidiſſimis & à fonte caloris ſejunctiſſimis ita poſſe incaleſcere ut cor in ſympathiam trahat intemperaturæ calidæ, febremque inducat (nam & hic vir doctiſſimus videtur inſinuare non ſemel ſerum eſſe conjunctam cauſam arthritidis, ubi de curatione ejus agit, è veritate ſcilicet & experientiâ coactus ita loqui, quanquam triplicem cacochymiam agnoſcit cauſam cum vulgo medicorum ubi in cauſam inquirit) inopinabile, inquam, eſt ſerum deliteſcens longè à corde atque ebulliens calorem in corde accendere poſſe, cùm multa genera tuberculorum ſuperficiem corporis invadant, ut atheromata & ejuſmodi vel ectimata quæ minimè febrem inferunt.

Sed eſt febris eſſentialis & primaria:

Ut igitur quod ſentio liberè dicam, etſi in genere de febre cum arthritide conjunctâ nolim quicquam in præſentiâ decernere, meo tamen judicio hæc quæ in hypotheſi nobis eſt propoſita minimè ſymptomatica ſed eſſentialis & primaria ſtatuenda omninò eſt. Inprimis enim etſi fortè aliquando ſequi videtur doloris conditionem, hoc eſt, augeſcere vel minui pro motu exacerbationeque doloris vel levamine, tamen jam à decem annis & ſuprà ſedulò obſervavi febrem ſemper prægredi & antecapere ſaltem unum diem dolores

quia 1. Dolores arthriticos antecedit.

dolores iſtos athriticos, licet quandoque minimè vehemens eſt, ſed parva & vix conſpicua, ut omnium rerum principia exigua eſſe ſolent: quæ cauſa eſt ut cùm per parvitatem ferè fallere ſoleat aſſiſtentes, eam doloribus ſupervenire falſò ſit creditum.

Accedit quòd quanquam ſæpè dolores arthritici inducias præbeant *Illuſtri ægroto* per plures dies, nihilominus tamen febris urgere & increbreſcere per ſe à me eſt annotata. 2. Illis ſedatis nihilominus urget.

Deinde verò cùm febris ſymptomatica ad ephemeram reducatur, quæ unius ſpiritus vitalis inflammationem ſequitur, evidentiſſimis tamen ſignis conſtat hanc febrem non in uno vitali ſpiritu accenſo ſed omnino in ſanguinis maſſâ præter naturam inflammatâ focum habere. Nam cùm febris quæcunque in aliquo ex triplici rerum genere, ex quibus humanum corpus integratur, quæ *contenta*, *continentia & impetum facientia* [a] *Hippoc.* dicuntur, ſedem habeat, rectè ſanè febris ſymptomatica ab omnibus ad ephemeram reducitur ſive legitimam unius diei, ſive plurium dierum, quæ vitalis ſpiritus ſanguiniſque propriè dicti inflammationem ſequitur. 3. Propria habet ſigna febri ſymptomaticæ minimè competentia.

Enimverò febris cùm ſe calore totius immoderato, pulſu & reſpiratione magnis, celeribus, & frequentibus tanquam ſignis concomitantibus ſatis ſeſe prodat, & verò continuitas febris, typus pulſuſque continuam arguant, nam nuſquam ad ἀπυρεξίαν venit & pulſus modò magnus aut parvus, modò magis velox nunc minùs, modò crebrior nunc minùs frequens, quæ inæqualitas pulſus ſyſtematica per omnia febris tempora conſtans eſt febris continuæ pathognomonicum ſignum, tamen nequaquam eſſe continentem, quæ ſit homotona, id eſt, æqualitatem ſervet ſemper, vel epacmaſtica vel paracmaſtica, id eſt, ſemper creſcat aut decreſcat eundo, ſed verè continuam typus oſtendit & eam quæ per quaternarios mutationes quaſdam in incremento & decremento ſuſcipiat, ac matutinis horis cùm intermittat, tum verò ſub veſperam denuò vehementiùs ingraveſcat, nec prorſus doloris exacerbationem aut remiſſionem ſequatur. Eaque eſt continua;

Quoniam

[a] in Epid. lib. 6. ſect. 8. aph. 19. τὰ ἴσχοντα, ἢ ὁρμῶντα, ἢ ἐνισχόμενα.

Quoniam verò maſſa ſanguinis temperiem & proportionem naturalem humorum retinet, niſi quòd ad calidiorem & ſicciorem juſtò vergere videtur, & aliàs ſerum longè exuperat, exacerbatio autem illa ſub veſperam ſanguini atrabileſcenti & aliàs ſeroſo eſt familiaris; ſigna porrò omnia ſanguinis inflammationem & aduſtionem ſignificant ſcilicet vehementia & acrimonia caloris, nigrities & ariditas linguæ primis annis ſemper conſpicua dum os liberè aperiret, ut & labiorum etiam poſtremis annis, ex quâ, quanquam os minimè diducere poteſt *Illuſtris æger*, quòd partes potiſſimùm ſuperiores arthritide occupantur; ariditatem linguæ conjicere eſt, certè his aduſtionis ſignis febrem in ſanguine magis arterioſo accenſo quàm in venoſo focum habere ſuſpicari eſt.

Quam conjecturam confirmat rubor faciei in parte ſiniſtrâ pulſatioque ſenſibilis in latere ſiniſtro, quæ ſigna lienem, fontem ſcilicet ſanguinis arterioſi potiùs quàm hepar ſanguinis venoſi officinam magis affici docent, proindeque & arterias magnas quàm venas continere unà cum liene focum febris: inflammationem autem potiùs quàm putredinem febrem inferre ex ſignis illis antè memoratis ſcilicet ariditate, & atrore linguæ concludere eſt.

Nam putredinis in ſanguine ſigna minimè ſunt evidentia ſive in pulſu, ſive in urinis; inæqualitas ſiquidem illa pulſus [α] *Galeno* annotata quæ in principio cùm per ſe ſit difficilis cognitu, tum in præſenti caſu videtur omninò obſcurari & interturbari motibus illis tremulis ſive convulſivis tendinum & membranoſi generis univerſi, qui vibrantem & inæqualem variè pulſum reddunt, & quaſi convulſivum: urinæ autem, quæ aliàs certiſſimæ ſunt indices cùm ſpeciei febris, tum ſpeciei criſis ſolutioniſque futuræ & temporis ejuſdem, hic nihil omnino certi poſſunt denunciare. Nam ſemper tenues ſunt & perſpicuæ inſtar aquæ, ſedimento omni carentes quales in febribus cum fluxione conjunctis, & quæ ferè focum habent in ſero ebulliente. Adde quod à longo tempore obſtructio obſedit utrumque renem, ut ſatis

[α] 3. præſag. pulſu c. 7.

ſatis indicârunt dolores nephritici prægreſſi, & ſæpiùs repetentes, tum arenulæ plurimæ & quandoque etiam pus, ut præter ſerum ſeu fuſuram nihil contentorum quod œconomiam venoſi aut arterioſi generis inſinuet, poſſit elabi & effluere. Denique in calore non tam mordacitas aut acrimonia inſignis quàm acuties & vehementia quædam obſervatur, quæ ad ſenſum frangi à morâ hebetarique videtur. *Itaque incenſionis clariora quàm putredinis ſunt indicia, niſi ebullitionem ſeri putredinem appellare placet.* Niſi ebullitio ſeri putredo appellari debeat.

Certum enim eſt in illâ ſanguinis arterioſi ebullitione, quæ febrim facit, ſeroſam partem ſanguini affuſam maximè ferveſcere; qui in ſero fervor putredo dici poteſt, cùm præſertim fœtor in dejectionibus aquoſis ſit maximè manifeſtus, atque aquea corpora uſtionis non tam ſint capacia quàm putredinis, ſi quando ebulliunt & fervent. Serum autem præcipuè ferveſcere ex analogiâ ſanguinis cum ſuccis vitalibus & alibilibus quale eſt vinum intelligere eſt, nam ut in vino aquoſa pars maximè circa inſignes in aëre mutationes ſolet ebullire, ita etiam & in ſanguine pars ejus ſeroſa fervorem concipit, ſi quando calorem ipſe ſanguis alienum patitur. *Itaque concludamus: febrem cui dolores ſuperveniunt arthritici hærere in toto ſanguine ebulliente & inflammato, ita ut maſſa quidem ipſa quatuor complexa humores incendatur uraturque, quippè terræ & aquæ particeps, ſed ſerum ei affuſum putredinem concipiat potiùs in eâ ebullitione ſaltem fervorem, non aduſtionem cujus quippè capax non eſt.*

Unde ſi quis hujuſmodi febrem ad ephemeram plurium dierum non ſolùm quatuor, ſed quadraginta velit referre, non repugnabo, nam cùm ſanguis incenſus fomes ſit ejus, continens autem febris quæ ad ephemeram omnium conſenſu reducitur in ſanguine ſeu ſubjecto hæreat, febrem ſanè hanc ephemeram dicere nihil vetat, ſed cùm quatuor diebus tantùm nequaquam finiatur, verùm quadraginta ut notavit *Hipp.* & quotidiana confirmat experientia, certè ad ephemeram quatuor dierum minimè referri poteſt ſed quadraginta, ut non ſit una & ſimplex continens ſed veluti Iſta Febris an referri poſſit ad Ephemeram plurium dierum, & quot?

ſuti multiplex, id eſt, plures ſibi ſuccedentes & continuatæ, quod typus profectò inſinuare videtur, quandoquidem hujuſmodi febres quarto quoque die moventur, hoc eſt exacerbari & increbreſcere ſenſim de novo incipiunt, & cùm unum aut alterum diem ſteterint ſenſim imminui uſque ad quartum, in quo rurſus novum capiunt motum & augmentum: quæ febres ſanè ſunt admodum frequentes.

Movetur autem quarto quoque die:

Nam quòd ſub veſperam quoque augeri quotidiè videantur, id imputari debet ſanguinis recurſui ſive ſpontaneo, ſive ab ambientis nocturno frigore febribus omnibus continuis familiari: ſanguis enim unà cum ſero quocunque modo introrſum coactus fuerit ſive ſpontè, ut ſumpto cibo & præſertim ſub veſperam, ſive ambientis frigore fervorem inde majorem quàm antè per eam conſtipationem concipit, unde extrorſum effuſus calorem majorem præ ſe fert & febrem emicare facit.

Quorum motuum cauſa redditur.

Jam verò cauſa horum motuum ferè eſt externa in hiſce febribus, ad quam tamen accedit magna ſanguinis ad inflammationem diſpoſitio naturalis: nam conſtat experientiâ circa inſignes temporum anni mutationes & Veris pariterque Autumni initium & finem ſanguinem moveri atque agitari & ferveſcere non aliter atque vinum in doliis, hydromel, acetum, & cæteros ſuccos in quibus caloris aliquid ſupereſt, modò deorſum modò ſurſum, modò vehementiùs modò remiſſiùs: quod inſinuant ſcabies, impetigines, pſorici affectus, vertigines, epilepſiæ, febres, fluxiones, inflammationes iis temporibus familiares, & motus febrium continuarum per quaternarios, qui ſequitur motum præſertim Lunæ. Ab his igitur cauſis externis ſanguis fervefactus cùm à naturâ ſit calidus, accepto aliquo caloris extranei principio facilè inflammatur uriturque, & ad ulteriorem caloris gradum pergit, unáque ſerum putredinem concipit certè fervorem.

Concluditur cauſa orgaſmi ſeri in

Quibus ita conſtitutis facilè eſt decernere, *de cauſâ orgaſmi ſeri in articulos*, unde fit ut dolor hujuſcemodi febribus ſeſe ſtatim vel intra diem naturalem adjungat comitem.

tem. Nam ſi hactenus convicimus ipſâ febris invaſione maſſam ſanguinis & inprimis aqueam ejus partem fervorem concipere, ferveſcentem autem aquam liquet haudquaquam propriis poſſe contineri conceptaculis, ſed hac illac perfluere, deſpumare, & longè latéque exundare; atque porrò quia fervor maximè circa præcordia, ubi veget fons nativi caloris, incipit, ſerum in officinis ſeu fontibus neceſſe eſt quoquo verſum primúmque in inſignes rivos effundi, tum ex his in minores ſenſim ac ſenſim, tandemque in partes ipſas inſumi, in quibus vaſa extrema ultimò deſinunt & ſiſtuntur (nam è lateribus vaſorum exudandi exiliendique facultatem craſſities denſitaſque vaſorum & præſertim arteriarum prorſus denegat) quia ergo toto interiore corpore magniſque vaſis ſanguis ebullit, mirum non eſt ſerum efferveſcere atque effundi partim in alvum, ad quam propagantur utriuſque portæ propagines, partim in renes inſignes truncorum ramos excipientes emulgentes dictos, partim denique in inania articulorum ſpatia ubi terminantur vaſorum externorum ſurculi ferè omnes, ut ex anatomiâ conſtat. *Itaque hic ſeri impetus diverſas in partes ſpontaneo potiùs ipſius motui quàm à naturâ facto verè tribui debet.*

articulos tribui debere ſpontaneo potiùs ipſius motui, quàm à naturâ facto.

Hinc ſanè diarrhϾ ſeroſæ, copioſæque admodum urinæ tenues & aquæ inſtar perſpicuæ, atque articulorum dolores ſeſe hiſce febribus ſociant copulantque in primâ ipſâ invaſione ſeu primo ſanguinis fervore. Etſi autem rem ita ſe habere ſuperior ratiocinatio concludit evidenter, *non improbabile eſt tamen, ſerum, quod ad caput raptum eſt, maximâ ex parte è vaſis exundans in vacua capitis ſpatia tandem ſecundùm nervos depluere & deſcendere, quanquam ex alterâ parte quoque deſpumat è vaſis in partium capiti limitanearum articulos, ut maxillæ, claviculæ, & adjacentium: ſed illud quod ſecundùm nervos depluit credibile eſt motuum potiùs convulſivorum quàm dolorum articulos laceſſentium eſſe cauſam; tametſi quod ſpectat ad motus convulſivos in Illuſtri ægro non obſcuros, veroſimilius mihi eſt ſerum ipſum adhuc in capite deliteſcens & reſes diſtento ratione fervoris contractoque in*

Serum quomodo convulſiones excitet;

Qui in præſenti ægro producat;

in ſe nervorum principio edere eos ipſos motus ſpaſmodes, ita ut quæ ſeri pars cranium extra decurrere & diffluere poteſt, ea meo judicio non tam dolores articulorum concitet, quam ipſam cutem in tumorem attollat, atque leucophlegmatiæ quandam inducat ſpeciem.

Quomodo cutem in tumorem attollat.

Verùm de his motibus convulſivis diſputatum antè à nobis pleniùs in obſervatione lethargi periodici: quam doctrinam de cauſâ motuum convulſivorum ab occupante ſeroſo humore principium nervorum repetita illuſtrat conſideratio temporis exacerbationis eorum motuum: ſcilicet urgent hi motus duntaxat ſomni tempore, quod non aliam ob cauſam evenit quàm quia ob ſpiritus vitalis à ſenſoriis externis in interiores ſinus refluxum ſerum circa eos ſtagnans novum fervorem neceſſariò concipit, itaque principium nervorum diſtendit corrugatque in ſe ſuaſque univerſas appendices.

Curatio Arthritidis in tribus conſiſtit potiſſimùm ſcopis.

His itaque ſic conſtitutis *Agendorum Indicationes* quibus *Curatio* propoſitorum affectuum poteſt obtineri nullo negotio erui poſſunt. Nimirum quoniam dolores arthritici (*ut omittamus indicationes quas febris ex ſe exhibet, quippe extra noſtrum inſtitutum*) continentem habent cauſam ſeroſam diluviem magnâ vi & impetu articulos impetentem, cui motui ebullitio ſeri fervorem ſanguinis conſequens præbet initium, *inprimis ſanè orgaſmus & fervor hic coërceri debet, ſimulque copia ſeu plenitudo ſeri minuenda*, ut quanquam id unà cum ſanguine ebulliat, non tamen adeò latè exundare queat, ut articulos diſtendat: *deinde humor qui jam influxit diſcutiendus planè, tum verò dolor demulcendus omni artè.*

I. Ut copia tum ſanguinis, tum ſeri evacuetur.

Atqui *coërcebitur ſeri gargaliſmus, ſi ſanguinis ipſius fervor conquieſcat:* quoniam autem fervoris hujus *cauſa* partim eſt *externa*, partim *interna*, atque *externa* quidem potiſſimùm eſt in ambiente poſita, commotione ſcilicet ejus ſive evidente, ſive obſcurâ & tepore quodam, vel contrario frigore, utrique aëris injuriæ ſi eſt in noſtrâ poteſtate, *contrariâ alteratione* providendum. *Internæ* vero *cauſæ* quia vel in plethoram ſanguinis, vel in æſtuoſam viſcerum intemperiem, vel in totius habitus refunduntur denſitatem, cujus

II. Viſcerum æſtus & intemperies corrigatur.

jus ratione ſcilicet fuligines è ſanguinis maſſâ ex ſe calidâ exſpirantes cohibentur, cohibitæque fervori inſigni principium dant, hoc eſt, febri, imò incrementum & productionem; *itaque copiæ tum ſanguinis tum ſeri convenienti vacuatione medendum, viſcerum autem æſtus intemperieſque corrigenda, denique denſitas totius corporis emendanda eſt rarefactione congruâ.* III. Totius corporis denſitas rarefactione congruâ emendetur.

Cæterùm non negligenda *ſymptomata adjuncta*, ut præter *dolorem*, cujus maximè propter virium jacturam rationem habendam eſſe monitum, quanquam in eo ſtatu jam ſunt res ægri, ut diu jam non urgeat dolor ſed brevi ſuccedat ſopor, blandum aliàs doloris omnis pharmacum, non negligenda, inquam, *ſymptomata*, ut: *diarrhœa & ſopor*, illa quidem ita poſtulante virium cuſtodiâ; hic autem ita ſollicitante metu ne fines naturæ longiùs excedens in indomabilem & ferreum, hoc eſt, in noctem perpetuò dormiendam tranſeat. Interim quoque ut ſymptomatum conjunctorum, ratio habeatur.

Age *multitudinem ſanguinis eſſe majoris in eo fervoris ſive occaſionem, ſive α συναίτιον*, facilè eſt intelligere ex hoc eventu: nam experientia docet ſi quando dolia plena ſunt ad ebullitionem ſuccum in iis contentum paratiorem eſſe, unde ad ebullitionem prohibendam œconomi nullum præſentius remedium noverunt, quàm vacua ex parte dolia relinquere, ut ſcilicet calori vitali ventilatio libera detur. *Quia ergo multitudo ſanguinis fervoris & orgaſmi ejus unaque ſeri, proindeque doloris eſt concauſa, ſanè antè omnia deplenda*, & hoc etiam nomine ut corpus fiat εὔροον cæteriſque remediis commodè locus plenitudine depoſitâ detur, atque quia malum urgens multitudini protinus & affatim ſuccurrere jubet, vacuatio proinde aſpectabilis utpotè celerior & actuoſior tentanda confeſtim, perficietur itaque detracto ſanguine liberaliter ſectâ venâ magnâ & communi: quod tamen in magna virium conſtantiâ fieri urgenteque maximoperè dolore conſulo, cùm obſervatione *Galeni* larga ſanguinis detractio plenitudini reſpondens graviſſimorum omnium dolorum præſentiſſimum ſit remedium. I. Scopus abſolvitur; α. Sanguinis depletione. Per Venæ ſectionem,

α Concauſam.

Etſi autem id in univerſum fieri debet, tamen in hypotheſi aliter ſtatuo, ſcilicet *detrahendum ſanguinem per epicraſin*, quo minùs fiat virium diſpendium ætate jam affectâ morboque progreſſo, ſed eâ lege tamen, ut repetitis vicibus facta detractio plenitudini reſpondeat, nam gracilitas extenuatioque corporis etſi adeſſe videtur, tamen amplitudo vaſorum pulſuſque altus multo diſtendi vaſa ſanguine, ideoque *liberalem ſuadent ſanguinis vacuationem tametſi partitè factam.*

Eamque partitè factam; In parte oppoſitâ revulſionis gratiâ inſtitutam.

Sed quænam vena eſt ſecanda? Revulſio certè coërcendo ſanguinis orgaſmo, leniendoque dolori neceſſaria venam partis oppoſitæ dolenti membro tundendam eſſe inſinuat. Nec reformidanda mihi videtur nova fluxio aliquando experientiâ teſte ab ipſâ ſectione venæ proritari ſolita: nam hæc ſine dubio à largâ ſanguinis detractione avertetur, unáque præſens dolor adlevamentum capiet, & quanquam fortaſsè à venæ manus dextræ ſectione in eandem fluxionis novæ decubitus metui certò poteſt, tamen eâ in rerum incertitudine, quia levius malum eligendum, ſecanda vena partis oppoſitæ: optabilius enim eſt fluxione ambos affligi artus quàm in caput univerſam rapi ſanguinis maſſam eò utputo jam inclinantem, ſiquidem ita prænunciant pleraque hiſce doloribus adjuncta ſymptomata. Quo conſilio non præter rationem cohibitas fortè fluxiones metu gravioris mali anxii Magni Medici ſtudent omni arte revocare, ſaluti ſcilicet publicæ totius corporis quàm privatæ unius partis utilitati conſulentes.

Atqui ſi dolor univerſa infeſtet membra ſimul, certè ratio jubere videtur omnia opem perceptura aliquam à ſingulorum venæ ſectione intra unum & alterum diem editâ, quantum ſcilicet vires permittent. *Poſtremò quocunque die primùm ad ſigna plenitudinis vaſorum, vel levia febris indicia ſeſe adjungent, manifeſtéque prodent; non cunctandum in adminiſtrandâ phlebotomiâ, nec de impuritate primæ regionis eluendâ antè phlebotomiam anxiè ſatagendum in ægro medicè, hoc eſt, parcè ſobriéque vivente, & præſertim cùm diluvies ſeroſa ex interiore habitu in alvum ſponte facta, impuritatem ſi quæ*

quæ fortè adhæſerit inteſtinis ſatis ſuperque repurget, quippe in primâ ipſius morbi invaſione erumpens.

Imò verò præſentia ejus diarrhœæ de ſpeciali ſeroſi humoris arthritidis fomitis averſione per purgationem factâ minimùm ſolicitos nos eſſe jubet, quandoquidem aquoſus ille humor ſatis evidenter in illâ diarrhœâ evacuatur ex ſe ſcilicet & ſpontè effervefcens. Quò ſanè quia ad hanc ſymphoriam euphoria etiam accedit, jure ſinenda eſt nec cohibenda: *niſi placet interea aliquod viſceribus per qua decurrit ſerum exundans robur adflare exhibito identidem tantillo rhei barbari cum conſervâ roſarum aut cichorei & pulvere ſandali citrini, nec non litu totius ventris ex oleo roſaceo, chamæmelino, abſynthite aut maſtichino:* hîc ſanè magni facio *rheum*, quòd ſeroſa colluvies bilioſæ cacochymiæ plurimùm eſt immixta in his corporibus arthritidi obnoxiis. Scilicet ratione febris imò doloris ſanguis bileſcit maximè, & ſpeciatim in *Illuſtri ægroto* proventum bilis adjuvat familiaris vitæ ratio in uſu ſuccorum oleaginoſorum inflammabiliumque tota poſita.

β. Seri aliâ expurgatione nunc ob diarrhœæ præſentiam potiùs viſcerum roboratione.

Quòd ſi vehementiùs dolor urget, vireſque labefactat & alvi profluvium lentiùs pergit, eò audaciùs cùm revulſionis ab articulis proindeque imminuendi doloris gratiâ, tum foci febrilis repurgandi motus certè ille humoris in alvum ſeu ſentinam communem juvari poteſt *nonnihil addito ſyrupo roſaceo laxativo, aut ſimili blando hydragogo.*

Expurgatio tamen, ſi profluvium alvi lentius ſit, blanda inſtituatur.

Nam productam quamvis & liberalem ſeroſi humoris expurgationem minimum virium diſpendium inferre experientia quotidiana ſatis docet, & privatim *noſtro Illuſtri ægroto*, qui à tot annis diarrhœam ejuſmodi cum magnâ tolerantiâ & impunè tulit.

Atqui ſi purgatio cuiquam ſuſpecta eſt in *Illuſtri noſtro ægro, certè tutò ſerum diverti poteſt vel totum in renes uſu ſcilicet attenuantium, id eſt diureticorum* ex conſilio ſcilicet magni *Hippocratis:* α *Fuſos*, inquit ille, *humores ne intus intercludas ſuperfluos reſiccato; quippe ſive educere velis ſive ſecus,*

γ. Seri per diuretica ad renes diverſione, & eductione.

α. Lib. de humorib. Aph. 9. μὴ τὰ ἐκκεχυμωμένα ἐς τὸ ἔισω ἀπολαμβάνειν, ἀλλά τάς ἀφόδους ξηραίνειν.

cus, melius eſt attenuatoriis uti quia ſic faciliùs medicamentis educes, aut per urinam purgabis, quàm ſi aſtringentibus cohibueris coëgeriſque. Cùm autem diuretica ſint varia, refrigerantia calidis præferenda eſſe monet febris non mediocris; qualia erunt *decocta radicum aſparagi, graminis & pentaphylli, agrimonii, betonicæ, cichoraceorum omnis generis, & capillarium.*

II. Scopus perficitur per aſtringentia & refrigerantia interna.

Non me latet autem paſſim in his affectibus plurimùm commendari *aſtringentia:* & ſanè quanquam videntur ab *Hippocrate* rejici loco antè citato, & verbis hiſce conſequentibus, *ſi verò diſſipare intendes ac diſcutere citiùs & tutiùs efficies tenuioribus exiſtentibus quam frigidis & denſatis*, aſtringentia videntur mihi partim inſinuari cùm à fervore ſanguinis tum à profluvio illo alvi propè continuo, quod coërceri moderarique ratio jubet robore afflato viſceribus. Et certè nullus improbare poteſt modicum uſum *aſtringentium modò unà refrigerantium & convenienti tempore exhibitorum*, ut non impediant diureticorum actionem, & ſeorſim ab illis veniant in uſum atque etiam ſi placet in formâ potiùs ſolidiore quàm liquidâ. In eo igitur genere laudo præcipuè *conſervam roſarum, cichorei, ſpecies diamargariti frigidi, diacoralli, triaſandali, & ejuſmodi cum cibis ipſis ſi placet uſurpatas:* laudat namque *Hippocrates in cibis medicamentum.*

Nam *conſervas ivæ arthriticæ, enulæ campanæ, anthos, diacuminum, & ejuſmodi nedum decocta guajaci, vel etiam lentiſci*, febris certè ex ſe non mediocris interdicit planè, cujus ſcilicet febris tametſi neglectæ paſſim maximam rationem habendam eſſe cenſeo, itaque etiam ob ejus contemplationem *theriacæ uſus* mihi valdè ſuſpectus eſt, tametſi *recens ab Excellentiſſimo Armano* propoſita, ſi penes nos eſſet, non improbatur: nam ab antiquâ, cujus nobis copia eſt, etſi ſeroſa humiditas abſumi poteſt, & calidum ſopitum ſuſcitari recreariqueſ, tamen fervor ſanguinis febriſque & nativa conſtitutio *Illuſtris ægroti* nequaquam ejus uſum permittunt.

III. Scopus peragitur

Age verò etſi multa ſuppetunt nobis, *quæ ſeroſam colluviem*

viem totius abſorbere diſcutereque inſenſibiliter, vel etiam evacuare ſenſibiliter per ſudorem poſſunt, utcunque in prophylaxi valeant, tamen eorum uſum febris pariter interdicit & infirmitas ægri vix permittit. *Frictiones* autem, quia fluxiones juvare natæ ſunt, meritò quoque ſuſpectas habeo, niſi vacuato corpore accuratè, plethorâque attritâ, & ſub declinatione febris quo tempore nullus ampliùs fluxionum metus inceſſere poteſt: tum enim non improbârim quæ humoris reliquias ſi quæ ſunt in habitu corporis, unáque etiam influxum imbibitumque altiùs articulis humorem penitus reſolvere valent. *Sed quæ ſpeciatim humoris articulis imbibiti diſcuſſioni conferunt, mox perſtringentur à nobis.*

per tam inſenſibiliter quam ſenſibiliter ſeroſam totius colluviem abſorbentia.

Tempus enim eſt *ſymptomatis* quæ conſilium medici ad ſe trahunt conſulendi & inprimis *dolori:* huic enim quanquam videatur ſatisfactum cauſæ amolitione & diverſione, tamen ejus ſævitia maxima *& paregoricis leniri debet*, & ſi hæc fruſtra adhibentur, *obtundi obſcurarique narcoticis.* In primo igitur genere ſunto *varia ſive cataplaſmata ſcilicet ex micâ panis albi cum lacte vitelliſque ovorum & tantillo croci*, *vel ex foliis malvæ, altheæ, vel braſſicæ, aut betæ calidis admotis, vel ex ſeminibus malvæ, altheæ, vel ex furfure, ſale, & ſapâ, vel ex pane & vino generoſo ſtipticoque, vel denique ex vaccino ſtercore recens egeſto, aut cum adipe ſuillo anſerinove: ſive linimenta ex adipibus temperatis ut gallinæ, anatis, cuniculi, vulpis: ſive ſtillicidia ex lacte:* quæ *anodyna temperata* ſi non tandem tollunt dolorem, *magis reſolventia* locum habebunt, ſed declinante duntaxat febre, & præciſo metu novæ fluxionis.

Quod ad Symptomata attinet: habenda eſt ratio 1. doloris primùm paregoricis leniendi:

Reſolvent autem *linimenta ex unguentis vulgaribus & calidis famoſis, tum cataplaſmata ex tritico & fermento ſecalino aſperſo pulvere cantharidum, cui ſuperponitur emplaſtrum nigrum. Oxycroceum pariter commendatur, vel emplaſtrum ex pice nigrâ vel ſolâ, vel cum pulvere radicum ſigilli Beatæ Mariæ præſertim in iſchiade, aut emplaſtrum ex ſulfure.* Denique *cauterium ferrumve candens paſſim probatur*, ſed nullam ejus neceſſitatem in propoſito caſu eſſe video.

humor reſolvi debet.

Quæret autem aliquis an *Apocrouſticis* hîc locus eſſe poſ-

(An repel-

lentia hîc locum habeant ?) ſit, ut *poſcæ*, *ſuccis lactucæ*, *portulacæ*, *&* *id genus?* ſanè cùm hæc frigida medicamenta affluxi ſeri exudationem è parte affectâ non obſcurè impediant, ratio interdicit eorum uſum & præſertim cùm fruſtraneus ut plurimùm ſit: cùm enim fluxio fiat ab orgaſmo humoris ſpontaneo, ab iis nequaquam impediri motus ille poſſe videtur, ut introrſum humor refluat & hoc non niſi cum magno vitæ diſcrimine fieri poteſt, metuque longè graviorum affectuum.

Dein, ſi iſta non juvant, narcoticis temperatis obtundi debet.

Atque ob eandem cauſam quæ ſunt *anodyna ſecundi generis*, hoc eſt, *narcotica*, ea vix ac ne vix in uſum venire debent, hoc eſt, urgente duntaxat ſummo dolore, qui inſomniam inferat, vireſque valdè affligat, & in hoc caſu temperata duntaxat in ſuo genere uſurpanda cenſeo, quale eſt *cataplaſma ex foliis hyoſcyami*, *vel violariæ*, *aut ex ſeminibus ejuſdem hyoſcyami*, *aut radicibus mandragoræ coctis ſcilicet cum lacte*.

2. Diarrhœæ, moderandæ, non cohibendæ.

Jam verò quod ad *ſymptomata quorum ratio aliqua habenda*, de *diarrhœâ* ſatis dictum, quæ moderanda tantùm non cohibenda utpote utilis, & potiùs *congruâ victus ratione* quàm medicamentis, ad quam victus rationem accedendum, ſi de uno *ſopore*, qui reſtat *cum motibus convulſivis* conſiderandus, unum verbum: nam hæc ſymptomata cùm ſint mala ut & ſigna, & ut cauſæ, eorum providentia haberi debet aliqua; quanquam enim citiùs tutiúſque averti nequeunt quàm primo quoque tempore *ſectâ venâ repurgatoque corpore blandis hydragogis*, *particularis tamen colluvies eorum fomes*, *hoc eſt cephalica purgationem* indicat ſive per *maſticatoria errhinaque*, ſive per *externa reſolventia ut ſacculos ſale & ſulphure plenos*, *aut admotum panem è clibano recens extractum cervici ſcilicet illitæ priùs oleo maſtichino in quo benzoin decoxerit*, *ſive alia*, *quæ in prophylaxi proponentur*.

3. Soporis & motuum convulſivorum.

Ubi caput particulariter purgantia & reſolventia adhibenda.

Victus qualis debet inſtitui ?

Age autem quod ad *victus rationem* pertinet, pauca de eâ habeo dicere, quia & conſuetudo & propria arthritidis ſpecies *Illuſtrem ægrum* certæ cuidam jam aſtrinxerunt diætæ: ad tantam enim calamitatem ferocia mali illum adduxit, ut non niſi liquidis veſci fruique poſſit, ſiquidem maxil-

tam quo ad cibum.

maxillam devinxit adeoque conſtrinxit, ut pro arbitrio diducere aut movere ad ſolidiorum ciborum præparationem illi non ſit ampliùs integrum. Præterea ſibi quoſdam cibos adeo familiares longâ aſſuetudine reddidit, ut reliquos prorſus faſtidiat. Ergo per me licet in uſu pergat liquidorum, ſed eâ tamen lege, ut ſuccis carnium expreſſiſque & conſummatis quippe bileſcere & inflammari paratioribus, orgaſmoque & fervori ſanguinis temperando minùs idoneis cariores contrà habeat *liquores temperatiores & ad frigus cum ſiccitate inclinantes, uti ſunt panatellæ ſimplices, juſcula carnium vitulinarum, gallinacei generis non ita excoctarum quibus oriza vel potiùs hordeum incoquatur, niſi placet potiùs portulacam vel cichoreum inquirere domeſticum. Carnes perdicum, phaſianorum & ſimiles unà cum ſuperioribus in eſum venire poſſunt.*

Iis autem præmitti poteſt *cidoniatum* ratione habitâ profluvii alvi, ut & bellariorum loco concedi *conſerva de ribes, & roſarum, aut aliqua alia ſimilis: maſtiches grana in* hunc finem commendo *exhibita ſcilicet cum ovo ſorbili ſed benè cocto tamen*, quamquam ovorum uſum rarum jubet metus nephritidis.

Non eſt verò pertimeſcendum ne ab uſu etiam moderato ciborum in magnâ mole parum nutrientium faciſcant vires quia cùm corpus immobile perpetuò lecto alligetur, & quieſcat, viribus retinendis parciſſimus cibus poteſt ſufficere; ſed ea parcimonia majori religione in potu minimè nutriente ſervanda eſt, quia aliàs cùm à ſolidis & ſiccis cibis quorum ratione duntaxat potus ex inſtituto naturæ conceditur, prorſus abſtineat ſoliſque liquidis cibis utatur, facilè poteſt carere potu: & bellè cadit quòd cùm perenni aquæ è capite depluvio os madeſcat, ipſe æger vel in mediis febris ardoribus potum minimè excepit. Debet autem *potus omnino refrigerare & ratione diarrhϾ ſubaſtringere:* ergo *vini*, cujus uſus multis graviſſimis de cauſis non poteſt non inſalubris eſſe, & inprimis à febre non parvâ prohibetur, *vini*, inquam, *vices gerent decoctum granorum mali punici, vel berberis, vel lentiſci ſed in paucâ admodum quantitate,*

quàm quo ad potum,

titate, vel aqua inaurata, cui addi poteſt ſyrupus granatorum aut cidoneorum, vel conſerva roſarum, vel denique julepus Alexandrinus, aut ſimilis liquor ægro non ingratus & inſuavis

& Aëris uſum:

Cæterùm, quod maximi momenti eſt in *victus ratione*, accuratè cavendum ne *ambienti frigido* æger unquam & præſertim de nocte exponatur, & cùm febris frigidi inſpirationem ſuadeat, omninò tamen reliquum corpus à frigoris injuriâ omni curâ defendi debet & præſertim de nocte, quamquam conſuetudo ægri æſtuſque interni ſenſus omninò reclament. Itaque *ſtragulis contegatur levibus quidem & minimè comprimentibus ſed calefacientibus medicè: ex quo panni coccinei & tergora ſubſtrata paſſim abjiciantur, pelleſque potiùs ſuccedant aut ſtragula Catalaunenſia.*

Præſervatio ab Arthritide,

Agedum autem *Prophylaxis Arthritidis* in præſcindendo apparatu corporis ſive ejus cauſis omnis generis amoliendis conſiſtit, quæ ex ſupra dictis partim ad *ſeri pleonexiam*, partim ad *ejuſdem ſanguiniſque gargaliſmum* omninò referuntur.

Non conſiſtit in Confortatione partium ſuſcipientium imbecillium;

Nam quòd paſſim Medici *imbecillitatis partium ſuſcipientium habendam eſſe monent rationem*, meo judicio laborant fruſtra in conſulendo, quod non eſt noſtri arbitrii & juris: quòd enim articuli reliquis membris faciliùs promptiúſque ſerum ſponte ſuâ efferveſcens excipiant admittantque, illa propenſio non ab eorum imbecillitate ſeu intemperie aliquâ, hoc eſt, laxitate vel raritate, verùm ab ipſâ conformatione, eaque non in cavitate poſita ſed potiùs in conjunctione cum vaſorum omnium finibus repetenda eſt: quam conformationis partem immutare minimè eſt in noſtrâ facultate poſitum. *Articuli enim hoc ſolùm nomine deſpumantem aquam admittunt imbibuntque neceſſariò, quia in iis ſiſtuntur terminanturque vaſorum internorum propagines extremæ: ſcilicet ebullitio primùm quidem in majoribus vaſis interniſque incipit, ſed ſerum ebulliens efferveſcit & exundat in minores, tandemque in extremos ſurculos, qui cùm non habeant unde refundant imbibitum humorem, inde is in articulorum cavis, in quibus ſcilicet extrema vaſa ferè univerſa ter-*

minantur, ſiſtitur aggeriturque uſque & uſque, ex quo neceſſe eſt à continenter impetente ſero diſtrahi violenter à ſe invicem ipſos articulos.

Quod ſi ſtatuamus ſive *ſtrictis ligaturis*, ſive *frigidis medicamentis ab artubus longè latéque repelli poſſe confertim irrumpentem humorem*, id verò ultro fatemur, ſed hoc pacto ægrum in manifeſtum vitæ diſcrimen adducere pertendimus, cùm repulſa ſeroſa illuvies neceſſariò vel pulmonem, vel aliquod aliud è nobilibus viſceribus irruat invadatque, quò ſanè, præſtat ſinere, ut ſeroſa illuvies præceps in externa membra ruat. Neque in humoris irrumpentis repulſione:

Ergo quia quæ *providentia* haberi poteſt tuta & omnis noxiæ exors, *ea verſatur in cauſis tollendis, quæ ad plenitudinem referuntur ſeri, ejuſque orgaſmum, cui fervor ſanguinis principium impetumque dat, plenitudo quidem ſeroſas cauſas habet partim æſtuoſam viſcerum naturalium intemperiem, partim earum rerum quæ ad aquæ genera pertinent intemperantem uſum, partim cohibentes ejuſdem ſeri naturalem vacuationem cauſas, vacuationem, inquam, ſive quæ fit per habitum corporis, ſive per renes & veſicam, ſive quæ à labore conſuetoque exercitio fit: ſanguinis autem fervor & orgaſmus, cujus vi ſerum ebulliens ſeparatur efferveſcitque in articulos, cauſas habet cùm nativam ſanguinis ad phlogoſin propenſionem, tum verò plenitudinem & copiam nimiam ut antè monitum, ſiquidem incuneatus præ copiâ ſanguis nec ventilatus incendium ex ſe concipit; ſed & ad has accedunt cauſas ſuppreſſio naturalis exſpirationis fuliginum neceſſariò ſuccreſcentium & potiſſimùm cauſæ externæ fortuitæque, cujuſmodi ſunt animi pathemata (nam corporis labor hìc accuſari nequit) & inprimis commotio aliqua aëris ſive evidens quæ ex mutatione temporum anni contingit, ſive obſcura ob influxum aliquem ſyderum.*

Quæ cùm ita ſint & cauſæ propè omnes à rerum non naturalium genere petantur, ratio prophylaxews ferè tota poſita videtur in congruâ victus ratione, quò ſanè arthritici ſtrictum exquiſitumque vivendi genus omninò amplecti debent & eò obnixiùs, quò id compertum eſt etiam citra medicamentorum ſocietatem ſæpè vim impetumque arthritidis eludere: nam hujus Sed in recto uſu triplicis remediorum generis.

 gene-

generis cauſarios puta vi morbi jam diu fractos & langueſcentes, & verò tædii plenam aliàs vitam traducentes, variis etiam moroſiſque medicamentis fatigare religioni eſſe debet, itaque benignis quoad licet nec ingratis res agenda. Ergo ut pauca præmittam quæ ad *pharmaciam ſpectant & chirurgiam plenitudini ſanguinis unáque fervori avertendo* (ut vana non ſectemur remedia) nullum præſentiùs remedium & alioqui corpus εὔπορον atque omnium medicamentorum capax reddere magis idoneum *ipſâ ſanguinis detractione per phlebotomiam venæ alicujus communis, repurgatâque primâ regione levi aliquo medicamento ſive ſyrupo, ſive melle infuſionis roſarum pallidarum, ſive mannâ, eâque celebratâ ſingulis menſibus ſaltem quo tempore recrudeſcere hi morbi ſolent, ſcilicet* α *Hippocratis obſervatione podagrica Vere & Autumno ineuntibus moventur plerumque imò præcipitibus, ſiquidem experientia quotidiana ita me docuit & præſertim in Illuſtri ægroto.*

I Remediorum Chirurgicorum. Qui conſiſtit in ſanguinis præmiſſo levi med. purgante,

Singulis menſibus, ſed parcâ manu detractione:

Addo autem ſingulis menſibus quoniam eadem experientia me docuit quotieſcunque per inducias vel paucarum ſeptimanarum æger corpus refecerit, ſanguiniſque jacturam reparaverit, tum primâ quâque commotione aëris & alteratione ſive ad algorem, ſive ad æſtum omnino arthritim recrudeſcere. Et certè ſæpe audivi Magnos Viros ex arthriticorum familiâ nihil longo uſu reperiſſe retardandis cohibendiſque fluxionibus arthriticis, ſi non prorſus tollendis ipſâ venæ ſectione, eoque ejuſdem uſum etiam in affectâ ætate non reformidâſſe. Itaque *repetita placet venæ ſectio & per epicraſin:* quod ſi probatur, nemo non videt *omninò parcâ manu eſſe adminiſtrandam*, & quantitatis hunc eſſe ſcopum ut provideatur duntaxat, ne turgeat ſanguis in vaſis & orgaſmo ſpontaneo commoveatur.

II. Pharmaceuticorum.

Jam verò ſeroſa colluvies etſi imminuitur repetitâ venæ ſectione, tamen quia una conſtituitur à nobis doloris arthitici cauſa continens, ea certè exſiccari, avertique ejus impetus in articulos omni arte debet. In quo negotio imitari lubet eos œconomos, qui paludoſa loca & arva aquis ſtagnan-

α. Lib. Aph. 6. Aph. 55. τὰ ποδαγρικὰ τοῦ ἦρος καὶ τοῦ φθινοπώρου κινέεται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

ſtagnantibus infamia exſiccare tentant, ut iis reſiccatis & ad mediocrem temperiem reductis ſemina tutò certóque concredere poſſint: illi namque, ſi citò negotium confectum cupiunt, interdiu noctuque tanquam *Cleanthes* alteri ſive *Phreantles* in exhauriendá aquâ vacuandâque continuò ſudant, aut ſcrobe altiùs defoſſâ lapidibus injectis ſaburrâque multâ ebibunt, aut ſi ita maturandum non cenſent exſpectantes,

Dum Procyon furit
Et ſtella veſani leonis,
Sole dies referente ſiccos.

Plures tum ſulcos facie tenus effodiunt, per quos aqua tanquam per rivulos deducta expurgetur. Ita ſanè *ſeroſa in nobis illuvies vel affatim expurgari poteſt ne putreſcens invehat febrem, aut longiore morâ calorem in nobis vitalem ſuffocet, vel medicamentis ſiccis ebibi, calidis reſolvi, vel ſaltem veluti per rivulos quoſdam cum ipſo fonte continuo diduci, & ſenſim ſine ſenſu diffluere citra moram noxamque, & ita veluti caput fontis areſcere.*

Ut Seroſæ Illuvies è corpore vacuetur quod fit triplici remediorum genere.

Ac quantum ſpectat ad ea, *quæ ſimul & ſemel atque evidenter ſerum bilioſum evacuant, in triplici ea ſunt differentiâ; ſcilicet quædam per alvum repurgant, alia per renes, & partim per habitum corporis. Primi generis* longè multiplicia ſunt magis minúſque potentia, & quæ ex iis mediocria præ cæteris mihi in *Illuſtri ægroto* commendantur, ſed *ſeptimo vel decimo quarto quoque die uſurpata:* nam cùm per ſe ea illuvies inclinet in alvum, concitatior motus fieret & infeſtus naturæ à diagridiatis, & generoſis hydragogis. Ergo contenti ſimus *ſero lactis bene depurato, ſyrupo aut melle roſarum pallidarum, caſſiâ, cnico, ſemine ebuli, atque agarico; & his non niſi raro ſed potiùs tantillo rhabarbari tum ichores bilioſos repurgandi gratiâ, tum roborandi ventriculum, ſed & potiſſimùm repurgandi ſerum per renes.*

1. Genus Spectat ad ea, quæ ſimul & ſemel atque evidenter vacuant idque triplici modo.

α. Per alvum repurgantia mediocria, ſæpiùs repetita.

Quæ purgatio minus turbarum dabit ægro, & naturam ancillantem habebit, ideoque magnifacienda: & cùm ad eam victus ratio potiſſimùm ſit inſtituenda, de quâ infra, tum verò præter *rhabarbarum* quocunque modo ſumptum ſive

β. Diuretica: atque ea quæ viſcerum & ſanguinis fervorem temperant.

ſive in ſubſtantiâ, ſive aliter ut *in tabellas cum ſpeciebus trium ſandalorum redactum*, laudo *conſervam betonicæ, cichorei, capilli veneris & cætera;* nam ejuſmodi reſpiciunt viſcera & caput fontes ſeroſæ colluviei, & ſimul etiam quodammodo temperant viſcerum ſanguiniſque fervorem *Syrupi ex iiſdem plantis* parvam laudem apud me habent, ſed majorem *ſucci*, ut *cichorei per dies caniculares condenſati.*

γ. Sudorifica: quæ hic vix locum habent.

Jam verò quæ per *ſudores ſerum repurgant* etſi per regionem convenientem naturæque familiarem faciunt, tamen ut commodè ægro adminiſtrari queant non facilè video, nam à calidiorum uſu metus eſt fervoris ſanguinis, & balnearum plumbariarum uſui tempus idoneum ferè ſemper præripitur ab aliquo inſultu novæ arthritidis. Laconica autem vix ac ne vix ipſe admitteret. Ex quo ſatis erit providere *ut non tam ſudor notabilis procuretur, quam mador aliquis iſque quotidianus & ab uſu potiùs ſtragulorum calidorum quam medicamentorum ſudorificorum: nam de cylindiſi Hippocraticâ, rutilatione ad ſolem & ejuſmodi obſoletis remediis*, quibus ſenſim ebibi ſeroſa in habitu illuvies poteſt, nihil eſt neceſſe dicere, cùm longè minùs adminiſtrari quàm ſuperiora poſſint.

Sudoris itaque loco mador quotidie procurandus.

2. Genus ea ſubminiſtrat, quæ humores imbibere & exſiccare poſſunt.

Atqui quæ aſſumpta humores imbibere & exſiccare poſſunt, ut ad ſecundam rationem pleonexiæ ſeroſæ corrigendæ veniamus, ea ſanè non pauca ſuppetunt & in eo genere paſſim laudantur *pulveres ex iiſque confectæ conſervæ, opiatæ, condita;* ſed cùm hæc ferè adverſentur è diametro diureticis hactenus laudatis, *eorum uſus cibis potiùs immiſcendus quàm ſeorſim commendandus;* ea autem cujuſmodi par eſt ut potiùs ad frigiditatem quàm calorem inclinent. Exemplo ſunto *conſerva roſarum antiqua, tabellæ roſarum cum tantillâ terrâ lemniâ, diamargaritum, diacorallium, triaſandalum, & ejuſmodi.*

3. Genus exhibet aquoſam Illuviem ſenſim educentia.

Poſtremò quæ per rivulos ſenſim derivant, deducuntque aquoſam illuviem, ea ſunt quæ quotidiè uſurpata, aut perpetuò admota ſive applicata corpori quâcunque ratione paulatim aquam eliciunt ex fontibus ipſis illectamque abſorbent, & abſumunt. Ac quæ uſurpata quidem viſcera ſeu fon-

Qualia ſunt

fontes exhauriunt, ea ferè ſunt *diuretica* quæ quotidiè in veſum venire poſſunt, *uti juſcula aperientia de quibus in victus ratione.*

α. Diuretica cum cibis aſſumpta.

Quæ autem tertium fontem, hoc eſt, caput reſpiciunt ſunt *apophlegmatiſmi*, *maſticatoria*, *errhina*, & id genus ex quibus errhina præ illis tutiora videntur: periculum enim eſt ne redundans plurimùm aqua in capite quanquam leviter attracta univerſa tamen pro fluxilitate inſitâ & confertim depluat in pulmones, aut ventriculum magno cum ægri detrimento & viſcerum labefactatione. Nam aquæ id ingenium eſt ut accepto motus principio levi ſponte naturæ decidat, ejuſque impetus haud facilè poſſit coërceri. Satis igitur erunt in illo genere levia admodum ut maſtiche, paſſulæ, nux moſcata, radix angelicæ: inter errhina autem probo majoranæ, ebuli, aut iridis ſuccos cum vino extractos & in nares prono capite attractos, & maximoperè commendo uſum oxymelitis vel mellis ſcyllitici.

β. Caput reſpicientia, tam errhina.

Ad hunc ſcopum pertinent *externa remedia ſenſim è capite aqueum humorem & ſine damno attrahere nata idque valdè mediocriter:* nam exſiccantes & refrigerantes pulveres è *galliâ*, *hypocyſtide*, *roſis*, *idque genus* cerebrum exterius tantùm exſiccare poſſunt. Probantur ergo *maſtiche*, *ſandaracha*, *flores ſalviæ*, *meliſſophylli*, *anthos*, *abſynthium*, *coriandrum*, *nigella quocunque modo admota*, *& non niſi manè jejunoque ventriculo uſurpata: emplaſtrum de betonicâ aut tacamahacâ probantur*, *& hoc ceratum*, *quod conſtat ex laudani ʒ. ß. maſtiches ℥. ij. thuris*, *ſtyr. ana ʒ. j. ſulphuris*, *ſinapi ana ʒ. ß. reſinæ*, *picis navalis ana q. ſ. miſce. fiat ceratum.*

Quàm externè humorem attrahentia.

Poſtremò ad hoc genus deducendis aquis tanquam per rivulos accommodatum *veſicantia* pertinent, *& cauteria*. *Veſicantia* certè quia non ſolùm ex alto trahendi ſed ſenſibiliter citraque moleſtiam & noxam humores aqueos evacuandi vim habent ideoque fluxiones ſive in artus nervoſumque genus, ſive in ventriculum cohibent atque intercipiunt, omnino tanquam utilia ſalubriaque ſtatuere oportet, & eo nomine quòd excretiones ad partes externas juvant, imo urinas provocant. Nec revocare poteſt febris

Item veſicantia ponè aures applicata;

metus cùm paſſim in malignis graviſſimiſque febribus eorum uſum magni medici minimè reformident, & vulgus ſine diſcrimine in benignis diuturniſque uſurpet. Ergo eorum uſus etiam ſæpiùs repetatur, exempli gratiâ ſit *hoc energicotaton. ℞. cantharidum præparat. ℥. ß. euphorbii, ſinapi an. ʒ. j. ſeminis ammios ℈. ß. ceræ, terebinthinæ an. q. ſ. miſce. fiat ceratum pone aures raſo capiti applicandum.*

Jam verò ut in deducendis aquis foſſæ ſuperficie tenus & capiti fontis continuatæ laudantur, quæ pedem gallinæ quandoque referunt, ita *cauteria* admota fontibus ſeroſæ colluviei expurgandis parem vim habere videntur. Ac cùm utrique cruri ea admoveri debere viſcera fontes aquæ præcipui ſuadeant, & capiplenium utrique brachio, tamen quoniam artus videntur quodammodo tabe confecti in illuſtri ægroto, *ſaltem inuſtum occipiti imo rejici non poteſt*, quod etſi non ſine tædio ferendum eſt, tamen quia ejus maxima neceſſitas nedum utilitas id jubet, ea certè moleſtia æquo animo eſt devoranda, quippe quod vehementiam arthritidis jamjam fauces maxillaſque, imò jugulum ipſum conſtringentis retundere evidenter poteſt, imò verò ſi reputamus per morbi inducias inſolitas & plurium menſium corpus *Illuſtris viri* recreatum refectumque non mediocriter, & carnoſum genus quaſi redivivum ſuccreſcere, pulſum præterea conſtantem integritatis virium locupletem teſtem, necnon tolerantiam firmam tot & tam atrocium dolorum per tot retrò annos quibus non fractus corruit, ſed viget vegetque etiamnum & quodammodo floret inſtar redivivæ aquilæ invictus princeps, nemo certè niſi molli & fracto animo abhorrebit à cauteriis prædictis membris inuſtis, quæ tantùm ſuperficiem cutis lambant & urant, aliàs corpus macie confectum ea non ferret impunè.

& Cauterium occipiti inuſtum.

Atque hæc ſatis ſuperque de iis quæ è pharmaciâ aut chirurgiâ petuntur remedia: nam quæ fervori ſanguinis compeſcendo, temperandis viſceribus, corrigendæ cutis denſitati, cæteriſque cauſis ſive colligentibus ſeroſum humorem ſive moventibus prodeſſe poſſunt, ea partim hactenus ſunt inſinuata, partim & po-

tiſſi-

tiſſimùm ex victus ratione intelligentur, ad quam accedere tempeſtivum eſt.

Principiò ergo quoniam ſeroſæ pleonexiæ potulenta eſculentaque materiam ſubminiſtrant, nullum ſiquidem vivens quamvis ſolidum quod in eſum hominum veniat non aliquid humiditatis continet ejuſque aqueæ magis, quàm oleoſæ, ſed ſemper terram exuperantis, uti ex arte factis extractionibus liquet, è quibus humoris multum, ſalis autem ſive cineris ac terræ elicitur minimum, prima ſanè lex in arthritidis præcautione hæc magnâ ſervari religione debet, *ut tantum cibi aſſumatur quantum viribus reficiendis & conſervandis ſit ſatis.* Quamobrem bonum factum *ſi Illuſtris æger ſit in victu & præſertim potu parciſſimus, & à cœnâ abſtineat ſæpiculè:* quod ei non moleſtum certè non injurium eſſe poteſt, cùm perpetuæ quieti corpus ſit emancipatum, unique lecto aut cathedræ tanquam *Caucaſo Prometheus* ipſe ſit affixus alligatuſque. Experientiâ teſte hydropici aut pauci integrâ à potu abſtinentiâ unius anni ſunt priſtinæ redintegrati ſanitati cur non & arthritici? *vas eſto vir Illuſtris Italus* (nomen cum libello effugit quæſtionem per parvitatem) *qui cùm ab ineunte juventute plurimis morborum generibus in primiſque arthritidi obnoxius vixiſſet, parcâ victus ratione diurnoque potu ad uncias duodecim redacto immunem ab omnibus morbis deinceps firmamque & conſtantem vitam ad provectam perduxit ſenectutem.*

III. Rerum non naturalium.

Hic 1. in victu tam cibi quantitas,

Obſervatio.

Jam quod ad *ciborum qualitatem* ſpectat, mihi certè placere non poteſt familiaris *Illuſtri ægro* tota victus ratio humida actu calidaque. Mallem equidem in poſterum aſſueſceret *ſi non ſiccis ſolidiſque omninò, ſaltem mediæ conſiſtentiæ cibis, & frigidis, ut ſunt panatellæ; nam carnium ſucci, gelatinæ, & ſimiles bileſcunt facilè ſanguinemque phlogoſi ſeu inflammabilitati propriorem generant magiſque ſeroſum.* Et quandoquidem maſticandi uſus extra paroxyſmos liber eſt, *cur non ipſiſmet carnibus integris veſcatur potiùs quam ſuccis non video; ſcilicet vitulinis, hœditanis, gallinaceis, ac perdicum, & ejus generis. Juſcula tamen neque interdico paulo ante paſtum ſed in quantitate valdè*

& qualitas;

dè modicâ, & diureticis ſaporata herbis aſparagis, petroſelino, capparibus, intybo.

Atqui cùm odium illi eſſe debeat cum fructibus omnibus, excipio tamen *paſſulas & ficus*, imò multis nominibus ſalubres eſſe judico. Ac tot ſuccis demum *panis uſum præfero illi inſuetum, eumque ſale fœniculoque ſaporatum.*

Quàm etiam Potus, obſervanda.

In *Potu* porro longè ſtrictior meâ ſententiâ quàm hactenus fuerit non ſolùm penes quantitatem eſſe debet ſed etiam qualitatem. Nam ſi me audiat, *vino*, cui quidem generoſo & meraco ferè etſi modico hactenus aſſuevit, carere inpoſterum debet non ſolùm quia id eſt aquæ genus ex ſententiâ a *Ariſtotelis* ſive aqua putrida, ut dicebat *Empedocles*, itaque feroſæ plenitudinis materia, ſed potiùs quia eſt ſanguinis ad inflammationem proni nutrimentum & quaſi ad ſuccendiculum, quod à vitali in vino ſuperſtite calore ſanguis principium fervoris accipiat facilè quæ eſt febris occaſio, atque arthriticarum fluxionum: ſed ab ejus uſu nativa fervidaque viſcerum intemperies fovetur maximè, ut taceam vino qualitatem ineſſe nervoſo generi infenſiſſimam, atque ſpontaneam mobilitatem ad caput præcipuum fontem totius morbi. Experientiâ certè conſtat ab ejus abſtinentiâ integrâ non paucos ſeſe vindicaſſe ab arthritide. *Vivit in aulâ noſtrâ Vir admirandæ temperantiæ qui cùm perpetuis arthritidis querelis infeſtam tranſegiſſet adoleſcentiam, & ex conſilio Clariſ. Viri Nicolai Piſonis piæ memoriæ parentis mei in flore ætatis ſibi vini uſum prorſus interdixiſſet quanquam præfectus vinariæ cellæ principali, jam à triginta annis ab iis ſeſe doloribus penitus liberavit.*

Obſervatio.

Ergo operæ precium *Illuſtriſſimus æger* fecerit ſi abſtemius deinceps vivat, *& hydroſaccaro aut ptiſſanâ magiſtrali ex hordeo, liquiritiâ, paſſulis, ficubus, coriandro vel aniſo, vel fœniculo* (nam à cinamomi uſu ſtatim ſanguis ebullit rapiturque in caput, ut hæmorrhagia ejus uſum conſequens indicat) *Æſtate quidem utatur, hyeme autem decocto aliquo, ut ſaſſaphraſ. vel lentiſci, ſed admodum diluto.* Quòd ſi *vino* prorſus carere illi non lubet, *abſynthites ſaltem ſed parciſſimum delibet, idque benè dilutum aquâ chalybeatâ ſive potius inauratâ, vel ferratâ tantoperè à Clariſſimo Alexandro Petronio*

a. 4. Meteor.

nio in ſplenicis commendatâ ; hæc namque ſtringit, & quodammodo exprimit ſuperfluum in vaſis ſerum expreſſumque in renes deducit, itaque ſplenem aquarum conceptaculum comminuit experimento Cornelii Celſi in canibus aquam fabrorum potantibus.

Atque hæc de cibo & potu, niſi placet addere *condimenta*, ſeu potiùs alvum liquidis aſſiduò diffluentem excrementis corroborantia, ut ſunt *cydoniorum ſuccus conditus*, *conſerva roſarum antiqua*, *conſerva de ribes*, *de berberis*, *& ejuſmodi*, quæ ſanguinis quoque orgaſmum coërcere poſſunt, & æſtum ejuſdem unáque viſcerum temperare. Non neglectis condimentis idoneis.

Sed non prætermitti debent memorabiles cautiones in uſu reliquarum *rerum non naturalium*, & inprimis *aëris ambientis*, cujus extremæ qualitates omnes tanquam maximè adverſæ *Illuſtri ægroto* feriò quantum in nobis erit ſunt corrigendæ. Commotio enim ejus tempeſtaſve ac cæteræ alterationes, quæ à ſuperioribus imprimuntur corporibus ſanguinemque horſum vorſum agitant, & in orgaſmum impellunt, ſuſque deque à nobis habendæ, quòd noſtram excedunt providentiam : *quæ ſupra nos, nihil ad nos.* Ergo quia inprimis aër maximè infenſus eſt frigore ſive quia ſerum ab habitu in centrum exprimit ſanguinemque intro compulſum per antiperiſtaſin agitat inflammatque, ſive quia retinet effluvium perenne utileque vaporum aquei generis è toto corpore, accuratè profectò *Illuſtris Vir* ab aëris inclementiâ defendendus : ex quo ſedùlò intendendum domeſticis ſtragulis ita ſemper muniant corpus *nulla ut vis frigoris* ferire id poſſit. Aëris quidem frigidi inſpiratum verno præſertimque æſtivo tempore permittit, imò ſuadet temperatio fervoris ſanguinis circa cor qui febrem accendit, ſed eâ lege ſuadet, ut nihilominus reliquum corpus planè ſit tectum & impervium injuriis aëris. 2. Aër frigidus vitandus.

Jam verò *excretionis ſuperfluorum* & præſertim *vaporum* qui *per cutem exſpirare* aliàs ſolent, cura huc pertinet eaque ſanè magni momenti. Quia ergo cohibentur potiſſimùm per cutis denſitatem, videndum feriò ut non ſolùm frigus externum non tangat corpus, denſetque habitum, ſed den- 3. Excretiones ſuperfluorum per cutis ſpiracula promovendæ.

ſitas jam contracta corrigatur, muteturque cum rariorẽ texturâ. Quamobrem non ſolùm *ſtragula à pilis caprinis, ſericove cocco infecto texta* hactenus illi familiaria cum *plumis*, certè cum *pellibus calidis & levibus ut quæ è mure pontico, vel marte* parantur commutanda: ſed adjungendæ *frictiones quotidianæ* eæque molles, longæ, leveſque, & *litus* quoque ſeu *unctiones* ex *oleo amygdalino, de behen, ſeſamino, liliaceo temperatis temporibus, hyeme autem anethino, amaracino.* Optandum equidem foret per virium alacritatem membrorumque robur exercere poſſe corpus quotidie *Illuſtri ægroto* eſſet integrum tum ad firmitatem articulorum retinendam juxta [α] *Hippocratis* conſilium: *labor articulis, ſomnus viſceribus*, tum reliquiarum affluxæ materiæ ſeroſæ perfectam diſcuſſionem, tum denique ad impediendam ejuſdem pleonexiam, quæ ab otio præſertim ſuccreſcit: verùm quoniam ſive mollitiâ animi dolorem omnem à quovis leviore corporis motu exacerbari ſolitum refugientis ſive impotentiâ & exſolutione membrorum ita eſt alienus ab omni labore, ut vix è lecto ſurgere aut in cathedrâ ſedere, nedum ambulare equitare aliterve corpus exercere ſit ei jam liberum, inde eò diligentiùs frictiones exercitii vicariæ ſunt adhibendæ. Imo non erit ab re ut ſemel & iterum in hebdomada ſudet in *Laconico* ſtruendo ſi placet ad Romanarum thermarum imaginem non longè à cubiculo principali. Nam cùm quò natura ducit, eò vergere oporteat; natura autem benè conſtituta è centro ſoleat impetu capto exundans ſerum per corporis habitum præcipuè excutere, ſi modo viæ pateant, utiliſſima erit hæc vacuatio quæ regionem naturæ familiarem & commodiſſimam habet. In ejus uſu autem providendum, ut ore quidem auram frigidam temperamento ſanguinis opportunam captare poſſit, ori & naribus admoto inſtrumento quodam in externum patente aërem, & interea os frigidâ colluendo, vel aquâ roſarum aut poſcâ, ſed reliquum tamen corpus defendat ſedulò ab ambientis frigore.

Scil. ſtragulis levibus & mollibus,

Frictionibus & Inunctionibus,

Atque Laconico:

Occaſio autem ejus erit tempus declinationis febris, & fluxio-

α. Lib. Epid. Sect. 56. Aph. 9. πόνος τοῖσιν ἄρθροισι, ὕπνος σπλάγχνοισι.

fluxionum poſt exactum ſcilicet quadrageſimum diem à primâ invaſione paroxyſmi ex annotatione *Hippoc.* aut potiùs proximè conſequens, quo ſcilicet tempore & reliquiæ morbi diſſipandæ, & minor metus inceſſit novi paroxyſmi toties experimento noſtro recurrentis, quoties ſanguine vaſa vel mediocriter diſtenduntur ejuſque exhauſtus à lautiore victu eſt reparatus: nunquam enim occaſio incendii, vel orgaſmi ſanguinis deeſt quoties in vaſis abundat.

Ex quo iterum nemo non colligit quantâ religione frugalitatem, quâ omnis morbifera diluvies circumcidatur, *Illuſtriſſimus Vir* colere debet: ubi namque primùm refecerit vires nitidiorque ſolito fuerit, tum ſuſpecta habere debet ſua bona.

Ut redeamus autem è diverticulo in viam *ſtuphis aſſueſcere poteſt*, & ſi ægrè ſudor dimanat non ſolùm *prædictis* adjuvandus *linimentis*, ſed *decocto aliquo hydrotico eoque temperato, ex gr. ficuum, hordei, addito ſyrupo capilli veneris, vel loco decocti ſyrupo Divi Ambroſii;* imo non inſalubrem ſentio uſum *corniculorum & ſcarificationum* toti carnoſo generi adhibitarum. Denique *cucurbitulæ ſine ſcarificatione* ſæpiculè extra ſtupham in uſum poſſunt venire, ut ſenſim externis evacuationibus ſeroſæ illuviei natura aſſueſcat. Denique adhibitis ſtuphis, decoctis hydroticis: & cucurbitulis cum & ſine ſcarificatione.

Atqui ad majorem fidem & lucem ſuperioris hujus ſermonis & novi dogmatis operæ precium erit fatalem extremumque morbum & totius corporis œconomiam, qualem ipſa anatomia ſubjecit oculis, breviter perſtringere. *Ergo circa novilunium Menſis Novembris Anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptimi, cùm jam quindecim dies febris, arthritis, ſopor, cæteraque ſymptomata crudeliter pro more Illuſtrem exercuiſſent Principem, ecce derepentè inſolita acceſſit ſpirandi difficultas ad ſublimem accedens & rectiſpira, eaque dolore univerſi thoracis ſuperioris comitata, atque gravi illo quidem magis quàm pungente, & unà tuſſicula ſed rara: eo dolore quarto die evaneſcente ſupervenêre ſopor, genarumque rubor, febre intereà ſpirandique difficultate increbreſcentibus.* Morbi Eventus.

Quem morbi progreſſum tametſi ipſe nequaquam viderim, tamen ex auditu & diligenti perquiſitione à domeſticis tum

præ-

Ejus in Peripneumoniam lethalem commutatio:

præcipuè ab Illuſtri ægro habui ſerò ſcilicet & triduo duntaxat antequàm exceſſit è vitâ vocatus, itaque illico peripneumoniam urgere & jam ad ſuppuratum & brevi ad mortem tendere ſignificavi, cùm tamen pro febre ſimplici catarrho conjunctâ duntaxat àb omnibus haberetur. Nam & pathognomonica ſigna eum affectum evidenter arguebant, & præter ſputa toto morbi tempore alba, viſcida ſpumoſa prorſus, rotundaque, æſtus, ſuffocatio, & veluti lipothymia, nec non ephidroſis ſuperiorum partium, cæteraque accidentia confirmárunt ſatis: quibus non multò poſt difficultas in ſpirando gravior, ſudor toto corpore diaphoreticus ſucceſſit, à quo ſenſim labefactari functiones omnes & ſtertor ſubſequi cœpit. Tum præter dejectiones aliàs ſemper abominabiles tunc fœtoris expertes, hoc quoque memorabile fuit, quod in illo ipſo agone vel antequam ſpiritus rareſceret atque Vir Piiſſimus magnam ànimam redderet Deo, è naribus per quatuor horas diſtillavit humor albidus tenaxque & fœtidus omnino, ac verè purulentus ſed excoctus, qui in pulmonibus ebulliens ſuâ ſponte in nares deſpumaverat: cujus etiam reliquias repertum iri in diſſecto pulmone denunciavi, & revera obſervavi, quanquam longe major portio ante mortem deſtillaſſet.

cujus cauſa προκαταρκτικὴ, Aëris inclementia.

Cæterùm ſanguinis ſeroſi recurſûs in thoracem occaſio quidem fuit externa ſcilicet aëris inclementia magna ſub id tempus, quæ cauſarium perculit in itinere plurium dierum; ad quam acceſſit interna pulmonum diſpoſitio: Annotavit namque *Magnus Galenus* affectus pulmonum, eoſque lethales doloribus arthriticis facilè ſuccedere: qui locus ſuperiorem illuſtrans doctrinam annotationeque maximè dignus ſic habet: *a alia verò medicamenta, quæ podagrici in morbi auxilio bibunt, ad pedem quidem humores deferri vetant, ſed horum ſuperfluam humiditatem non diſcutientia majorem quendam morbum faciunt: nam fluxionem per corpus oberrantem pulmo ſemper ob ſpirandi neceſſitatem motus, ac propter corporis ſui raritatem ad illam excipiendam facilis totam ipſe ad ſe trahens ita hominem ſuffocat, quod periculum non rarò conſpicimus.*

Poſtre-

a. L. de Ther. ad Piſ.

Poſtremò cùm viſcera & hypochondria inteſtinaque cum ventriculo & meſenterio integra ac inculpata omnino fuiſſent reperta præter renes calculis prægnantes, & cæteroqui ſanos ſolus pulmo inſigniter tumidus & quodammodo exeſus repertus, in iiſque unus humor albus & tenax ac purulentus deliteſcens.

In diſſectione cadaveris quæ obſervata.

Ex quâ diſſectione intelligere eſt quoque, doloris arthritici febriſque cauſam non fuiſſe refundendam in infarctum ſive obſtructiones viſcerum & meſerei, inſignemque earum partium impuritatem & cacochymiam partim pituitoſam partim bilioſam, tametſi is fuerit ſenſus omnium hactenus Medicorum, ſed potiùs in unam intemperiem ſanguinis ex ſe admodum ſeroſi, & æſtuoſi atque plenitudinem, cujus una fere viſcerum fervida intemperies cauſa parens eſſet, qui ſcilicet quotieſcunque in vaſis turgeſceret ſive ſponte ſuâ præ abundantiâ, ſive principio caloris accepto vel à ſuppreſſis fuliginibus neceſſariò ſuccreſcentibus, vel ab ambientis commotione incendium fervoremque conciperet, ejuſque efferveſcentis aquoſa pars longè latéque exundaret deſpumaretque introrſum nimirum, unde perpetuæ dejectiones aquoſæ, & extrorſum in articulos, in quibus vaſorum totius habitus fines tandem ſiſtuntur, nec quo ulteriùs ſeſe exonerent reperiunt facilè, inde crudi contumaceſque dolores arthritici increbeſcerent.

Unde apparet Arthritici doloris & febris vera cauſa.

OBS. CXXXIII. *Carolus Perdeus Picardus in Academicis Rhetoricæ agonibus tergeminos conſecutus honores à ſeptimo ætatis anno arthritidi obnoxius, eique ſæpiùs quotannis recurrenti atque ſtudia interturbanti conſuluit me annos ante aliquot ſi quod ars tam importuno dolori leniendo poſſet levamentum adferre: ego autem ſpe non vanâ Adoleſcentem tum recreavi ſi modò paucis hiſce præceptis obtemperantem ſeſe redderet: ſcilicet de demenſo quidem & præſertim potu quotidiano ſenſim tertiam minimum partem detraheret; inprimis autem vino prorſus abſtineret: tum verò ſeſe accuratè ſemper ab aëris injuriis & præſertim frigore defenderet, prætereaque ita ſe muniret ſtragulis de nocte ut quotidie ſub finem ſecundi ſomni ſudor, certè mador dimanare poſſet: denique ſyrupo infuſionis roſarum pallidarum ter quaterve in menſe repetito illuviem omnem aqueam repurgaret. Paret*

De Arthritide periodica, ejuſque felici curatione: ac tandem in hydropem lethalem commutatione.

 Ado-

Adoleſcens per biennium & ampliùs, atque fomitem morbi præter omnium opinionem circumſcidit, vixitque tum liber prorſus ab omni dolore articulari.

Sed ut difficilis eſt temperantiæ cuſtodia in eâ præſertim ætate & conſuetudine cum juvenibus ventri & abdomini natis, quales præſertim qui ſui juris ſunt, noſter cauſarius brevi exquiſitam tenuemque victus rationem cum licentioſâ commutavit, & quod eſt in proverbio anus ad armile, hoc eſt, ad commeſſationes, neglectumque ſui rediit. Quid inde? ſenſim illuvies ſeroſa in corpore colligi cœpit ob viſcerum innatam intemperiem impenſe calidam, quæ illuvies non ampliùs ut biennio antè a naturâ in articulos depoſita ſed ſenſim in abdomen gliſcens collectaque hydropi lethali materiam dedit.

Caput II.

DE ARTHRITIDE

Conſilium aliud.

De dolore Arthritico.

OBS. CXXXIV. *Nativam Illuſtris & Reverendi admodum Domini Præſulis temperiem ad calorem & humiditatem ita propendere, ut in eâ vitalis calor humidumque primigenium calori mixtionis in principum partium idioſyncraſiâ longè præcellant, evidenter demonſtrant cùm functionum omnium ſive animi ſive corporis eximium robur perfectioque ſingularis, tum calor in habitu mediocris & halituoſus tactuique non inſuavis, & roſeus quidam rubor ac gratioſus univerſum perfundens luſtranſque corpus atque inprimis* εὐσαρκία πολυσαρκίᾳ *propior; denique inclinatio lapſuſque facilis in febres & catarrhos, quippe quam* [a] *Galenus annotavit eſſe familiarem indeque temperaturæ calidæ humidæ hepatis præſertim & capitis indicem. Quò nequaquam mirum videri debet Illuſtrem principem ſolis hiſce affectibus obnoxium hactenus vixiſſe, & in præſentiarum præcautionem ab iiſdem à nobis expoſtulare.*

Cauſæ προηγούμεναι.

Etenim quanquam is pro ſuâ ſingulari temperantiâ moderatam victus rationem accuratè ſemper obſervarit, ac vino fuerit

[a] In Arte parvâ.

vit quàm parcè uſus, nihilominus ejus adoleſcentiam quidem febris ſæpiùs exercuit, eaque modò continens, modò tertiana ſed producta ferè: virilem autem ætatem cùm eryſipelas, & hæmorrhoides ſemel ac iterum, ſed frequentiſſimè variæ intertur- barunt fluxiones nunc in fauces & pectus, nunc in articulos decumbentes, eæque ferè cum febre conjunctæ, quæ fluxiones licet non gravibus infeſtæ ſint doloribus, quia tamen ſuâ crebritate ſuis vigilantiſſimum antiſtitem avocant muneribus, opem medici ſuo jure implorant, quam ut ei gratiam præſtare pro officii noſtri ratione poſſimus ut debemus, ſedulò inquirendum a nobis in cauſas ejuſmodi affectuum, de quibus præcipuæ ſunt querelæ: quod ut ex methodo fiat, ita ratiocinari placet. Signa antecedentia.

Dolor arthriticus violentam naturæ corruptionem & confertim à rebus ſive nativam partis temperiem evertentibus ſive continuitatem ſolventibus factam conſequitur, ut omnibus philoſophis mediciſque eſt in confeſſo: quoniam autem alteratio omnis cum triſti doloris ſenſu conjuncta calori & frigori duntaxat tribui poteſt, aut tandem in eas qualitates reſolvi ultimò utpotè maximè actuoſas, atque in arthriticis doloribus frigoris quidem triſtis & excellens ſenſus nunquam ſentitur, omniaque in nobis mediocriter calent, caloris autem qui ſenſus ineſt in afflictis articulis, is minimè urens, ulceroſus aut admodum acer percipitur, arthriticus profectò dolor non eſt nudæ ſimpliciſque alterationis effectus: nullus præterea dolor arthriticus gravitatis abſque ſenſu triſtiſve diſtentionis perſentitur, & verò idem cum externo quodam tumore membri afflicti ſive a principio ſtatim, ſive ſaltem ſub finem apparente neceſſariò cohæret teſte experientiâ, eundem denique præcedunt ferè convulſivi quidam membrorum præſertim inferiorum motus, vulgò *crampes* dicti certa plenitudinis effecta, efficitur ſanè, *dolorem arthriticum alicui materiæ articulum ſuâ plenitudine diſtendenti acceptum referri debere.* Quoniam adhæc dolor naturæ everſionem magnam affatimque factam ſequitur, certè haud materiæ congeſtio ſenſim ſine ſenſu fieri ſolita, cùm præſertim à principio non ſemper membrum præter natu-

Doloris Arthritici cauſa, non eſt nuda intemperies. ſed materia quædam ſuâ plenitudine articulum diſtendens:

Idque influxu confertim facto.

naturam intumeſcat, *ſed influxus ejus ἀθρόως factus accuſari debet.*

Unde igitur hæc materia dolorifica, qualis, & quæ cauſæ ejus impellentes? nam in omni motu mobile & motor adſint oportet, unaque præter ſpatium duo diverſi termini, ut notum eſt ex phyſicis. Atqui quæ ſit materia non aliundè meliùs intelligi poteſt quàm ex perſpectâ ejus origine ſeu fonte, nec non locis per quæ illa diffluere poteſt. Quoniam itaque articuli & partes circum articulos cùm ſolidæ denſæque ex ſe tùm compactæ ſtrictæque admodum ſunt, certè quæcunque ſit materia, etſi fluxam eſſe neceſſe eſt, minimè tamen eam per partium poros inaniave ſpatia decurrere, pervadereque compagem partium ita ſtrictarum veroſimile eſt: ex quo relinquitur, *illam per vaſa patentia ſiſtentiave in cava articulorum venire.*

Quæ per vaſa patentia, & in cava articulorum ſiſtentia illuc venit,

Sed enim quia trium generum vaſa ad articulos perveniunt, in iiſque ſecundùm exiguas propagines terminantur quæ cum nullis aliis communionem habent ut eandem materiam poſſint aliò à ſe refundere & transferre, oportet profectò materiam arthriticorum dolorum cauſam è venis arteriiſque vel nervis, vel omnibus ſimul defluere ideoque primùm derivari è capite, aut viſceribus, aut potius è toto corpore. Atqui in venis quidem ſanguis craſſus frigiduſque continetur unà cum ſero, ſed in arteriis ſanguis tenuis & calidus, iſque copioſiore ſero perfuſus; à nervorum denique principio per multiplices propagines præter aquam ferè lentam, cujus caput quodammodo fons eſt ſive metropolis, nihil videtur depluere poſſe: nam quod deſcendit, illud omninò inter duas tunicas meningum cerebri propagines, vel ſecundùm externam ſuperficiem nervorum defluat oportet, ſiquidem ſi per cavum internum propriamque nervi ſubſtantiam trajiceretur, id ſenſum obruto ſpiritu animali interciperet, qui tamen in articulis acerrimus viget.

Quia autem in ſpatio duram matrem, & piam interjecto atque ſecundùm naturam vacuo aqua plurima colligitur, quæ ſenſim vi & motu naturæ, imò conſilio ad inſtrumenta

ſa vocis, reſpirationis, motuſque animalis, partes ſcilicet eas præ motu aſſiduo ſiccitatis metuentes irroratura, *veroſimile eſt ſi à quâcunque cauſâ in capite aqua colligatur, redundetque eam magnâ vi depoſitam ac irruentem in nervoſum genus tandemque ſiſtentem in articulos, & uſque uſque decumbentem violentâ diſtentione præ copiâ membranarum & ligamentorum articulos obducentium continuitate ſolutâ dolorem inferre poſſe:* Quod confirmant motus convulſivi antè memorati, & ferè prænuncii arthriticorum dolorum in iis quibus nimiâ caput humiditate ſcatet. Scilicet per nervos.

Jam cùm in venis & arteriis ſanguis contineatur plurimo perfuſus ſero, & hoc quidem ſuâ naturâ liquidum fluxumque à ſanguine laudabili craſſioris quippe conſiſtentiæ ſecerni facilè poſſit; in ſanguine autem quanquam ſint quatuor humores ſeu diverſæ ſubſtantiæ, quia tamen coëunt miſcenturque, & mixtæ continentur atque quodammodo uniuntur vitalis caloris beneficio, ut niſi ejuſdem caloris continentis evocatione (quæ putredo eſt) non ſint ſeparabiles, putredinis autem in maſſâ ſanguinis, vi cujus calore vitali evocato humorum divulſio ſeu ſeparatio inter ſe fieri poteſt, ſigna evidentia minimè in arthriticis doloribus apparent, neceſſe eſt profectò arthriticorum materiam dolorum fomitem vel eſſe ipſam ſanguinis maſſam quatuor humores complexam, vel ſerum ſeorſim à ſanguine, vel ſanguinem cum ſero.

Sed enim quoniam ut plurimùm fluxione ſiſtente doloreque ceſſante, tumor partis brevi ita ſubſidet, ut nihil in articulis alienæ ſuperſit materiæ, itaque fateri oportet materiam arthritici doloris cauſam omnino eſſe reſolutam; uni porrò aquæ integra perfectaque reſolutio competere poteſt, non autem ſanguini magnâ quippe ex parte craſſo & terreno, & qui præterea aliàs extra vaſa neceſſariò putreſcit & ſuppuratur, atque hujus ſuppurationis in arthriticis doloribus nulla adſunt ſigna, relinquitur ſanè, *ſerum ſanguinis vehiculum eſſe cauſam dolorum arthriticorum materialem: quod tamen ut plurimùm intelligi cupio.* Eaque plerumque eſt ſerum ſanguinis:

Nec enim negaverim aliquando *ſanguinem ipſum unà cum ſero* Cui aliquando ſe

adjungunt, vel ipſe ſanguis,

ſero ſive attractum vi doloris, ſive aliter in articulos irruere qui tandem ſuppurat & pure foras erumpente ulcus relinquit in corporibus ſcilicet plethoricis admodum ac crapulæ ac vino deditis : *quod in uno & altero Pontanis civibus obſervavi ſedulò.* Non ierim quoque inficias è vaſis aliquando poſſe defluere *ichores humorum in iis redundantium ſive bilioſos ſive atrabilares*, ſed tum putridam febrem cum doloribus ab his cauſis conjungi fateri oportet : nam humorum ichores nequaquam à ſuo craſſamento abſque putredine poſſunt ſeparari. Utcunque ſit, ita ſtatuere oportet: *ut plurimùm reſolvi arthritidis fomitem ita ut in parte nihil craſſamenti ſuperſit, & in Illuſtri ægroto ita hactenus eveniſſe, ideoque concludendum verè aqueum eſſe illum humorem arthritici doloris cauſam continentem.*

vel humorum ichores ſive bilioſi, ſive atrabilares.

Sed in præſente caſu cauſa continens doloris eſt verè humor aqueus.

De Arthritide ſæpiùs recurrente & remittente.

OBS. CXXXV. *Et confirmari poteſt exemplo Viri Illuſtris fratris germani Reverendiſſimi Domini Antiſtitis, qui tametſi à duodecim annis hujuſmodi doloribus ter quaterve recurrentibus tenetur, habet tamen artus ab omni alienâ concretione prorſus liberos, & ad apprehenſionem, ingreſſumque flexiles prorſus ac verſatiles.*

Tophi in arthriticorum articulis concreſcentes unde?

Nam quod quandoque videmus temporis lapſu *tophos* in articulis arthriticorum ſuperare, illi ſanè vel *ex arenulis ſeu craſſamentis terrenis*, quæ ebibuntur cum aquâ, accipiunt concretionem, vel *ex ſanguinis ichoribus bilioſis* præſertim in picrocholis hominibus *obſervatione noſtrâ:*

De Arthritide nodoſâ.

OBS. XXXVI. *Et nominatim in Magiſtro Henrico Pharmacopœo Suæ Celſitudinis, cui à naturâ bilioſo admodum paucos intra annos arthritis in flavos oppidò tophos degeneravit : ſcilicet humorum ſerum bilioſis paſſim ichoribus aſpergitur, ut lippa oculorum, auriumque cera præter urinam & ſudorem ſatis arguunt.*

Atque hanc, de *materiali fluxionum arthriticarum cauſâ ſeroſâ ſcilicet colluvie ſeu aquoſâ*, ſententiam non ſolùm vulgare confirmat veriverbium ab experientiâ quotidianâ dictatum : *Arthritidis* ſcilicet *remedia præſentiſſima eſſe potum quidem parciſſimum, urinam autem profuſiſſimam ;* ſed etiam affectus in quos arthritici mutantur dolores aut certè ſibi

tan-

tandem aſciſcunt & habent comites, lethargus ſcilicet & ſimiles ſtagnantis in toto capite aquei humoris effectus, ut ſuperiore conſilio eſt diffusè à nobis demonſtratum. *Ratum igitur ſit, materiam dolorum arthriticorum eſſe ſerum ſive purum putum, ſive arenulis, ſive etiam ichoribus bilioſis immixtum.*

Age autem quis *terminus à quo*, unde hæc materia in articulos tanquam terminum in quem ruit? *caput* inprimis eſſe fontem, unde omnis generis ſcaturiunt fluxiones, inſinuat gravitas ejus hoſce dolores prævertere paſſim ſolita; confirmantque ſoporoſi modò memorati capitis affectus: ſed enim cùm febris ferè ſit cum iis conjuncta doloribus, imò meo quidem experimento ſemper præcedat, haud temerè poſſumus ſuſpicari *non ſolùm è capite ſeroſam illam diluviem decumbere in artus ſubjectos, ſed etiam è toto reliquo corpore.*

Equidem, tametſi communis hactenus eſt omnium medicorum ſententia febres hujus generis eſſe ſymptomaticas duntaxat, atque ſpirituum in nobis vitalium vi doloris agitatorum accenſionem conſequi, ego tamen contrà ſentio ſemperque ſum expertus, & teſtes appello arthriticos omnes, antè dolorum inſultum ægros toto corpore gravitatem, caloremque præter naturam perſentiſcere, vigiliis, ſiti faſtidio, ejuſque generis ſymptomatis infeſtari: quin etiam in pleriſque linguam arentem & nigram animadverti, ut non immeritò *hæ febres ad continentes* referri debeant, cùm alioqui nulla manifeſtè in typo varietas deprehendatur, ſed febris ferè æqualitatem retineat per integrum menſem lunarem, aut quadraginta dies, qui termini ſunt febrium acutarum & graviorum fluxionum.

Occaſio motus, Febris,

quæ non ſymptomatica,

Sed continens,

Itaque ſic exiſtimo, dum ſanguis ſive venoſus ſive arterioſus incenditur uriturve in vaſis *(nam ſynochi legitimæ potiùs ſunt & imputres, quàm putres quæ arthriticos dolores comitantur febres)* dum, inquam, ſanguis primùm ebullit, tum ſerum cum eo plurimùm immixtum effervescens deſpumanſque è centro ſponte ſua neceſſariò movetur in vaſa externa, quod fines eorum articulis implantatos nec ulteriùs

Eaque ſynochus imputris,

Spatia ſeu viæ quæ? riùs porrectos attigerit, impleveritque horum cava, unde urgente magnâ vi atque impetu fluxione neceſſe eſt colligentia corpora impleri diſtendique, itaque dolorem ſuccreſcere. Atque ita ſit hactenus ſatisfactum quæſitis *de mobili, ac motore, ſpatiis atque terminis motus*.

Nimirum mobile eſt ſerum vel aqua utrique ſanguini affuſa plurima, & præ calore exundans è vaſis; motus autem occaſio eſt febrilis calor aquam illam ſuſque deque agitans, & in ſpumam vertens; terminus à quo tum caput, tum viſcera ſeu fontes ſanguinis, & ſtipites vaſorum, in quibus primum ſanguis fervorem & ebullitionem concipit; ſpatia porrò (nam de termino ad quem nulla eſt dubitatio) ſpatia, inquam, ſunt venæ arteriæque mediæ & extremæ.

Quòd ſi quis in *ſeroſæ pleonexiæ* cauſas inquirat, eæ ſanè variæ ſunt. Nam vel ad *generationem primam* redundantis ſeri pertinent, vel ad *retentionem præter naturam ſeu cohibitam excretionem*, quæ ex inſtituto & motu naturæ fieri conſuevit ſive per urinas, ſive per inſenſibilem expirationem. *De cauſis autem primi generis* non ita anxiè ſatagere debemus, cùm illæ neceſſariæ ferè ſint & inevitabiles, ſiquidem vita cibo atque potu carere non poteſt, ideoque ſerum ſeu aqua neceſſariò in corpore ſuccreſcat oportet unà cum ſanguine, & copioſiùs in iis quibus *hepar* [a] *Gal. annotatione* ſed potiſſimùm *lien noſtrâ obſervatione* in calore excedit, adeò ut cùm contractam à vitæ primordiis temperiem immutare non ſit facile, neque verò tutum, fruſtrà de cauſis ſerum generantibus ſoliciti admodum ſimus, & præſertim cùm *Illuſtris Antiſtes* jam ei victus rationi aſſueverit, quæ haud uberem materiam præſtare ſeroſæ illuviei ſit nata apta: nam tametſi lautiùs prandet tamen & à cœnâ abſtinet & modicis utitur juſculis, ac parco potu, nec ultrà quàm ejus uſus poſtulat, hoc eſt, uſus elixationis alimenti communis & diadoſis ejuſdem in univerſum corpus.

(Margin: Seroſæ pleonexiæ cauſæ ſunt, vel generantes:)

Supereſt ergo ut accuſemus provideamuſque diligenter cauſis ſecundi generis, quæ ſanè ſunt multiplices, ſed in iis famiLiam

(Margin: Vel eam generatam retinentes e-)

[a] In arte parvâ.

liam ducunt meo judicio duæ, quietum ſcilicet ſive ſtatarium vitæ genus, & denſior corporis habitus: nam *Reverendiſſimus Præſul* aſtrictus addictuſque eſt plurimùm volens nolens vitæ ſedentariæ ratione ſuæ dignitatis & officii, quippe anima ſedens ſapientior, ſapientia autem ſummæ illius dignitatis unicum eſt gubernaculum. Denſitatem verò habitus corporis etſi non à naturâ, tamen aſcitam eamque non mediocrem arguit facitque potiſſimùm πολυσαρκία, quâ laborat: rara enim illi quidem eſt à naturâ corporis textura eximii ſcilicet in eo nativi caloris comes, ſed carnoſa moles plurima implens, infarcienſque corporis poros, memorabilem infert denſitatem, denſitas autem cutis ab hâc cauſâ contracta ſuppreſſionis ſeri redundantiæque ejus toto corpore cauſa eſt, quod aliàs ſcilicet ſine ſenſu exhalaret aut etiam aſpectabiliter excerneretur per conceptacula huic ex inſtituto naturæ muneri dicata: Quò non mirum mediocri duntaxat ſeri quotidiè cum cibis extrinſecus in corpus illabentis portione per renes excretâ, reliquam quæ neceſſariò per vaſa magna ſimul cum ſanguine in corporis habitum confluit ſuppreſſam, nec ut antè reſudantem per pororum aſtrictionem magis magiſque in dies aggeri aggeſtamque relegere iter & in interna vaſa, unde ea primùm venit, refluere.

jusque excretionem cohibentes.

Atqui tametſi πλυσαρκία illa debet ſtatui cauſa denſitatis pororum quæ ſeri ſynathriſmum invehit, ire tamen inficiàs non poſſum eandem denſitatem cauſam aliam externam habere, ambiens nimirum frigus magnam ferè anni partem in hâc regione corpora percellens aſtringenſque; cujus præterea non minor vis eſt ut veniam *ad cauſas moventes impetumque ſero uberiùs collecto in articulos ipſos dantes*, magna, inquam, vis eſt frigoris ambientis, ſi præſertim poros apertos à prægreſſo æſtu offendens penetraverit altiùs, in exprimendo compellendoque è corporis externo habitu ſeroſam plenitudinem ſive in partes abditiores & viſcera, ſive in media vaſa & lateralia, quæ tandem in articulis ſiſtuntur. Equidem quotidiana confirmat experientia arthriticos dolores medio potiſſimùm autumno recrudeſcere

Cauſa movens, & ſero uberiùs collecto in ipſos articulos motum dans, eſt frigus externum.

conſueviſſe, hoc eſt, autumni frigore primo, quo calor & frigus, ſed frigus vehementiùs eodem die corpora feriunt: à cujus cauſæ externæ vi injuriâque *Illuſtrem Præſulem* minimè vindicare poſſum, cùm ille æſtus impatiens calidus ſcilicet juventâ, & ſanguine, ſeſe ambientis identidem exponat inclementiæ & algori, ſitque illi familiare ſub ſera crepuſcula detegere caput.

Febris cauſa, ſanguinis plenitudo.

Jam verò quod ad *febrem* ſpectat, quæ de genere continentium eſt, haud dubiè ejus licet modicæ cauſæ eædem genere ſunt quæ fluxionum. Plenitudinis namque ſanguinis fomitis ſynochi febris cauſas habeo partim vitam deſidem, partim denſitatem corporis à vaſtiore illatam mole, ut neceſſarias prætermittam cauſas, quarum ut inevitabilium providentia vix haberi poteſt: ſanguis namque redundans in vaſis nec liberè per ea præ multitudine commeans; atque à ſuppreſſis præ cutis denſitate fuliginibus incaleſcens facilè putredinem concipit, aut certè levem ebullitionem, & præſertim ſi is deſubito vi frigoris ambientis ex habitu repulſus impingatur ac veluti incuneëtur, ebullientis autem & catulientis ſanguinis quid mirum ſi aquoſa pars longè latéque deſpumans deërret aut in viſcera aut in vaſa lateralia quæ tandem in articulis ſiſtuntur, introrſum ſcilicet ab eodem frigore pariter coacta?

Quibus ita conſtitutis, in proclivi eſt eorum *Indicationes præſidiorum* eruere, quorum ope, *Illuſtris Præſul* deinceps poſſit ſibi præcavere ab ejuſmodi affectibus atque ſalubriùs degere, ſi modò benignam parentiam conſiliis noſtris pro ſuâ prudentiâ adferre non dedignetur. *Nimirum ſeroſa colluvies minuenda, impetuſque & motus coërcendus: ac proventus collectioque cum victus ratione exſiccante, tum variâ poteſt minui evacuatione, impulſus vero revulſione.*

Præcautionis ab arthritide Scopi Tres ſunt.

I. Scopus proventum & collectionem ſeri minuere docet: ſiccâ ſcil. victus ratione.

Victus ratio exſiccans in parciſſimo uſu potulentorum ſive juſculorum præcipuè conſiſtit. Equidem nullam adeo contumacem fluxionem eſſe crediderim quam non ſicca victus ratio paucos intra dies perſanare valeat, ut *Cl. Heurnius in ſe ipſo expertus, & ego in non paucis comprobavi. Siccam autem victus rationem* appello quæ omni interdicit potu, quæ ſi præ-

præſentem fluxionem emendat, magnum in præcavendis fluxionibus momentum habere potum rarum neceſſe eſt: neque enim tam ſeverus ſim, ut juſcula & potum prorſus omnem vetem, ſed parciſſimum eorum uſum laudo, ſuadeoque & præſertim vini, quo utpote aquæ genere ſed latente igne quodam vigente nihil potentius ſive ad proventum ſive ad colluviem ſive ad orgaſmum ſeroſi humoris, obſervatione ſcilicet *Magni Mercati*, & quotidianâ experientiâ vinum crudum in caput ſæpè fertur, & è capite nervoſum genus irruit ac non mediocriter lædit & infirmat. Cætera ad victum attinentia prætereo quippe ſatis ſuperque nota, & ſuo loco obiter poſtea tangenda.

Age igitur *illuvies ſeroſa* deteri poteſt *vacuatione duplici ſenſibili ſcilicet, aut inſenſibili: aſpectabili quidem expurgatione convenienti per alvum, urinas, ſudores, vel etiam cauteria; & ſpeciatim colluvies capitis ſalivatione aut ſimili aliâ; inſenſibili autem per frictiones, cubile calidum, exercitationemque corporis validam ſeu laborem.* II. Scopus Seroſæ illuviei vacuationem indicat: & perficitur, vel ſenſibiliter.

Atqui quod attinet ad *purgationem per alvum* multa commendantur *hydragoga* vulgò à Medicis, & à me probantur *ſyrupus de rhamno ſolutivus, medicamenta quæ è carthamo, mechoacanna, granis ebuli, iride, ſoldanellâ, & ejuſmodi componuntur, & præterea hydragogum duplex Fernelii.* Sed in tanto numero tutior uſus meo judicio gratiorque, & naturæ *Illuſtris Antiſtitis* magis familiaris *blandiorum* duntaxat *medicamentorum*, qualia ſunt *ſyrupus & mel infuſionis roſarum pallidarum, manna, ſyrupus de cichoreo compoſitus cum rheo*, quæ licet benigna in magnâ doſi tamen & ſæpiùs repetita commodè ſufficienterque ſeroſam omnem impuritatem eluere poſſunt ſine ventriculi offenſione, aut viſcerum intemperie, aliàs à ſuis avocare muneribus *Reverendiſſimum Præſulem* non poſſunt: ita eorum uſus octavo quoque aut certè decimo quinto quoque die gravis eſſe non poterit. α. Ejus expurgatione per alvum convenienti poſt interjectos aliquot dies repetitâ:

Non improbaverim tamen *Vere & Autumno ſolenniorem purgationem* per medicamenta paulùm generoſiora, quæ è capite potiſſimùm ſeroſi humoris fonte elicere aquam valent, quod tamen ut commodiùs tutiúſque fiat, præmittendam Vere & Autumno ſolenniore:

 ſentio

Sed hanc præcedat venæ ſectio. ſentio *venæſectionem*, quæ unà cum capite corpus à ſeroſâ illuvie liberabit & plethoræ medebitur, quæ cauſa eſt febris continentis fluxionum arthriticarum aſſiduæ comitis.

β. Per diuretica temperatiora. Jam verò cùm *diuretica* duplicis ſint generis, à calidis jure metuerem in corpore à naturâ calido & ad febrem proclivi, ideoque *opiatis vulgaribus ex conſervis enulæ, anthos, pulveribus gentianæ, ivæ arthriticæ, theriacâ, mithridatio & ejuſmodi confectis prætulerim temperatiora è conſervis betonicæ, cichorei, capilli veneris, pulveribus diarrhodonis Abbatis & ejus generis:* imo ſi faſtidit medicamentorum uſum frequentem, *juſculis* contentus eſſe poteſt *ſaporatis endiviâ, bugloſſo, hyſſopo, radicibus petroſelini, capparibus ſuper capone, uſus tamen rhei barbari ſive in tabellas, ſive in pulverem, ſive in pilulas redacti* mihi admodum diureticus & potens in eluendo ſero bilioſo comprobatus eſt ſemper.

γ. Sudorifica: Denique quod ſpectat ad *vacuationem ſeri per cutem, eamque ſenſibilem*, hanc plurimi facio ut debeo, quia & revulſionis vim habet, & maximè eſt opportuna in his affectibus, quippè quæ naturæ convenientiſſima, cùm ea ſeri portio, quæ per cutem inſenſibiliter ex naturæ inſtituto continenter quotidiè expirare debet, ſuppreſſa quâcunque ratione & introrſum depulſa materiam præſtet arthriticis doloribus, ut antehac demonſtratum. Quamobrem conſulo ut *Illuſtris Præſul* ſudorem quotidiè ſi fieri poteſt aliquâ arte promoveat, aut certè inſenſibilem expirationem: quod ut conſequatur inprimis denſitati cutis, quam infert inclementia aëris, præſertim hyberno tempore conſulere debet, nam quæ à polyſarciâ, aut ætate denſitas infertur, de eâ nulla providentia haberi poteſt. Ergo accuratè videat *ut benè tectus incedat ſemper & de nocte potiſſimùm ſtragulis levibus quidem ſed calidis plumâ videlicet aut pelle infartis deſuper ſubterque ſtratis opertus dormiat*, & ita opertus ut ſpontè ſudor ſub diluculum erumpat: quod eveniet ſi non ita de manè expergiſcatur ſed aliquantiſper quietem in lecto longiorem capeſſat, & ſi ſudor nihilominus non erumpat, is multâ longâque provocetur *univerſi corporis frictione.*

Ope ſcil. veſtitus idonei de die, & ſtragulorum calidorum de nocte,

Frictione univerſi corporis,

ne. Quòd ſi eo fruſtretur, aut hiſce modis eum provocare tædioſum illi eſt, ſuadeo certè ut ſemel in hebdomada *hypocauſtum* jejunus adeat ibique per horulam ſudet, quod primùm tentabit ubi plethoræ corporis venæ ſectione priùs providerit ut avertat cutaneos affectus, qui ab inſolito hypocauſti uſu ſpontè emanare ſolent. Hypocauſti,

Atqui ſi his artibus ſudor erumpens minùs emendandæ colluviei ſeri in corporis habitu ſtagnantis ſatisfacere poteſt, certè author ſum ut ineunte vere & autumno, quibus anni temporibus fluxiones repetere ſolent, utatur *decocto ſudorifico ſive zarzæ-parillæ, ſive radicis ſinarum*, idque per unam, aut alteram ſeptimanam, vel certè *Syrupo Ambroſiano*, ſi metus ſit à viſcerum & ſanguinis æſtu. & denique decocti ſudorifici.

Porrò *cauteria*, quæ ſenſibiliter ſed ſenſim ſeroſum evacuant humorem etſi à me non improbantur, parvam tamen ab iis utilitatem percipi conſtat præ purgantibus, aut ſudorificis, vel etiam iis, *quæ inſenſibiliter conterunt & diſſipant ſeroſam plenitudinem*, ad quæ ideo tempeſtivum eſt accedere. In horum autem cenſu præter tegumenta, ſtragulaque corpus ab ambientis injuriis munientia, primas tenere debet *exercitatio corporis moderata illa quidem ſed tamen quotidiana & diuturna*, eaque ita producta, ut corpus incaleſcens aliquo tandem madore diffluat ſive curſu, ſive luctâ, equitatione, ſive ludo pilæ, ſive aliter perficiatur, & tempeſtivè, hoc eſt, ante cibum ſemper, & loco ab injuriâ aëris libero ineatur. Equidem tanti æſtimo hanc per ſpiracula cutis ſive ſenſibilem, ſive etiam inſenſibilem ſeri expurgationem, ut credam in eâ ſolâ præcautionis omnium fluxionum arthriticarum momentum omne eſſe poſitum, cùm & felicem ejus ſucceſſum in non paucis *& ſpeciatim in Rever. Patre ſociet. Jeſu* hactenùs comprobarim, & experimentis ratio maximè faveat, ſiquidem ejuſmodi ſeri evacuatio evidentiſſimam in eo ab articulis revellendo vim habet. *ſ.* Cauteria. Vel Inſenſibiliter. Præſertim per Exercitationem corporis moderatam.

Quò ſanè non eſt neceſſe inquirere in alia revulſionis remedia niſi fortè in *cauteria*, de quibus modò dictum, quæ hoc nomine paſſim & non temerè magni fiunt *admota ſcilicet utrique brachio, ſive cruri, ſed maximè principio ſpina-* III. Scopus Revulſionis remedia complectitur:

lis medullæ, quod æquabiliter & continenter liberat expurgatque caput ab omni ſero ſuperfluo; itaque hoc intercipit & ab articulis avertit. Quod cùm præſtent pariter *caputpurgia ſive errhina*, *ſive maſticatoria jejuno ſtomacho & poſt ſolennem purgationem atque frequenter uſurpata*, non poſſum non probare, quæ tamen brevitatis cauſâ & quia ſatis nota omitto.

Artuum quoque imbecillitati proſpiciendum

Hîc fortaſſè aliquis deſiderabit ut conſultum eatur *imbecillitati partium fluxionem ſuſcipientium*, verùm cùm nondum inveteratæ ſint fluxiones, ideoque probabile ſit artus nullam notabilem contraxiſſe debilitatem, non eſt quod de eâ anxii valde ſimus, cùm præſertim in eâ ſim hæreſi articulos injuriâ incuſari in his affectibus & eos omninò eſſe extra culpam, nullumque in iis agnoſci vitium, cui mederi oporteat. Neque enim ob laxitatem aut cavitatem facilè ſuſcipiunt humores aliundè depulſos, ſed quia ſunt à naturâ conformati, ut extremas vaſorum propagines & fines admittant, quæ extremitates cùm in alias partes ſuſceptum humorem deponere nequeant, hinc præ cæteris partibus doloribus à decubitu humorum illatis maximè tentantur. Nimirum ſerum ex toto corporis habitu repulſum & in majora vaſa remeans ſenſim ac ſenſim in minima tandem in articulis terminata excutitur, quæ quia in alia non poſſunt derivare, in cavo articulorum reſtitet illud neceſſe eſt affligatque membranoſum genus articulis obductum: quod ſi ita eſt, facilè unuſquiſque intelligit parum prodeſſe quæ articulis admoventur, & vix prohiberi poſſe impetum aquæ magnâ vi depluentis exundantiſque è vaſis majoribus in minima tandem vaſa, niſi vaſa intermedia aliquâ arte ſtringantur, & ita intercipiatur fluxio, quod an tutum ſit alii viderint, cùm longè minus malum videatur externa membra dolere quàm nobilia & interna gravibus exponi affectibus.

(quamvis ea plerumque extra culpam ſit)

anodynis, reliquias humoris diſſolventibus, & calorem vitalem foventibus.

Atqui quanquam hæc ita ſint, non vetuerim aut artubus jam afflictis *anodyna* applicari, *aut quæ diſſolvant reliquias defluxi humoris*, *& calorem in iis vitalem foveant vel alliciant*. Cujus generis medicamentis libri omnes referti, & iis accenſuerim lubens tum *fomenta è ſpongiâ novâ*, *quæ maduerit*

rit in decocto herbarum nervoſo generi familiarium ex vino generoſo addito ſale communi, tum emplaſtra de betonicâ, tacamahaca, & ejus generis gummis, quippè quæ affectibus catis & nervoſi generis maximoperè conferunt.

Cæterùm de *febre* quæ conjungitur ferè arthriticis doloribus imo eos præcedit, nihil neceſſe eſt plura dicere cùm *venæ ſectio, probaque victus ratio antè declarata* ei avertendæ ſatis eſſe poſſint, ipſaque febris præſens Medici in Momenta ejus ſingula accuratè intuentis præſentiam ſuo jure exigat. Febris in arthritide curatio.

Poſtremò quod ſpeciatim attinet ad *fluxionem in fauces & pectus, remedia jam antè deſcripta huic ſuccurrent, ſi accedat uſus familiaris ſive ſiſtentium impetum*, ut ſunt *ſyr. jujub. tragacanta, conſ. roſ. aut tabell. è ſacch. roſ. & bolo armena, ſuccoque liquiritiæ paratæ; ſive fluxum humorem in pectus detergentium*, ut *ſyr. de hyſſ. & ſimilium.* Atque hæc ſatis multa de præcautione eorum affectuum, quibus valetudo *Ill. Præſulis* interturbatur, quam ut meliore & proſperiore commutet Deus, obnixè & ex animo vovemus. Fluxioni in fauces & pectus remedia.

OBS. CXXXVII. *Cæterùm valetudinem corporum inſigni laborantium plethorâ, qualia ſunt adoleſcentium calidâ & humidâ temperie, genioque plus ſatis indulgentium, ſed & conſiſtentium præſertim bono habitu, & mulierum ejus ætatis, quâ menſes deſinunt fluere, ſæpe intercurſant continuæ febres doloribus infeſtæ articularibus iiſque atrociſſimis, qui non tamen periodicè ſingulis annis bis quaterve, ut ii de quibus antè, repetunt, ſed ſemel aut iterum duntaxat in vitâ ingruunt, unde minimè arthritici vocandi, una ſiquidem hirundo non facit ver.* De Doloribus Arthritidi analogis.

Hujuſcemodi ſanè febres evidenter accenduntur ex univerſâ ſanguinis maſſâ & inprimis ſeroſâ ejus parte affatim ebulliente & quodam orgaſmo efferveſcente potiſſimùm in vaſa uſque extrema, quæ præcipuè in articulos deſinunt: nam doloris conditiones omnes antè tactæ hîc conſpirantes manifeſtè nullum alium præter ſeroſum humorem magnâ vi modò hunc, modò illum articulum impetentem inſinuant; non repetunt autem niſi raris ex intervallis quòd ple- Eorum cauſa proxima.

plethora inſignis harum occaſio febrium raró gravet corpora ſæpiùs in vitâ.

De iiſdem doloribus: OBS. CXXXVIII. *Memini equidem perhoneſtam Matronam Nobilis Quæſtoris Domanii principalis in Marquiſionatu Pontano uxorem euſarco habitu mulierem circa quinquageſimum ætatis annum hujuſcemodi febre doloribus ſtipatâ per omnes artus ſucceſſivè vagantibus laboraſſe cùm antea & poſt ſecundâ valetudine uſa fuiſſet.*

Præced. ſimil. OBS. CXXXIX. Inter alios autem juvenes recordor *Nobilem Antonium Richardum politiſſimi ingenii & prudentiæ non vulgaris Juriſconſultum, meritiſſimumque civitatis hujus ſcabinum, & Carolum de Leſpine oppidi de la Chauſſee incolam ſimiliter hiſce doloribus graviter exercitos fuiſſe ante annos aliquot, ſed minimè recurrentibus, poſtquam lautiorem vivendi rationem cum ſicciore atque tenuiore noſtro commutaſſent conſilio. Porrò notandum eſt hoſce dolores in Juriſconſulto pererraſſe omnes articulos, atque cùm unum circiter diem ſingulos afflixiſſent tumore apparente, qui tamen brevi ſubſideret, conquieſcere ſolitos, febrem autem vigeſimo octavo die à decubitu prorſus deferbuiſſe.* Curatio. *Denique cùm bis in vitâ hiſce affectibus tentatus fuiſſet ſemper à liberali ſanguinis detractione & repetitâ maximum percepiſſe dolorum adlevamentum.*

CAPUT III.

De doloribus partium externarum à diluvie ſeroſa, perioſtia membranoſumque genus internum divellentibus, ut & ſtuporibus ſive paralyſibus ab eodem humore nervoſum genus madefaciente.

De Doloribus artuum, & totius corporis, externis. OBS. CXL. N*On ſolùm articulos ſed medios etiam artus, imò thoracem & externum omnem habitum corporis dolere à conferto decubitu aquei humoris citra aliam notabilem noxam quotidianis conſtat experimentis, niſi fortè quòd doloris incurſatio & metus aliquam in motu animali*

li partium dolentium difficultatem invehit; ejus enim doloris horrore ſive metu volentes nolentes ægri omnem ſibi interdicunt motum. Audire namque eſt quotidie multorum voces de ſubito brachii alterutrius, homoplatæ, aut thoracis dolore ferè ſuccedaneo gravitati colli quiritantium. Alii autem per febres ſibi crura & quandoque brachia quaſi piſtillo tundi vociferantur, in quibus omnibus ſi partes dolentes intueare, illas neque in colore, neque in mole aut habitu à ſeipſis ſanis immutatas dixeris.

OBS. CXLI. *Novi Reverendum admodùm Abbatem & eximiâ pietate commendabilem, qui hactenus obnoxiam vitam egit modò dentium, modò alterutrius brachii & dextri præſertim, modò thoracis medii & inferni tam antici, quàm poſtici doloribus, iiſque ſupervenientibus febriculis, quibus ſingulis aëris inſignibus mutationibus recurrentibus incurſatur ejus valetudo, quoties ſcilicet à commotione ambientis notabili ſanguinem in eo à naturâ fervidum & atrabilarem variè moveri, & vel introrſum ad viſcera impelli, vel æſtuare & agitari contingit: nam certè tres circiter anni quadras febrem eum habere obſervo, quanquam victus rationem prorſus febri contrariam ſtrictè retineat, vinumque rarò & niſi dilutiſſimum guſtet. Ab iis autem doloribus tandem me præmonente ſe reddidit immunem frequentibus ſudoribus, iiſque ſolo calore lecti ferè promotis, & aliquando ſeſſione in ſellâ undique clauſâ ab igne ſuppoſito tepefactâ, præmiſſâ tamen iis providentiâ totius, cujus maximum momentum in ſectione venæ ſæpe ſæpiùs repetitâ Reverend. Vir expertus eſt ſemper, à quâ unâ quippe ſanguinis fervor in vaſis coërcetur, & ſimul ſeroſæ partis in ſanguine efferveſcentia in extrema membra ſiſtitur.*

De iiſdem Doloribus feliciter percuratis.

OBS. CXLII. *Utor quoque familiariter altero Præſule ſingulari prudentiâ prædito Viro, qui de hyeme doloribus externi habitus frequenter laceſſitur, uti & catarrhis aſſiduis. Obſervavi in illo ſanguinis maſſam tantâ colluvie ſeroſâ ſcatere, ut in eo detracto & ſepoſito in pelvi vix vigeſima pars in fundo ſubſideret, quæ ſanguinis colorem & conſiſtentiam retineat, reliquo alio liquore ſupernatante penitus aqueo exiſtente, ſed obducto & incruſtato veluti pelliculâ quâdam viſcidâ & albâ cu-*

De multo ſero poſt venæ ſect. in ſanguine detracto.

 juſ-

juſmodi ſanguinem (ſi ſanguinis nomen meretur) annotavi ſemel, & iterum tantum in aliis.

De dolore alio memorabili cum motu & ſenſu abolito.

OBS. CXLIII. *Memorabilis porro extitit dolor, quo memini ante annos quatuor perculſum graviter Splendidum Virum Samuëlem Phulpinum, qui magnificum nobis colit hortum & omnibus exoticis plantis inſtructiſſimum. Hic circa inſignem aëris mutationem in Borealem conſtitutionem, quæ ineunte Februario contigit, unâ cum continuâ febre eâque gravi deſubitò invaſit bonum virum, eique univerſum pectus idque dextrum ſimul cum cervice & brachio ejuſdem lateris tam vehementer ſtrinxit & pertudit (alias liberum ſatis ſpiritum indulgens) ut metu exacerbationis doloris vix manum movere auderet, & quaſi palo adactus totos dies quatuordecim immotus rigiduſque in lectulo jaceret. Toto autem eo tempore urinæ illi ſupra modum fluxere & copioſæ tenueſque admodum ſed tamen ſubatræ, & quaſi fuligine multâ affuſæ atque aſperſæ, ut non vana ſuſpicio eſſet maſſam ſanguinis infectam fuiſſe vapore antimonii & ſublimati, quem antè menſem in iis pertractandis hauſerat, & à quo alioqui univerſum corpus intumuerat & expalluerat, pectuſque non leviter oppreſſum fuerat. Dolor igitur ille gravis a nobis annotatus exacto ſecundo ſeptenario ita tandem remiſit, ut cum rigore relaxato æger ſuæ ſponti redditus liberè ſeſe moveret, ſed febris ad vigeſimum octavum viguit.*

De doloribus cum motu deperdito, remanente ſenſu.

OBS. CXLIV. Age autem aliàs hic dolor ſæpè atoniam & imbecillitatem membri, imo prorſus abolitum motum comitem habet, qui non niſi ægrè & tardiſſimè, hoc eſt, intra plures annos ſibi reſtituitur: *meminimus antè miniſtri cujuſdam è Societate* Jeſu, *qui poſt cruciatus ſeu dolores convulſorios totius abdominis in eam brachiorum paralyſin incidit in quâ motus quidem prorſus eſſet deperditus, ſed ſenſus tamen vigeret, quippe cui brachia dolerent non mediocrem dolorem, quo tamen dolore ſenſim intra ſex circiter ſeptimanas langueſcente motus vix exacto anno redintegratus fuit.*

De dolore alterius lateris cum

OBS. CXLV. *Eodem autem anno Reverendus Senex ejuſdem Societatis in longè memorabiliorem ejuſdem generis affectum incurrit. Scilicet Autumno ineunte cùm in febrem continuam*

inci-

incidiſſet, tertio ſtatim die brachium & crus ſiniſtra dolor oppreſſit gravis, & ſimul motus ex toto earum partium abolitus. Quanquam autem paucos intra dies dolor inducias præbuit & febris quoque exactis menſibus quatuor, nihilominus atonia in motu tam obſtinata fuit & hemiplegia pertinax adeò, ut jam tertium annum ſcipione uti coactus fuerit, quanquam & ſingulis ſeptimanis medicamenta caput etiam purgantia eaque generoſa deglutierit, & ſæpè oculi inflammati fuerint, atque aures ferè perpetuò aqueo cereoque humore defluxerint. atoniâ & hemiplegiâ pertinaci.

Quoniam igitur (*paucis tranſigamus de cauſâ hujuſmodi dolorum & parte affectâ, ſupra enim de paralyſi & ſtupore, atque finitimis affectibus ſatis multa*) nulla cauſa evidens ſive externa circumſtat, quæ vehemente & ſubitâ alteratione ad calidam aut frigidam intemperiem tendente, aut verò divellendo dilacerandoque, vel pungendo, ſecando, aliterve continuitatem partis affectæ ſolvere poſſit, & alioqui dolor ejuſmodi abſque manifeſto frigoris aut caloris fit ſenſu, *ſanè minimè nuda intemperies, ſed ſolutio continuitatis dolorem facit, quam non cauſa extrinſecus veniens ſed interna, id eſt, humor aliquis deſubitò partem irruens inferat.* Quia porrò partes membrorum dolentium externæ attrectatæ minimè dolent, neque tactu acuitur dolor, partes certè interiores eaſque ſenſu præditas neceſſe eſt affligi. Ex quo quia partes internæ & ſenſiles ſunt duntaxat membranæ ſive oſſa ſubjecta ſive inſtratas carnes inveſtientes, & tactus cæteroqui organum omne membranoſum eſt (ut in phyſicis demonſtratum) relinquitur profectò: *perioſtia & muſculoſi generis membranas proprias eſſe partes affectas per hos dolores.* Horum dolorum cauſa unde dependet. Quæ partes afficiuntur.

Sed enim quoniam neque in colore, neque in mole & caractere a ſeipſis membra dolentia ſunt immutata, neceſſe eſt omninò tenuiſſimum atque decolorem eum humorem eſſe, qui dolorem membranoſo generi infligit, qualis unus eſt aqueus ſeu ſeroſus in ſanguinis maſſâ. Nam à ſanguine craſſo, unaque rubro, aut atro membranas madeſcere & diſtendi violenter præter naturam abſque molis augmento, aut colore aliquo eximio ſaltem partes externas notante,

aut certè non ſine ſenſu caloris vel eroſionis eſt impoſſibile, cùm contrà ſeroſus humor quanquam naturâ frigidus, tamen quia tepeſcit, ut cætera omnia in corpore mediocriter calent, frigoris ſenſum certè non inurit. *Itaque continens cauſa hujuſmodi dolorum eſt decubitus ſeroſi humoris confertim irruentis in perioſtia vel membranas muſculorum proprias.*

Cauſam continentem ſeroſum humorem confertim in eas irruentem eſſe probant,

1. Ejuſmodi dolorum ſolutiones.

2. Seroſæ pleonexiæ in corporibus malè affectis manifeſta ſigna.

Conjecturam ſanè adjuvat quòd *dolores* de quibus quæſtio eſt *vel ſenſim ſine ſenſu* humore ſcilicet reſoluto & citra ſuppuratum evaneſcente, *aut ſubito* ſudore largiùs dimanante miteſcunt, tum verò quòd *pleonexiæ ſeroſæ in corporibus ita affectis manifeſta ſe produnt argumenta:* ſcilicet urinæ copioſæ & longè potum excedentes tenueſque ac perſpicuæ: (nam ſi quando aſperſæ fuligine videntur, ut in aliis vidi præterquam *in præfato honeſto Viro*, eas potiùs ex admixtione ichorum atrabilaris ſanguinis, qualis in ſplenicis, atreſcere credendum eſt quàm à ſuſpecto illo vapore ſive fumo antimonii aut ſublimati inſpirato) deinde ſanguinis maſſa tota ferè ſeroſa, hoc eſt, ſero plurimo diffluens & exiguum aut nullum ſanguinem continens, qualis apparuit in *Præſule præfato.*

3. Membranarum totius corporis cum capite continuitas:

Per quas humor iſte depluit.

Atqui quoniam *membranæ totius corporis omnes ſunt membranis capitis continuæ*, & hoc aquarum fons eſt ſive labrum, ut in *Præfatione* demonſtratum, è capite profectò ſecundùm membranas ſeroſum humorem dolorum cauſam depluere eſt veroſimile; ſed & quia non tam partes externæ quàm internæ membranæ dolent, omnino *ex interno capite* non autem ex externo depluvium illud venire conjicere eſt, præſertim cùm quod ab externo capite depluvium fit ab eo potiùs externa corporis facies intumeſcere quàm dolere ſoleat. Scilicet externæ membranæ & univerſales ob motus membrorum aſſiduos contractioni & explicationi ſunt aſſuetæ, & ita impunè ferunt diſtentionem, quam depluvium è capite externo quanquam confertim decumbens & tumefaciens infert, ut conſtat in leucophlegmatico habitu, de quo mox.

4. Viſcerum

Porrò quia præter caput *duo viſcera hepar, & lien* præ-

ſertim

ſertim ſunt fontes ſeroſi humoris, *eaque viſcera membranoſo generi per venas & arterias conjuncta ſunt*, haud dubium eſt ſeroſum humorem in vaſis redundantem & ab aliquâ cauſâ fervefactum, ut contingit in febribus pluribus, poſſe è vaſis deſpumare & effervescere longè latéque & impetere conſertim membranoſum genus; itaque violentâ exporrectâque plurimùm diſtentione dolorem vehementem inurere ſed alioqui ferè fugacem, niſi diu duret ebullitio ſeroſi humoris, ut fit in febribus ſynochis præſertim hybernis, qualis fuit illa quæ detinuit *Splendidum Herbarium noſtrum*. ſanguificationis cum membranoſo genere per venas & arterias conjunctio.

CAPUT IV.

De Hydrope ſive aqua intercute, & tumoribus aquoſi habitus externi, à ſeroſâ diluvie tam parvis & univerſalibus, hydropiis dictis, & exanthematibus aquoſis; quàm magnis & particularibus, ut hydromphalo, hydrogonat, imo etiam eryſipelate.

OBS. CXLVI. ME *olim pertranſeuntem fortè oppidum Thiaucurtum ſiſtit quidam ejus incola implorans medicam opem, affectum corporis exhibens oculis non oratione declarans: nam facies omnis externa corporis totius, nedum vultus, ſupra modum turgida univerſalem hydropem ſatis ſignificabat, quanquam abdomen reliquo corpori non exſtaret.* De Hydrope corporis univerſi.

OBS. CXLVII. *Anno autem ſuperiore obſervavi hujuſcemodi tumorem ſed præcipuè conſpicuum in facie & pectore dorſoque, & aſciti alioqui adjunctum tum in Reverendo quodam Preſbytero è Societate* Jeſu, *tum in Virgine Promotoris Academici Nepte; cui hoc memorabile accidit tandem, quod umbilico ſponte aperto aqua ad viginti & amplius libras ſenſim per unum & alterum diem diffluxit continuò, quâ evacuatâ anima innocens cœlis reddita.* De Hydrope univerſ. cum Aſcite conjunct.

OBS. CXLVIII. *Nihil frequentiùs autem occurrunt quàm* De Hy-

drop. particularibus. Hujuſmodi tam univerſales quam particulares Hydropes, differunt à leucophlegmatiâ:

particulares hujus generis hydropes ſive tumores aquoſi & præſertim brachiorum & crurum, qui tumores ferè morbis longis ſuccedunt, & nunc fugaces quippe ſolo qui calore lecti obliterantur, nunc pertinaces admodum. Hoc autem tumoris univerſalis genus fortè quis tertiam hydropis ſpeciem, *leucophlegmatiam* paſſim dictam crediderit: ſed certè quantùm ſanguis crudus à mero ſero diſtat, tantùm ille hydrops in memoratis ægris obſervatus & non infrequens à leucophlegmatiâ debet diſtingui. Hic enim ſanguinis pituitoſi crudique & malè compacti nec poris partium benè agglutinati aſſimilative, ideoque in toto redundantis & ſuperflui ſoboles exiſtit. Ille autem contrà continentem habet cauſam ſeroſum humorem cutem inter & cæteras membranas univerſales ſtagnantem, unde aqua intercus Celſo dicitur, ut color demonſtrat in cute idem ferè atque antè, non autem ſubalbidus atque lacteus, aut livore ſuffuſus juxtà oculos qualis in leucophlegmatiâ cernitur ac ſi cutis ſuffuſo lacte pureve madeſceret vividi coloris flore prorſus deperdito.

I. Cauſâ continente,

Et confirmat tactus: nam in hydrope compreſſa digito cutis reſilit ex ſe ſtatim refluente aquâ ſpontè illuc, unde à premente manu dejecta; in leucophlegmatiâ autem impreſſum digiti relinquitur veſtigium, ſanguine craſſo non facilè refluente illuc unde expreſſum fuit. Adhæc tumor in illo mollis æqualiter & partes ſuperas præſertim diſtendit; hic autem non niſi præcipuè partes infernas. Uno verbo cachexiæ nulla in illo manifeſta indicia, quæ hunc prævertere ſolent: nec pariter febres ardentes aut viſcerum tumores inflammatorios ille ſubſequi ut hic ſolet, niſi fortè conjunctus ſit aſcites, ut in *Patre Reverendo & Virgine prædictâ*, & ſi gravitas capitis & hydrocephalus ferè hydropem noſtrum præcedant. Denique univerſali hydropi minimè anorexia, & ſitis importuna, aſſiduaque quemadmodum leucophlegmatiæ aſſidere conſuevere.

II. Signis propriis & ſymptomatis aſſidentibus.

Poſtremò hydrops de quo quæſtio eſt, facilis eſt ſolutionis cùm leucophlegmatia non niſi ægrè curetur, quandoquidem longè faciliùs pleonexia ſeroſa in toto redundans corri-

III. Modo ſolutionis.

corrigitur, quàm intemperies frigida ſiccaque viſcerum crudioris ſanguinis parens emendatur. Certè aquoſus tumor habitus externi experientiâ teſte ſolo calore lecti vel ſudore evaneſcit, *unde meritò conſtituimus, hujuſmodi tumorem ab aquoſo humore ſtagnante dictis in ſpatiis collectoque excitari àc foveri, ſcilicet vel quòd depluerit ex externo capite hydrocephalo tentato, vel è toto habitu exſudarit ſuppreſſumque fuerit per cutis denſitatem.* Et excitantur ab aquoſo humore.

Quoniam autem quibus remediis pleonexia ſeroſa vacuari avertique poſſit, hactenus ſatis ſuperque dictum, ſive quæ in vaſis magnis reſtitat, ſive quæ habitum etiam externum occupat, ſupervacaneum eſt in *curatione* hujus tumoris diutiùs immorari: hoc tantùm monendum, *præmiſſis generalibus remediis & purgatione per hydragoga* juxtà *Hippocratis* ſententiam: α. *incipienti hydropi alvi profluvium aquoſum ſine cruditate morbum ſolvit*, & *purgatione per renes* juxtà eundem *Hippocratem* β. *ſi aqua ad veſicam aut ventrem fluat ſolutio. In uſu frictionum, in corporis legitimâ exercitatione, in hydroticis inſiſtendum:* nam navigatio, volutatio in arenâ Hippocrati celebrata, inſolatio, vel etiam rutilatio in furno calente factitata ut audio à ruſticis, & ejuſmodi non ſine diſcrimine poſſunt tentari. Curatio quomodo inſtituenda.

OBS. CXLIX. Atqui hujus quoque cenſus manifeſtè ſunt *cutanei illi affectus, quos Hydatides nominare licet, qui in toto efflореſcunt extuberantque corpore & præcipuè in extremis manibus & pedibus; cujus generis ſunt quæ ſcabiem ſæpè plures dies prævertere ſolent veſiculæ cironibus paſſim prægnantes, imò citra ſcabiem etiam cutem exaſperant (ut taceam hydroa ſive ſudamina pudendis interniſque cruribus puerorum familiaria) & præſertim variolarum ea ſpecies quæ vulgo Divæ Barbaræ veſiculæ vocantur*, quæ exanthemata non ſolùm continentibus aſſident febribus ut cætera variolarum genera ex obſervatione noſtrâ in non paucis ſed nominatim in *Generoſo* De Hydatid. totius corporis.

α. Coac. Præn. Aph. 457. ἐπὶ δὲ ὑδέρῳ ἀρχομένῳ διάῤῥοια γενομένη ὑδατώδης, χωρὶς ἀπεψίης, λύει τὸ νόσημα.

β. Lib. de Judication. Aph. 49. ὑπὸ ὕδρωπος ἐχομένων κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κύστιν, ἢ κοιλίην ὕδατώδεος ῥυέντος, λύσις.

neroſo Puero, de quo mox, verùm etiam in intermittentium febrium principiis ut ſuo loco à nobis dicetur uberiùs.

Ac quantum ad hydatides, quæ ſunt pſoricorum affectuum ferè anteambulones, ita quidem ſentio iis ſanguinis ebullitionem ſed levem & adhucnum incipientem inque magnis vaſis ferventem omninò originem dare, in quâ ſcilicet una duntaxat pars ſeroſa ſanguinis effervefcit: nam cùm ea longiùs progreditur, tum ſanè unà cum ſeroſâ parte ichor quoque ſanguinis jam vi putredinis ſeparatus longè latéque effervefcit ad extremam uſque cutem, in quâ tubercula excitat variaque ſcabiei genera pro diverſo ſanguinis ingenio ebullientis. Quæ ſanè ſanguinis ebullitio fit vel per alterationem à tepore & commotione ambientis illatam, uti verno tempore contingit, vel per ſanguinis motum introrſum à contrariâ ambientis impulſu conſtitutione, hoc eſt, frigidâ eâque ſive ſubitâ & magnâ, ut quoties ambientis conſtitutio è mediocri in Borealem & gelidam derepentè mutatur, ſive levi aut ſenſim factâ, qualis eſt quæ quotidiè ſingulis ſuccedit veſperis: quo ſanè fit ut Autumni primo frigore mediáque hyeme ſed & quocunque tempore ſub veſperam ſcabies importuno urat pruritu.

Hydatidum cauſa interna continens, & προκαταρκτική.

Præter autem præcipuum ad eas veſiculas apparatum in cacochymia univerſali ſeu materiali cauſa poſitum cuticulæ denſitas maximè facit ad hujuſmodi aqueorum tuberculorum generationem: nam per eam ſerum in cuticulam uſque effuſum ſupprimi ſolet, *unde nullum iis avertendis, aut cito diſcutiendis facilius expeditiuſque remedium, quàm extrema membra calido & immuni ab injuriâ ambientis continere loco v. g. in lecto experimento noſtro frequenti.* Sed non eſt hujus inſtituti de præcautione aut curatione pſoricorum affectuum diſſerere: rem tamen non pœnitendam fecerim ſi non ignobile exanthematum ſeroſorum exemplum ſuperioribus ſubjecero.

Earum remedium.

De Exanthematibus ſeroſis.

OBS. CL. *Generoſo igitur Puero Joanni Egmundo de Rinach Domino de Montreux in comitatu Ferretenſi ſynocho putri mediâ hyeme oppreſſo eâque gravibus ſtipatâ ſymptomatis, magnâ*

magnâ laſſitudine, ſummâ pectoris anguſtiâ, ac prope ſuffocatione, nec non dolore capitis & dorſi cæteriſque plethoræ inſigniter ebullientis effectibus (quanquam ab injecto enemate ſectâ venâ detractus fuiſſet ſanguis maturè quidem pro meo more, ſed habitâ teneræ ætatis ratione in copiâ mediocri) circa quartum diem delirium una cum vigiliis & maculæ toto corpore ſupervenêre. Atque vigiliæ quidem & delirium mite licet & minimè ferox integrum ſeptenarium viguêre; maculæ autem ſenſim extuberavêre non in acumen, & conum ſed longè latéque admodum, ut univerſa facies una cum toto corpore non ſine horrore ſpectantium admodum extumeſceret, ſed eæ non purulentâ materiâ ſed ſero duntaxat ebulliente turgebant, ut totum corpus veſiculis ſcatere videretur: ſcilicet in quibus cuticula extans quaſi pelluceret ut laterna punica, & veſicâ apertâ non craſſus ſive lacteus humor, quale eſt pus è ſanguine genitum, ſed aqueus prorſus humor dimanaret.

Quem ſanè particulam fuiſſe ſeroſi humoris in ſanguine putrente efferveſcentis è vaſis longè latéque ſed intra epidermida ſubſiſtentis, ſanguinis ipſius craſſamento in vaſis reſtitante hæc ſunt præter ſenſum viſus clara documenta: ſcilicet puſtulæ circa decimum quartum ſubſidere cœpere ſpontè nullo humore aſpectabili diffluente, reſolutâ aquâ, ſed cuticulâ quaſi ambuſtâ incinerataque brevi in furfures ſordidaque craſſamenta abeunte, ut totus lectus iis puſtulis brevi exſiccatis furfuribus ſordeſceret. Deinde puſtulis ita faceſſentibus & evaneſcentibus nulla in vultu earum veſtigia, aut ſuperficie reliquâ corporis, cavitates nullæ in exeſâ cute impreſſæ fuere, tametſi admodum pruriginoſæ eſſent non aliter atque hydroa, quæ ſcabiem prævertere ſolent ab ebulliente ſub veſperam ſeroſo humore ratione putredinis ſalſuginoſô ſuccreſcere ſolita.

Ad hæc obſervatione noſtrâ hujuſmodi exanthemata familiaria ſanè ſunt corporibus fuſcis & gracilibus ac ſpleniticis, quibus ſanguis præſertim arterioſus atrabilaris eſt fervidusque ſed alias ſeroſus, cùm reliqua ex anthematum genera ſuppurato terminari ſolita ſuique veſtigia in exeſâ cute impreſſa relinquere effloreſcant potiſſimùm in euſarcis corporibus benéque habitis, hoc eſt, in quibus ſanguis minùs fervidus eſt, ſed craſſior. Kkk Ad-

Ejuſmodi exanthemata quibus naturis familiaria?

Symptomata eis aſſidentia.

Adhæc fidem facit conditio delirii cæterorumque ſymptomatum aſſidentium. Nam delirium leve minimeque lethale etſi continuum per integrum ſeptenarium non aliam cauſam habere potuit quàm ſeroſum humorem in toto ebullientem inque caput effervеſcentem: mite, inquam, delirium propter humoris benignum ingenium; ſed non lethale propter facilem ejuſdem reſolutionem, nam vigilias certè delirii comites fuliginibus è ſanguine inflammato continuò exſpirantibus imputare oportet.

Furfures & ſordida cutis craſſamenta unde?

Cæterùm quanquam hoc exanthematum genus ſine ſuppurato terminatur evaneſcitque ſpontè, utpote cùm aqueus humor ſit perfectæ reſolutionis & evaporationis capax, tamen nihilominus non eſt improbabile à fervore ſalſi humoris permixtique fortè calidis ſiccis ſive fuliginoſis vaporibus, & putrentis per ſeptenarium cuticulam veluti amburi, itaque in furfures ſordidaque craſſamenta ſed pauca tamen abire; tametſi aliter obſervare ſit in eodem genere exanthematum quæ principiis intermittentium febrium ſolent aſſidere: nimirum hæc duas circiter intra horas evaneſcunt & cuticulam tantùm afficiunt, quòd effervеſcentia humoris ſeroſi ſtatim conquieſcat nec progrediatur tam longo tempore, uti in ſynochis febribus contingit.

In Curatione venæ ſectionis ſummopere habenda eſt ratio:

De *curatione* autem horum exanthematum non eſt inſtituti noſtri minutiùs agere, hoc tantùm monendi tyrones venæ ſectionem maturè celebratam eſſe maximè conducibile remedium in omnibus hujuſmodi febribus, in quibus exanthemata quâcunque ratione erumpere ſolent, nullâ vel habitâ ratione ætatis niſi fortè infantilis, modò adſit plethora, maturè, inquam, imò verò etiam quamprimùm apparentibus. Nam experientia ratioque docent naturâ nonnihil levatâ ab onere, hoc eſt, ſanguinis plenitudine longè faciliùs & in minori copiâ, quod ſanè optandum eſt inprimis, erumpere exanthemata, neque corporis univerſum habitum tantâ opprimi infeſtarique putredine. *Speciatim* autem monendi quoque ſunt tyrones, ad juvandam horum exanthematum reſolutionem accelerandamque non inutilem eſſe *culcitram è fabarum pulvere contextam*, ſuper quâ æger dormiat.

OBS.

OBS. CLI. Poſtremò huc pertinent *Aquoſi quarundam partium tumores ut umbilici* (ὑδρόμφαλος *dicitur*) *& artuum præſertimque genuum mihi non ſemel viſi: qui ſanè tumores à ſcirrhis quidem diſcriminantur quòd minimè tactui renituntur, ab œdematis autem quòd compreſſi foveam non relinquunt, reſilit quippe preſſa aqua recurritque facilè in antiquum locum, & alioqui non ſine pruritu fiunt, quia humiditati ſeroſæ ſalſedo ferè ineſt.* De Aquoſis quarundam partium tumoribus.

Atque hi tumores quemadmodum & ſudamina, de quibus antè, præmiſſis generalibus remediis non ſolùm diguntur *cataplaſmatis ex farinâ fabarum aut lupinorum, ſed aquâ calcis, lixivio cineris ſarmentorum vitis, fomentis ex decocto herbarum calidarum ſiccarum ut ſunt arthriticæ de quibus antè, cum vino & ſale ex ſpongiâ adhibitis, cerato barbaro, oxycroceo & ejuſmodi.* Curatio in ejuſmodi tumoribus qualis inſtituenda.

Imò verò eryſipelata, aut valdè fallor, ad hoc genus referenda, ſi modò non ſeroſum humorem ſimplicem ſed ſanguinis aut bilis ichoribus immixtum continentem cauſam ſtatuamus: nam & tumor cutis duntaxat iſque ſuperficiarius & exiguus ut vix ſub aſpectum cadat, ſed aliàs longè extenſus & facilè ſerpens, & verò compreſſilitas ſive ceſſilitas manui tangenti manifeſtè id arguunt, uti & pruritus atque veſiculæ ferè eryſipelati aſſidentes; ſed admixtionem ichoris aut silioſi aut ſanguinei tum calor & rubor ſive color ad flavum aut viridem vergens demonſtrant. Quam ſanè ſententiam & *Galenus* alicubi ex ſero & bile eryſipelas adſtruens, & inſuper confirmant febris, vomitus, & diarrhœa aquea bilioſa cæteraque ſymptomata quæ eryſipelati aſſident, & ſequuntur certò ebullitionem ſeroſi præſertim humoris in vaſis atque viſceribus ejuſdemque effervеſcentiam longè latéque, id eſt, tam in partes internas, unde vomitus & cætera, quàm externas, unde tumores externi. *Sed de eryſipelate etiam obiter agendum in tractatu de febribus, ad quem tandem opportunè tranſeo.* An Eryſipelata ad hoc genus tumorum referenda?

FEBRES

Quæ in Seroſa Maſſæ Sanguinis parte ebulliente, vel etiam putreſcente, ceu ſubjecto hærent, aut in quibus certè occaſio putredinis ſanguinis ipſius eſt eadem ſeroſa ſubſtantia.

SECTIO VI.

CAPUT UNICUM.

QUoniam in omni *Febre* ſanguis evidenter calet ſive *fientem* habeat *calorem*, ſive etiam *factum*, cujus vi & commercio univerſum incaleſcit corpus, ideoque febre tenetur, atque eum calorem ſanguis comparat vel ſimplici alteratione, vel etiam putredine, cujus nomine uſtio intelligi debet (nam etſi hæc duo verè differunt, tamen quia in humidis ſubſtantiis ſimiles ſunt paſſiones ſimiliaque invehunt ſymptomata, certè ambo ſub uno nomine putredinis à medicis hac in parte dicuntur non aliter ac medicamenta urentia appellantur plerumque putrefacientia) *bonum factum, ſi de febrium ſubjecto continenteque cauſâ frequentiſſimâ, & à quâ pleræque febrium differentiæ emanant acturi, de ſanguinis putredine paulò accuratiùs antè omnia diſputemus.*

Febrium Doctrinæ præmittitur doctrina de Putredine Sanguinis:

Quâ in diſputatione imitari ſanè placet α. *Ariſtotelem*, qui putredinis definitionem ſignis confirmaturus, illa ipſa petivit ab iis quæ in aëre & aquâ putreſcunt tanquam à manifeſtioribus: ſigna enim non dicuntur niſi illa quæ ex ſeſe ſunt perevidentia. *Putredinem nimirum ſanguinis, quæ*

α. 4. Meteor.

quæ in animalium corporibus contingere ſolet, cæteroqui occultam & intellectu difficilem explicaturi de manifeſtiore vini putredine pauca prælibabimus, ut ex ejus ceu manifeſtioris analogiâ intelligi poſſit ac cognoſci natura putredinis ipſius ſanguinis.

Huic verò Tractatio de putredine vini.

Enimverò *ſanguis* proportione reſpondet *vino* non ſolùm *in partium ſeu ſubſtantiarum diverſarum, è quibus conſtat, ſimilitudine ac numero*, ſed etiam in *temperie omniſque generis qualitatum complexu:* nam quemadmodum *vinum quatuor habet partes ſive diverſas ſubſtantias ex Galeni obſervatione, fæcem ſcilicet terrenam*, quæ fundum petit: *partem præterea aliam (flos hæc dicitur)* primum quidem ſupernatantem deinde tandem fundum ipſum petentem; tum verò *aquoſam toti vino commixtam*, denique *ipſammet ſingularem & propriam vini ſubſtantiam:* ita *ſanguis* coit quatuor è diſſimilibus ſubſtantiis *ex limo ſcilicet ſive parte terrenâ* in fundo pelvis ſubſidente, ex *parte* præterea *ſupernatante ferè calidâ & flavâ* (nam de perfectè cocto ſanguine maturo vino reſpondente, in quo cruda ſeu pituitoſa pars jam in ſanguinem propriè dictum quartum humorem eſt penitus converſa loquimur, & hæc intelligi volumus, non de dimidiato ſanguine & crudo, qui muſto reſpondet) *deinde ex tertiâ quâdam temperatâ & rubrâ, propriâ ſcilicet ipſius ſanguinis*, utrique alteri conjunctâ & unitâ, denique ex *ſero ſeu aquâ* reliquis duntaxat affuſâ immixtâque.

Sanguinis & vini comparatio, deſumpta 1. à ſimilitudine & numero partium & ſubſtantiarum cujuſque.

Adhæc quemadmodum *vinum* præter *elementarem calorem* ſeu temperaturæ continentem terminantemque humidum cum ſicco commixtum, *calorem alium habet vitalem* qui animæ comes eſt, quippe qui à vivente corpore defluit, & ſimiliter *duplicem humiditatem*, quarum altera *innata* eſt, altera *nutritia ſeu aſcita*, pariter in *ſanguine* agnoſcere eſt *geminum calorem cum duplici humiditate.* Etenim vinum quanquam propriè animatum non eſt ut puta minimè organicum corpus exiſtens, tamen poteſt ſecum ferre calorem ab animâ olim vitem, è quâ defluxit, vegetante ſibi inſitum non ſecùs atque animalis aut plantæ ſemen calorem vitalem retinet, impreſſum ſcilicet viti ab ambiente

2. A Calore & humiditate utriuſque duplici. ſcilicet Calore vini tam elementari, quàm vitali.

ſeu loco, hoc eſt, particulam caloris ſolaris, qui calor licet externus vino fit tandem illi naturalis & cognatus, & revera alius eſt à calore temperaturæ ipſius vini proprio.

Atque quoniam accidentia duo ejuſdem ſpeciei faciunt unum numero, ex hiſce duobus caloribus conflatur conſtituiturque unus vino verè naturalis, qui minimè in indiviſibili conſiſtit, ſed in quâdam latitudine modò ſcilicet major, modò minor cùm pro varietate ſpecierum plantarum tum pro diverſitate locorum; è calore quippe loci intentiore major & intentior fit calor vitalis & elementaris, vini experientiâ namque teſte in locis æſtuoſis, ubi ſol majorem afflat calorem, vina calidiora generoſioraque producuntur.

Et humiditate tam vinoſâ quàm aquoſâ.

Atque ſimiliter vino *duplex* ineſt *humiditas; vinoſa* nimirum *ſubſtantia humidum illud* continet quo fit partium conjunctio, intimumque eſt & proprium vino, ſed *aquoſa in eo ſubſtantia eſt alterum humidum* ex alimento contractum. Nam dum uva viti adhuc adnata pendebat, ad eam humor quidam aqueus tanquam alimentum proprium confluebat, eumque humorem ſeparata uva retinet necdum in vini ſubſtantiam converſa, imo vinum ab uvâ expreſſum eundem ſibi immixtum habet, idemque diu cum ipſo vino cohæret, nec in ipſam vini ſubſtantiam converti ampliùs poteſt, quòd vinum tum anima ſit prorſus deſtitutum.

Cui maſſa ſanguinis in omnibus reſpondet.

Atqui in *ſanguinis* quoque *maſſâ* cum *duplici humiditate duplicem* vigere *calorem* omnino eſt veroſimile. Nam quandoquidem ſanguis vel etiam extra corpus effuſus, imo ejus partes ſive ſubſtantiæ quanquam à ſe invicem ſejunctæ nihilominus continuitatis cujuſdam ſunt retinentes, calorem ſanè elementarem humidum & ſiccum unientem habeant neceſſe eſt: cùm autem eædem ex ſe ſint fluxa liquidaque corpora, nullus non prædominantem internam humiditatem agnoſcit. Sed quia in vivente corpore maſſa ipſa ſanguinis cum corde ratione vaſorum inſignium conjungitur, fateri quoque oportet vitali quodam calore continenter è corde diffluente inſito ſive elementari afflato frui ac gaudere.

re. Denique quoniam maſſa ſanguinis è corpore effuſa plurimæ aquæ innatare conſpicitur, ad humiditatem internam ei quandam aliam externam eamque aqueam omnino adjungi conjungique dicendum.

Age verò ratione *humidi aquei aſciti ſeu nutritii*, *quemadmodum & caloris illius gemini vinum varias pati affectiones cùm naturales tum præter naturam experientia docet.* Ac ut *naturales* ſicco pede percurram, videre eſt *vinum* modò *cruditate adhuc affici*, quia humiditas illa adventitia longè exorbitat, modò *perfectum & maturum*, in quo humiditate illâ ferè conſumptâ effloreſcit ſola vini ſubſtantia & ejus humidum verè naturale & intimum, quod cùm per coctionem ſit in eam ſingularem ſubſtantiam converſum, dulcedinem afflat, quia ex *Ariſtotelis* doctrinâ *concoctum omne dulce eſt;* ea autem coctio vino accedit ſive tempore à calore ſcilicet tam proprio quàm ambientis externâ illâ humiditate reſolutâ ſive ſubito ab arte quando vinum fervet & igne coquitur: modò denique *vinum medio ſe habet inter utrumque modo quale hornum*, in quo adhuc viget humiditas illa aquea nutritia.

Vinum ratione humidi aquei nutritii tam n. quam p. n. patitur affectiones. Quoad naturales, modò crudum, modò maturum eſt.

Modo medio modo ſe habens.

Præter has autem naturales alterationes *vinum vel putreſcit vel mutatur in alienam diverſamque ſubſtantiam.* Experiri namque eſt æſtivo tempore ab ambientis calore incaleſcere & ebullire, ebulliendoque fieri putridum & vappam, pariterque mutari quandoque in acetum. Nimirum vinum tenue ac dilutum, in quo aqueum redundat humidum, quia & debilem habet calorem per humiditatem exorbitantem, & hæc humiditas haud facilè reſolvitur ſive à proprio ſive à calore ambientis; calor porrò præ tanto humido debilis ab ambientis calore tanquam à ſimili facilè educitur ſive is ſit vitalis ſive mixtionis; ex caloris autem continuantis receſſu humidum quoque proprium à ſicco ſeparatur, *ſanè inquam vinum tenue ac dilutum in putredinem proclive eſt*, *ſiquidem in eâ ſeparatione humidi proprii à ſicco putredinis eſſentia conſiſtit*, *cujus putredinis indicium manifeſtum eſt ipſa vini ebullitio.*

Quoad præter naturales, vinum vel putreſcit;

At vero *vinum merum & generoſum*, *quod aquei humoris*

Vel aceſcit.

minus

minus habet, haud facilè putreſcere videmus, ſed potiùs aceſcere. Scilicet hujus vitalis calor duntaxat, minimè autem calor temperaturæ ab ambientis calore evocatur. *Ex quo acetum eſt quaſi vinum mortuum, id eſt, vitali deſtitutum calore nec non humiditate extraneâ illâ, ſive aqueâ majori ex parte: nam in aceto poteſt aliquid hujus humiditatis ſupereſſe, cujus ratione ipſum acetum aliquando putreſcit.*

Acetum quid?

Itaque *vini putrefactio* quidem eſt corruptio ſeu evocatio caloris elementaris humidique proprii, à quo partes habent continuitatem, eo provecta, ut ſeparatio humidi à ſicco licet non perfecta ſequatur: ejuſdem autem *vini converſio in acetum* eſt corruptio caloris vitalis humidique aquoſi ſive extranei ſuperante calore elementari unà cum humido naturali, quæ veluti mors quædam vini dici poteſt: nam etſi caloris in vino vitalis eductione animæ interitus reverà minimè ſequitur, ſiquidem vinum eâ caret, tamen per quandam ſimilitudinem poteſt dici mors, & vinum amiſſo calore vitali mortuum, quòd viventia tum demum mori dicuntur quoties vitali calore privantur.

Vinum quomodo corrumpatur: Quomodo in Acetum convertatur.

In generatione namque aceti unà cum vitali calore humidum aqueum diſſolvi, ſupereſſeque humidum continuans ſive proprium unà cum mixtionis calore ex eo intelligere eſt quòd acetum etſi eſt actu humidum facultate tamen eſt admodum exſiccans. Scilicet acetum per nutritiæ humiditatis comſumptionem non ampliùs ita humectat atque vinum ſed ſiccius vino factum eſt, humiditate quippe internâ per extraneæ receſſum commixtâ cum ſicco accuratiſſimè. Præterea tametſi acetum ab ambientis caloris actione aliquid contraxit caloris adventitii, à quo acrimoniam quandam comparat, tamen vino frigidius eſſe abſolutè per vitalis corruptionem caloris mordacitas quam habet evidens eſt argumentum; quæ mordacitas tanta eſt ut quia altiùs penetrat unáque conſtringit & mordet, ſæpè ſolutionem continuitatis cum dolore conjunctam inferat: penetrat autem altiùs ob ſubſtantiæ miram tenuitatem.

Aceti generatio; & qualitates.

Quanquam porrò aceti ex vino generationem paſſim Medici ad putrefactionem referunt, in eo tamen nullam eſſe putredinem

In Aceti generatione

hæc

hæc argumenta convincunt. Scilicet certo conſtat experimento minorem putredinem ſive inchoatam ad majorem eſſe viam, ut longè faciliùs ſit id quod aliquantùm cœpit putreſcere deinceps inſigni corripi corrumpique putredine, quàm id quod neutiquam adhuc putredinis rudimentum concepit ullum: quod ratio ipſa phyſica etiam ſatis confirmat; facilior quippe eſt à medio ad quodvis extremum tranſitus, quàm ab uno extremo ad alterum. Quo poſito ſi inchoatam in aceto putredinem fatemur, neceſſe acetum ad putredinem eſſe paratiſſimum: atqui experientiâ quotidianâ teſte acetum vel nunquam putreſcit vel certè ægerrimè, vinumque multò proclivius eſt ad putredinem contrahendam antequam in acetum mutetur quàm ubi jam eſt commutatum, ut docet *aceti generatio arte facta, quæ fit ſi vinum vel à ſole vel ab alio mediocriter calefaciente tepeſcat, quo vitalis exhalet calor, unáque aqueum humidum abſumatur.* nulla accidit putrefactio. Aceti generatio quomodo arte adjuvetur.

Itaque *putrefactio vini, ejuſque in acetum converſio* ſic inter ſe diſſident, quòd in putredine quidem unius calidi naturalis humidique proprii, non autem vitalis caloris aut humidi aquoſi conſideratio habetur, atque humidum proprium non immediatè ab ambientis calore patitur, ſed priùs calor naturalis patitur ac educitur, eamque evocationem caloris tanquam cauſæ oppoſita patibilia continentis unientiſque humidi diſſolutio proprii conſequitur ſeparatioque à ſicco. Quod experientia in aridis demonſtrat lignis, quæ vel in magnis æſtubus lociſque fervidiſſimis ſervantur diutiſſimè, nec uſquam non antè evocato calore intimo & naturali continuans elici humidum experiri eſt. In vini autem converſione in acetum vitalis caloris exhauſtum prægreſſum reſolutio humidi minimè conſequitur, ſed immediatè ab ambientis calore & calor vitalis elicitur & humidum diſſolvitur aqueum, imo ſine illius exhalatione hoc quandoque conſumitur; itaque aut ab utroque calore proprio & ambientis humidi reſolutio fit immediatè, aut certè prægreditur vitalis caloris evocationem majori ex parte aut penitus. Differentia inter vini putrefactionem & in acetum converſionem.

Quale vinum faciliùs aceſcat.

Experientia enim id ſatis docet, cùm vinum novum haud facilè aceſcat ſed vetuſtum duntaxat, & omnino in aceti generatione humidi reſolutionem minimè ſuccedere alicujus caloris corruptioni hinc intelligi poteſt, quòd aquea in vino humiditas à calore minimè continetur, ſed potiùs patitur & conſumitur ab eodem, quippe quæ ab animâ nutritionem moliente fuerit illecta. Nam in vino etſi anima non ſuperat, ſed unus vitalis calor unà cum humido nutritio priùs ab animâ nutritionis gratiâ attracto, tamen cum illo calore hæc ſervatur vitalis conditio ut humidum reſolvat, quanquam eâ actione vinum minimè nutriatur. Quamobrem in generatione aceti vinum non diſſolvitur quatenus mixtum eſt, quia ſiccum & humidum elementaria unita vigent in eo & ſuperant, ſed quatenus vinum in viventium genere continetur, ut ſemen plantæ.

An vinum congelationis capax ſit?

De *congelatione* autem alterâ interitus violenti ſpecie intempeſtivum eſſet ex hoc loco dicere, oſtendereque vinum ejus quoque capax eſſe, ut experientia ſæpè docuit: nam Aquilone ſæviente hiſtoriarum fide noſtro ævo ita congelaſcere vinum compertum eſt, ut in fruſta diviſum fuerit militibus. Quod & olim contigiſſe fidem Ovidius fecerit:

Nudaque conſiſtunt formam ſervantia teſta
Vina, nec hauſta meri ſed data fruſta bibunt α.

His præmiſſis ſtatuitur: ſanguinem eas quas vinum pati affectiones poſſe tametſi cum nonnullo diſcrimine.

Quoniam igitur *ſanguis* reſpondet proportione *vino*, eſtque mixtum quod aquæ genus appellat β. *Ariſtoteles*, efficitur profectò, *ſanguinem eas poſſe pati affectiones quas vinum ſentire experimur ſive naturales ſive præter naturam tametſi cum nonnullo diſcrimine*; e. g. quoniam ſanguis alioqui concretum mixtum ex craſſiorum elementorum prædominio propter uſum alimenti fluxilitatem magnam poſtulat ob diſtributionis & commeatus per anguſta admodum vaſa neceſſitatem, fluxilitas autem ex adverſo non niſi ab humidi actu ſeu liquidi corporis, uti eſt aqueum, affuſione & commixtione accedere poteſt, certè reſolutio humiditatis aqueæ

α. 3. de triſt. Elegia 10.
β. 4. Meteor.

aqueæ ſibi ad eum finem neceſſariò affuſæ plurimæ non poteſt ita naturalis eſſe illi atque reſolutio ejuſdem aqueæ ſubſtantiæ in vino, ſiquidem in hac vini perfectio maturitaſque conſiſtat. Unde etiam ſanguis ἄκρητος, id eſt, deſtitutus ſero ceu vehiculo *Hippocrati* damnatur. Adhæc ob idem prædominium craſſiorum elementorum in ſanguine hunc ad uſtionem longè paratiſſimum eſſe neceſſe eſt, cùm vinum integrum ejus affectionis incapax ſit omnino, etſi aqua è vino extracta vi caloris externi maximè ſit inflammabilis.

Congelationem namque *ſanguinem* non ſolùm extra corpus effuſum pati experientia docet, ſed adhucnum in vivente vel etiam in vaſis reſidem gangræna amplam fidem facit, & concretio ejus ſive congelatio in vaſis capitis à frigore aquæ in eo ſtagnantis plurimæ mihi obſervata, & antè annotata. Et quidem I. quoad congelationem.

Verùm quod ad *Putredinem* ſpectat, *plures ſanè varioſque putredinis gradus ſanguinem admittere*, modò ſcilicet *mediocrem & coctionis participem*, quæque corrigi poteſt, modò *malignum & inemendabilem*, modò *mediam putredinem* cùm ſenſus vel ipſe docet in ſanguine extracto; tum diverſæ febrium ſpecies, quæ variam putredinis in ſanguine naturam conſequuntur. Nam ſenſus ſatis deprehendit fibroſæ in ſanguine venâ ſectâ extracto ſubſtantiæ diſſolutionem in ſaniem omnis conſiſtentiæ expertem tabum, aut amurcam referentem, quem α. *Ariſtoteles* ideo ichoroſum morbidumque appellat. Sedimentum quoque in urinâ per febres varium idque modò laudabile, modò exitiale, modò neutrum, pariterque pus idem demonſtrat longè ſcilicet varium per inflammationes partium tumoreſque præter naturam ſuccreſcens in corpore cum tempore; hæc enim ſequuntur ideoque arguunt ichoroſæ à fibroſâ ſanguinis ſubſtantiâ ſeparationem, quæ abſque putredine fieri nequit. *Sanguinem igitur capacem eſſe putredinis ejuſque multiplicis eſto ratum firmumque.* II. Quoad Putredinem.

α. 4. Meteor.

III. Quoad Acorem.

An autem *idem immutari* poſſit, *ut vinum in aliam quandam ſubſtantiam aceto proportione reſpondentem*, etſi craſſities ſanguini ingenita impedire videtur, tamen affinitas ſubſtantiarum, ſimilitudoque duplicis in utroque caloris unà cum duplici humiditate antè declaratæ ſatis inſinuant. Nam quemadmodum ex caloris in vino vitalis evocatione, humidique aquei ſeu nutritii reſolutione ab ambientis calore potiſſimùm factâ vinum in acetum mutatur; pariter ſanguinem ex evocatione vitalis ſpiritus ſeroſique humoris mutari in ſubſtantiam aceto affinem quid vetat? Certè *limus ſeu ſuccus melancholicus* in quem ſanguis uſtulatus convertitur paſſim frigidus quippe, acidus & mordax, omninoque aceto finitimus luculentam fidem facit: nam in aceto quamquam tenui tamen craſſiorum elementorum non parum ſuperare fæces, quæ cum tempore in acetum continentibus vaſis ſubſidunt, & ſucco melancholico magnâ ex parte reſpondere videntur, docent. Neque improbabile eſt varias bilis & reliquorum humorum ſpecies in quas ſanguis fermentatione, ebullitione, uſtione, aut aliâ ſimili alteratione experientiæ fide convertitur, eſſe mixta quædam quæ aceto quodammodo finitima ſunt.

Putredo inducitur â Calore in humano corpore actuali; ſive is ſit naturalis; ex ſanguine præſertim arterioſo;

Enimverò non deëſſe *calorem in humano corpore actualem ſive naturalem ſive præter naturam, qui in evocando ſanguinis inſito calore humidoque interno, itaque putredinem inferendo ambientis caloris vicem gerere poſſit*, hæc ſane habeo illuſtria documenta. Nam inprimis omnia in nobis actu calent, & extra omnem controverſiam eſt ſpiritus in nobis vitales, & ſanguinem præſertim arterioſum ubi calorem præter naturam conceperint quâcunque ex cauſâ ſive ob animi motus, aut corporis immodicos, ſive ob alterationem ab ambiente, ſive ob confertum introrſum impulſum poſſe ſanguinem venoſum ad fervorem putredinemque adducere, ſi eum ad putredinem paratum offenderint. At præter ſpiritum vitalem & ſanguinem occurrunt quoque excrementa varia & fuliginoſa præſertim vel in toto, vel in parte aliquâ quibuſdam in corporibus ſuccreſcentia; quæ cùm ſint actu calida & per vaſa permeent, ſeſeque facilè ſanguini immiſceant,

& excrementis fuliginoſis

ne-

neceſſariò ſuum illi inurunt calorem, & ad ebullitionem impellunt.

Similiter *quæcunque materia ſive humor* alicubi in corpore cunctans *actu tandem præter naturam* incaluerit, poteſt ſanè contagione & ratione viciniæ ſanguinis maſſam calefacere, propriique caloris evocatione putrefacere, ſi eveniat ad focum ejuſce materiæ ſanguinem ipſum moveri eique adhæreſcere, ut evenit eum unà cum ſpiritu ferri quoties vel natura incumbit coctioni alicujus materiæ, vel laborat in ejuſdem expulſione. ſiv e p ræter naturam, vel ab humore aliquo in corpore diu cunctante,

Jam *partes ipſæ ſolidæ, viſceraque inprimis, & maximè cor* haud dubiè *calidam & æſtuoſam intemperiem ſive naturalem ſive acquiſititiam* ſanguini facilè communicant, eumque ad putredinem tandem adducunt. Quanquam enim cor ſiniſtrum ſanguis nec penetrat nec ſubit, tamen diu in vaſis cordi proximis cunctabundus facilè calore ejus naturali licet quia tamen eximio & inſigni incandeſcit ferveſcitque. Multa igitur in humano corpore occurrunt præter ea, quæ extrinſecus circumfuſa ſunt, quæ calidi ambientis vicem gerere & ſanguinem, certè aliquas ex ejus ſubſtantiis diverſis ex quibus conſtat præter naturam calefacere, atque ad fervorem & putredinem adducere nata ſunt. vel ab ipſis ſolidis partibus, imprimis viſceribus intemperie calidâ laborantibus,

Cæterùm quanquam *ſeroſa in ſanguine pars* à naturâ frigidiſſima eſt utputa verè aquea, aqua namque à phyſicis primum frigidum perhibetur, tamen cùm in corpore ea perpetuò tepeſcat ob ſpiritus vitalis commercium, fervorem brevi admittere conceptumque diu retinere, atque ſanguini commixto communicare, *itaque per ſe putreſcere vel certè occaſionem dare putredini reliqui ſanguinis* ex analogiâ aquæ elementaris perſpici poteſt, quæ experientiæ fide ob tenuem ſubſtantiæ modum alienum calorem facilè recipit ferveſcitque, ac putret. Sed præſertim à ſeroſâ ſanguinis parte: quod perſpici poteſt 1. ex analogiâ ſeri in corpore,

Et vitium capiunt ni moveantur aquæ.

Imò calorem conceptum ſatis diu retinet, atque ſi tepidum offendat corpus non facilè deponit, ſed viciſſim fovet, ut experiri eſt ſi cruribus à gravi nephritidis dolore refrigeratis, & quaſi gelaſcentibus vas aquâ fervente plenum ad-

 mo-

moveatur : nam ſuum calorem vel decem horas ſervare conſtat.

& aquæ elementaris.

Et quod ad aquæ elementaris putredinem attinet, de eâ nullus ambigere poteſt, qui conſideraverit illi ineſſe exhalationes ſiccas terreas unà cum calore à lumine aſtrorum accepto, cujus evocatione certè licet imperfectè putreſcere poteſt. Nam quanquam veram non habet mixtionem & naturæ unionem, quòd in illâ propter magnum ejus exceſſum & naturæ, & nomen aquæ ſervetur, ideoque calidum & ſiccum quæ in aquâ inſunt, nequeunt dici propriæ naturaleſque aquæ qualitates; quia tamen ſunt quodammodo intrinſecatæ permixtæque cum ipſâ aquæ ſubſtantiâ, ſanè totum illud corpus reddat putredini obnoxium ſaltem imperfectæ, quæ putredo ſecundùm partem dicitur.

2. Humidi aquei vini reliquorumque corporum mixtorum.

Atqui in vino pariterque in ſanguine, ut & in reliquis corporibus mixtis, in univerſum humidum aqueum præſertim eſſe putredinis ſubjectum, aut certè cauſam ſeu occaſionem omninoque conditionem putrefactionis ratione & experimentis pluribus demonſtrare eſt. Etenim quanquam corpus omne naturale revera eſt putredinis ſubjectum, id tamen intelligendum eſt eſſe putredinis ſubjectum non quatenus eſt corpus, ſed quatenus eſt humidum, ſi potiori loco apud nos eſt auctoritas *Ariſtotelis*, ut eſſe debet, quàm *Galeni* opinio. Nam quoniam cauſa putredinis efficiens eſt proprii caloris receſſus, calor autem recedere nequit ſine proprio interitu, cùm idem numero accidens proprium nequeat deſerere ſubjectum ac in aliud migrare, neceſſaria profectò eſt calori humida ſubſtantia, in quâ reſideat ſi educi debet, & cum quâ tanquam cum vehiculo emigret.

Ligna arida quâ ratione à carie per multos annos integra ſerventur,

Hoc ſanè arguunt vel *ligna arida*, quæ experientiâ teſte integra & ſine carie multis ſæculis non aliâ ratione ſervantur, quàm quia in iis exigua admodum ineſt, nec niſi ægerrimè evocabilis humiditas naturalis; cujus indicium quòd ubi primùm ea madeſcunt externoque aliquo perfunduntur & humectantur humore, tum facillimè putreſcunt. Nimirum calor non poteſt ſolus evaporare ſine humidâ aliquâ ſubſtantiâ: in humectatis enim aridis lignis aquoſus humor

humor imbibitus quia vehiculi uſum naturali calori exhibet, occaſionem certè præbet & apparatum ad cariem, quippe cùm beneficio ejus tanquam vehiculi naturalis calor ab ambientis calore evocatur, ægrè aliàs per humiditatem naturalem modicam ligni extrahi potens.

Cùm autem in omnibus viventibus *interna humiditas inſit duplex*, *aquea ſane res putreſcibiles maxime reddit*, qui quod humidum in mixto tanquam materia requiruntur, id potiſſimùm eſt aqueum, ut ſiccum maximè eſt terrenum. Aqua namque & terra molem & corporaturam præſertim mixtis præbent partim quia ſubſtantiam habent magis conſiſtentem & craſſam, partim quia humidum aqueum utpote magis diviſibile ac miſcibile ad conglutinationem atque unionem partium mixti præ aërio humido aptius videtur; itaque humidum præſertim aqueum omnino eſt putredinis ſubjectum, vel certè conditio putreſcibilitatis, ejuſdemque occaſio. Ac tametſi humiditatis adventitiæ eductio ſive evaporatio nequaquam eſt putredo niſi cum ea naturalis educatur calor, tamen eſt occaſio putredinis, quia calori, ut dictum eſt, naturali tanquam vehiculum offertur, cum quo hic facilè educitur.

Humor profectò aqueus & naturalis verè putredinis ſubjectum ſtatui debet in rebus, in quibus ille plurimùm luxuriat, ut abſque externi commercio res ipſæ ſint ad putredinem habiles à naturâ, quales ſunt caro, lac, ſanguis, & id genus. At verò quibus modica aut propè nulla naturalis ineſt, humiditas, uti ſunt ligna antiqua, externa certè humiditas occaſio eſt putreſcibilitatis, quippè quæ nullo negotio ab ambiente elicitur. Experimur equidem quoties animus eſt *mixta* quævis à *putredine* vindicare, id nos conſequi, ſi *ſale*, vel *igne humidum aqueum extractum à nobis fuerit*, tanquam cauſa facilis putrefactionis: eo enim in vaporem ſoluto, nativoque humido, quo res conjunguntur, ſuperſtite res retinent ſuam integritatem multò diutiùs.

Itaque verum putredinis ſubjectum eſt partim humor aqueus & naturalis luxurians, partim externus & adſcititius: id probant: 1. Mixta quæ ſale vel igne à putredine præſervantur.

Certè *carnes animalium mortuorum* haud facilè putreſcunt ſi *nutritia*, quâ abundant *humiditate*, quomodocunque reſolvatur, aliàs ad putredinem ſunt à naturâ paratiſſimæ.

2. Carnes animalium mortuorum.

Contrà

3. Ea quibus humiditas aquea pauca, ſed humidum naturale & oleoſum plurimum ineſt.

Contrà quibus *humiditas aquea pauca ineſt*, ſed *humidum naturale & oleoſum cum ſicco apprimè mixtum* redundat, ea difficillimè ſentiunt putredinem: teſtis eſt *oleum* humidum quidem valdè, ſed humido naturali pollens eoque accuratiſſimè cum ſicco commixto, ut viſciditas ejus docet, nam difficillimè putreſcit.

4. Quæ ad evitandam putredinem Solis radiis exponuntur.

Denique hanc doctrinam confirmant, quæcunque *Solis radiis expoſita à putredine diu præſervantur*, quod vehemens Solis actio præoccupet humidum reſolvere, quàm internus eliciatur calor, & particulatim *caſtaneæ*, & *nuces* id convincunt, quæ in extimâ quidem parte quanquam ambienti propiore tamen quia ſicciore à naturâ ideoque magis reſiſtente haud facilè concipiunt putredinem, cùm in interiore facillimè putreſcant, utpote longe humidiore: agens namque omne citiùs magiſque in corpus ad actionem recipiendam aptius agere conſuevit.

Porrò ſpeciatim, vini aquoſam partem & ſubjectum & occaſionem Putredinis eſſe, adſtruitur. 1. ex ſitu in ſuperficie vini conſpicuo.

Age enim *ſpeciatim in vini putrefactione aquoſam ejus partem & ſubjectum eſſe putredinis*, *& verò ejuſdem occaſionem* ex ſequentibus ſatis intelligere eſt. *Principiò* enim non totam vini ſubſtantiam putreſcere ſed particulas tantùm tenuiores & aquoſas ex *ſitu vini* in ſuperficie ejus conſpicuo arguere eſt: nam hic ex aquoſis particulis exhalantibus per ebullitionem vini fit; ebullitio enim ſituſque in omnibus ſignum putredinis eſſe ſolet, vel qui in ipſius aquæ elementaris putredine conſpicitur ceu quædam reticula.

2. Vini ætate: ubi vinum novum ad putredinem proclive eſt.

Deinde experientia docet vinum proclive eſſe ad putredinem *primâ potiſſimùm æſtate ipſius confectionem conſequente*, quâ prætéritâ ſi vinum evaſerit putredinem ſequente alterâ æſtate minimè putreſcere. Quod ſane contingit, quia aquoſa in vino humiditas primâ æſtate adhuc ſuperfluit non ita ſequente quippè quæ continuò reſolvitur tam à proprio quàm ambientis calore ſenſim ſcilicet ſine ſenſu: quod docet vini in doliis imminutio ſenſim fieri ſolita.

Vetuſtum non item.

Præterea vinum vetuſtum ob eam continuam aquei humoris exhalationem minimum ejus humoris habens ægrè putreſcit, & eò minùs quo antiquius, ſimiliterque vinum merum & generoſum, ſed aceſcit potiùs ſi modò adhuc ali-

alicujus humiditatis eſt particeps, cujus ratione vitalis calor ab ambientis calore educi poſſit, aliàs ne aceſcit quidem, ut fidem faciunt vina hiſpanica.

Denique idem confirmatur ex eo quòd qui vinum à putredine vindicare ſtudent, illi *igne excoquunt*, ut omnes ejus aqueæ partes exhalentur: *ex quibus aqueum in vino humidum cauſam eſſe & occaſionem putredinis concludere licet.* 3. Ejus Excoctione.

Quod & *Acetum* demonſtrat, quod non facilè putredinem ſentit non tantùm quia per eductionem caloris vitalis acetum frigidius vino redditum evocanti ambientis calori magis obſiſtit, ſed quia humidum in aceto aquoſum aut nullum aut paucum exiſtit, quoque ejus minus eſt eò minùs putredinem ſentire poteſt; cujus indicium eſt quòd acetum ex vino tenui dilutoque factum propter ejus humiditatis aquoſæ exorbitantiam facilè putreſcit, cùm ex vino generoſo factum incolumitatem diutiſſimè ſervet. 4. Aceti naturâ.

Itaque humidum aqueum in quovis ſubjecto putreſcibili aut eſt ſubjectum conditioque putredinis: aut certè occaſio putreſcibilitatis, proindeque ſerum ſanguinis maſſæ, affuſum putredinis ſanguinis varias ſuſcitantis febres in humano corpore ſubjectum ejuſce putredinis ſtatuere oportet, ſi quando ipſa maſſa humores alibiles complexa nondum trahitur in ſympathiam putredinis, & quando trahitur, occaſionem ſaltem eſſe putredinis omninò fatendum eſt. Quanquam enim omnis putredo, quia fit per ſeparationem partis à parte nempe humidi à ſicco, non ipſi parti eductæ attribui debet ſed toti mixto, nec enim putreſcere dicitur humidum pomi ſed educi tantùm, totum autem pomum putreſcere; itaque licet partes aquoſæ & tenuiores ſive in vino ſive in ſanguine potiſſimùm putreſcant, hoc eſt, in putrefactione extrahantur, toti tamen ſive vino, ſive ſanguini potiùs quàm illis eductis attribuenda videtur putrefactio. Ultimò concluditur: Humidum aqueum in quovis ſubjecto putreſcibili aut eſſe ſubjectum aut occaſionem putredinis.

Quod tamen de putredine perfectâ, quâ mixta ſcilicet penitus diſſolvuntur ut nihil ejus reliquum remaneat præter cinerem aut calcem ſive terram, quæque cadit in corpora ſolida & per exceſſum terrea intelligi debet. Nam in Putredo ai.. eſt perfecta,

alia imperfecta.

illis, quibus putredo imperfecta convenit, nihil fortè obſtat putredinem tribuere ſubſtantiis quæ non ſunt tam internæ, quàm adventitiæ, uti eſt aqueus humor & nutritius atque externus in vino exorbitans, & ſeroſus humor affuſus maſſæ quatuor humorum ſive ſanguini, cùm præſertim hæ ſubſtantiæ externæ non ſint accuratè unitæ, & unio non conſiſtat niſi in humido interno proprioque cum ſicco naturali; & verò in medicinâ magni referat ſolum ſeroſum humorem citra ſanguinis maſſam alibilis putreſcere. An verò unà cum eo ſanguinem quoque putreſcere, cùm agendorum indicatio diverſitatem exinde capiat & quocunque caſu ſeroſi humoris ebullitio fervorque coërcitionem indicet & ſtatum, ſive ſeroſus humor ſolus ſit putredinis ſubjectum, ſive maſſa quatuor humorum ſit unà quoque cum eo, & ejuſdem putredinis præterea ſeroſus humor ſit occaſio.

Tractatio de febribus in ſeroſâ ſanguinis parte tanquam ſubjecto inhærentibus.

Age igitur his jactis fundamentis de ſanguinis aquoſæque in eo partis putredine, videamus deinceps ſedulò, quæ ex tanto febrium diſſimilium inter ſe homini infeſtarum numero in ſeroſâ ſanguinis parte tanquam ſubjecto inhærent, & quarum putredinis fomitis occaſio ſaltem dici debet eadem ſeroſa materia.

In omni febre univerſi corporis habitus calore igneo p. n. quaſi uri perſentitur.

Principiò ergò *in omni febre* univerſi corporis habitus mediocri aliàs quodam & naturali calore tepeſcens *æſtu & calore igneo præter naturam quaſi uri perſentitur*, ex communi ſiquidem omnium conſenſione eum conſtat hominem febricitare qui calidus eſſe ſentitur totus, aut pulſus habet uſui aucto familiares, hoc eſt, majores, celeriores, & crebriores, aut certè quaſdam ex his differentias. Nam etſi perpetuò homo non uritur, ſed frigus quandoque alternat, hoc tamen præ calore longè minùs urit breviúſque, neque univerſum corpus ſtringit; contrà calor ſive ardor multo gravioribus & pertinacioribus febricitantem mactat ardoribus & incommodis, & verò æſtus ſi non univerſum corpus, certè cor & viſcera interiora etiam præſente frigore externum habitum ſtringente male habet.

Qui calor p.

Is ergò calor præter naturam urens toto in habitu non ſolùm

ſum ægro moleſtus, ſed etiam aſtantibus ſenſibilis & adventitius *ſuæ generationis ab aliquo actu calido principium accepit, quod vel eſt externum vel internum.* Atque *externum* quidem, uti experientiâ conſtat, præcipuè feréque eſt *ambiens, aër ſcilicet æſtuoſus & fervidus*, ut ſub caniculâ: nam *aqua fervens, ignis, & medicamenta ignea* raro febrem inurunt.

n. principium accepit ab aliquâ actu calidâ causâ, vel Externâ, ut aëre ambiente æſtuoſo & fervido:

Quanquam autem ſolidus corporis habitus, ſi cuiquam contigerit immotum ſeſe rutilare flammis ſolis aliàs diuturnâ jam ante triſtitiâ gravique curâ ſqualido, calorem præter naturam eumque hecticum contrahere poteſt, quod certè raro evenit, tamen quia corporis in nobis tenuia actuque calida, (ſpiritum vitalem unà cum ſanguine intelligo) multò faciliùs ac citiùs vim & ardorem ambientis experiuntur, quàm ſolidæ in nobis partes (ut quod caſtaneis & nucibus accidit, in quibus putredo interioris ſubſtantiæ humidæ prævertit cariem exterioris, duræ quippe ſiccæque) & aëris circumfuſi, actionem lædentis pariter in humano corpore, contingat, ut ſpiritus ac ſanguis calorem præter naturam antè quàm partes ipſæ ſolidæ excipiant ab externis illarum corporibus, duræ ſcilicet cùm ſint, denſæ, compactæque & ſuâ naturâ frigidæ, calorem, inquam, præter naturam excipiant, qui non ſit momentaneus & fugax, ſed morbi rationem habere poſſit: *itaque in febribus quarum cauſa ſeu principium alterationis venit extrinſecus, ut plurimùm ſpiritus & ſanguis ſubjecti cui febris inhæreat vicem gerunt.*

utplurimùm ſpiritus & ſanguinem accendente.

Neque enim contendere pertinaciùs velim diſputareque fierine à principio hectica poſſit, quæ excitatur à cauſis procatarcticis febris, cùm talem vidiſſe ſe *Galenus* in muliere ſed unicâ duntaxat teſtetur, tametſi ſuſpicioſè potiùs quàm affirmativè loqui videatur: nam vix ac ne vix præſertim in zonâ temperatâ tanta uſtio ab aëre inferri poteſt, quæ vel primo die roridum cordis humidum abſumendo hecticam primæ ſpeciei invehere poſſit.

An febris hectica à cauſis externis excitari poſſit?

Jam vero quod ad *cauſam internam* attinet, quoniam calor febrilis per univerſum corporis ſparſus habitum, expe-

Vel Internâ.

perientiæ fide, variat mirificè, ſive intentionem gradumque ſpectemus caloris, qui modò major, modò minor eſt; ſive tempus durationis ac vigoris, vel ſuccedentis intermiſſionis aut remiſſionis, atque vices recurſuſque conſideremus, ſive etiam caloris, contrariæque calori qualitatis, hoc eſt, frigoris reciprocationes, *cauſam ſanè calefacientem corporis habitum & febrem inurentem eo planè eſſe ingenio neceſſe eſt, ut modò hominem affatim ſuâ præſentiâ calefacere vel abſentiâ refrigerare, modò intenſum aut remiſſum imprimere calorem, modò continenter id præſtare aut pauſam facere, ac per vices repetere poſſit: quæ non aliter profectò facere poteſt, niſi quia ipſa fervorem facilè aſſumere aut deponere, & rurſus reſumere nata eſt, vel penitus reſolvi certè ex parte, vel denique extra corpus abire & deſerere quâcunque ratione.*

Quæ naturâ mobilis & variè mutabilis eſſe debet.

Quas ſanè alternantes & varias mutationes ut cor viſceraque ſubire ac ſuſtinere non poſſint, nemo ſanus non videt, quî enim fieri poteſt ut cordis corporis ſcilicet ſolidi, denſi, compactique (idem eſto de cæteris viſceribus judicium) imo ſubſtantiæ ejus carnoſæ aut ſpirituoſæ, quas *Cl. L. Mercatus* ſubjectum putridarum & diariarum ſtatuit, ut puta viventes partes, quî fieri inquam, poteſt ut cordis intemperies morboſa factaque ex brevibus temporis intervallis, nunc intendatur, nunc lenteſcat, vel etiam deſubitò ac penitus faceſſat, & cum mediocri atque naturali commutetur, aut etiam quandoque in extremam & contrariam derepente migret, moxque ſibi intra unam aut alteram horulam reſtituatur. Nam in intermiſſione febrium periodicarum ſudore ſuperveniente calor antè igneus omnino tepeſcit, & corpus ἀπυρετὸν cernitur ſaltem in febre tertianâ exquiſitâ, & intra diem naturalem denuo incandeſcit & accenditur; ſimiliterque febres diariæ madore ſuperveniente, uti & continuæ liberali ſudore, & ſynochi profuſâ hæmorrhagiâ deſubito ſolvuntur, corpuſque priſtinæ hoc eſt mediocri temperaturæ reſtituitur: imo verò in febrium principiis, quæ invadunt cum horrore & rigore cor frigidâ laborare intemperie pulſus parvitas, raritaſque arguunt (nec enim ſimul calida & frigida intemperies in eodem ſub-

Quas alternantes & varias mutationes cùm cor & reliqua viſcera ſubire non poſſint;

jecto conſiſtere valent) & extemplò, id eſt, unam aut alteram intra horam calor ut antè igneus reviviſcit.

Quoniam igitur intemperies calida morboſa, ideoque fixa certè quid factum habens minimè poteſt in momenta exigua in parte ſolidâ denſâque aut penitus obliterari, aut in contrariam intemperiem, hoc eſt, frigidam immutari, denuoque mox ſibi reſtitui, quæ neceſſariò in febre evenire typus febrium ſolutioque ſubita arguunt, *ſanè meritò ſuſpecta eſt communis Medicorum opinio, affirmantium, in omni febre cor tanquam ſubjectum ejus calidâ affici intemperie, cujus communicatione (quippe cor omnis naturalis caloris fons eſt) univerſum corpus præter naturam ſtatim incaleſcat, ut quod eſt calida intemperies in quâcunque aliâ parte corporis, velut febris capitis, hepatis, aut lienis, id in corde exiſtens ſit febris ſimpliciter ſeu febris totius: ſed quærere aliud corpus in nobis oportet, quod a naturâ mobile & tenue alternantium qualitatum ex brevibus temporis intervallis ſit capax, quanquam calorem præter naturam fixum factumque habeat.*

Hinc Suſpecta eſt communis Medicorum opinio, affirmantium in omni febre cor tanquam febris ſubjectum calidâ affici intemperie, à quâ univerſum corpus p. n. ſtatim incaleſcat.

Etenim quoniam febris non eſt calor ſimpliciter, ſed calor præter naturam, quo ſcilicet corpus eſt præter naturam affectum, & non quà calor, ſed quà eſt affectus præter naturam, morbus eſt & febris, ut differentia illa conſtituens febrem (præter naturam) rationem contineat affectionis, indeque *febris primæ & eſſentiales differentiæ ſint, eſſe vel diſpoſitionem vel habitum;* diſpoſitiones autem quâcunque in re ſublatione cauſæ tolluntur, cùm habitus non niſi contrariarum diſpoſitionum ipſis habitibus objectu deleantur; ex quo *febrem habitum* jam habere eum hominem ſtatuere eſt, quando calor in eo nullius cauſæ præſentiâ conſervatur, cujus amolitione poſſit extingui, ſed ita eſt in partibus fixus firmatuſque ut vel omnino extingui nequeat, vel certè alterationem contrariam poſtulet: eum verò *febrem diſpoſitionem* habere dicendum eſt, quando ea alicujus præſentiâ conſervatur cauſæ, ejuſque non externæ ſed intra nos exiſtens, aliàs qui ſoli expoſitus aut irâ percitus calet febricitare perhiberetur, à quibus tamen cauſis in-

Cùm febris prima & eſſentialis differentia conſiſtat vel eſſe in habitu, vel in diſpoſitione;

inductus calor licet naturali major, tamen quia facilè abit & receſſu à ſole aut irâ ſedatâ minimè durat juſtum febris tempus ſeu legitimam febrium conſtitutionem, haudquaquam morbus dicitur, ſed is duntaxat qui cauſam intra nos aliquam habet, eamque talem per quam etiam in cauſarum externarum receſſu tempus quo febres durare ſolent cenſeatur durare.

Earum ſolùm febrium, quæ in habitu ſunt & hecticæ dicuntur, ſubjectum eſt cor.

Atqui quò calor tam diu duret, minimè ſanè ſufficit, ut earum quæ intra nos ſunt ſubſtantiarum aliqua utcunque ſit calida, ſiquidem in iraſcente certum eſt ſanguinem & ſpiritum ferveſcere, non tamen quiſquis ab irâ incandeſcit & æſtuat, is febrem habet, ſed neceſſe eſt internam illam ſubſtantiam febris ſubjectum ita incaleſcere, ut in eâ firmus atque in habitu ſit calor: *quò ſanè quia cor ſolidum compactumque calorem in habitu & mobilem ſimul & variabilem ferre nequit, illud certè earum febrium in quibus caloris mirifica illa varietas antè expoſita effloreſcit, ſubjectum dici nequit, ſed earum tantùm quæ diuturnæ quidem ac conſtantes æquabilitatem toto morbi progreſſu quandam retinere videntur hecticæque dicuntur. Quærenda igitur aliqua alia ſubſtantia, quæ reliquarum à febribus hecticis ſubjectum ſive cauſa continens, à quâ ſcilicet calefacta præter naturam habitus incaleſcat cum prædictâ varietate, quanquam non ierim inficias in omni febre cum reliquo habitu unà quoque cor incaleſcere præter naturam.*

Sed febres, quæ in diſpoſitione ſunt, aliud ſubjectum & cauſam continentem agnoſcunt;

Sed enim intra nos ſunt præter *ſolidas partes ſpiritus*, & *ſucci*, quibus nutrimur unà cum *excrementis diverſi generis*. *Spiritus* quidem alii ſunt *vitales*, alii *animales*, ſi modò inter ſe differunt: *ſuccorum* autem quidam ſunt *alimenta peculiaria*, ut *quatuor ſecundæ humiditates dictæ*, quidam *communia*, ut *chylus & ſanguis duplex: excrementorum* denique quædam ſunt *ſanguinis*, quæ ad quatuor ſuccorum alibilium genera reducuntur, *ſucci* ſcilicet *crudi* ad *pituitam*, *flavi* aut *virides* ad *bilem*, *nigri* ad *melancholiam; quædam ſunt quarundam partium, ut mucus capitis, aurium cera, oculorum lippa, pituita acida ventriculi, inteſtinorumque fæces alvi, & incruſtamentum* ſi quod vaſis internis obducitur

tur & lentore adhæreſcit infarcitque ea & obſtruit, præſertim ſi anguſta à naturâ aut conſtipata.

Atqui ex his omnibus ſubſtantiis *rores proprii ſingularum partium* nequaquam calorem factum habere poſſunt, quin unà cum iis ſubſtantia partium ſit calidior facta; itaque febrium hoc genus hecticum cenſendum eſt. *Chylus* autem *ventriculi*, multoque magis *alvi fæces*, ſi calorem factum conceperint privatam quidem febrem & particularem faciunt ventriculi aut inteſtinorum, ſed nequaquam febrem morbum univerſalem niſi priùs infecerint ſimul aliquam earum, quæ in venis ſunt ſubſtantiæ, quòd innumerabiles venæ & arteriæ in eas partes terminentur, ratione quarum cum chylo & fæcibus neceſſario commiſcentur ſanguis & ſpiritus, certè copioſæ horum aliorumque fuligines paratiſſimæ ſunt ſuccos aut ſpiritus inficere, quoties putredinem contraxerint: itaque potiùs per horum infectionem, quàm per ſolam continui alterationem chylus & fæces febrem invexerint. *Lippæ* autem *oculorum*, *cera aurium*, *aliaque ejuſmodi excrementa* oppidò parciùs ſuccreſcunt quàm ut tantum motum ciere tantumque calorem imprimere valeant. Superſunt ergò *ſpiritus & humores* quatuor, unà cum ſui generis excrementis, quæ febrem accendere valeant.

non rorem ſingularum partium proprium: non Chylum ventriculi, neque fæces alvi, aut particularia quarundam partium excrementa:

Enimverò quoniam ſpiritus & ſanguis à naturâ calorem actualem in ſe continent, haud dubiè fervorem caloremque præter naturam magis minuſque intenſum ſive ſecundùm ſe totum, ſive per partes poſſunt concipere, conceptumque fervorem modò deponere, modò etiam reſumere: ſed & cùm in vaſis contineantur per univerſum corpus diſpenſis, varioſque motus in iis vaſis ſubire & nunc verſùs circumferentiam deſubitò ferri, aut pigro lapſu permeare, modò in præcordia refluere ſive principio motus interno & ſpontaneo, ſive ab externis cauſis impulſu accepto; & verò quantitas ſeu moles tam ſpirituum quàm ſanguinis etiam vita conſtante variare admodùm poſſit, ut modò redundet & ſuperfluat, modò deficiat & quaſi exhauſtum patiatur, imò cùm ſanguis diverſis ex ſubſtantiis conſtet, quæ inſignem pariter varietatem ſive in calore, ſive in quan-

quantitate accipere poſſunt, *haud dubiè ſanè à ſpiritu & ſanguine præter naturam affectis habitus totius corporis multifariam poteſt incaleſcere.* Jam verò ex *excrementis ſucci* quidem *inutiles*, ut *acida pituita ventriculi*, *mucoſum capitis ſerum*, *bilis ſeu fel hepatis* pariter atque *nuper memorata excrementa* etſi poſſunt quidem putredine, aut aſſatione alienum contrahere calorem; quia tamen parciùs ut plurimùm generantur quàm ut univerſum corpus complere queant, ſanè minimè ſubjectum eſſe poſſunt febris, à quo ſcilicet ſubjecto habitus corporis totus incaleſcat, quanquam continuitate & communicatione caloris ſanguinem unà cum ſpiritu præter naturam poſſunt calefacere.

Neque tandem ſuccos excrementitios inutiles,

Vapores autem ſive *humidi*, ſive *ſicci & fuliginoſi* quia actu calidi, tenui mole, mobilique ingenio & propè momento quaquaverſum intima quæque corporis penetrare, atque ſe toti immiſcere valent, videntur certè poſſe totius mediocrem temperiem ad calidam non naturalem immutare, ſed tamen quia per corpus perſpirabile tranant duntaxat, neque hærent aut ſubſiſtunt, niſi in ſuperficie fortè denſatâ & adſtrictâ, & tantumnum in extremis membris uti manibus & pedibus, ad quæ membra præter denſitatem cutis naturalem vaſorum fines ferè terminantur, & verò ſecundum naturam non niſi pauci ſaltem fuliginoſi ſuccreſcunt, aut certè ſi uberiùs generantur, eâque copiâ, ut non ſolùm extremas partes, ſed univerſum habitum compleant, ſanè ſuſcitantur ex minerâ ſeu foco peramplo, qualis minera nulla alia eſſe poteſt præter ſanguinis maſſam alterutram ſive in vaſis magnis, ſive in vomicâ aliquâ inſigni, ut thorace, ſtagnantem. Ex quo neceſſe eſt priùs ſanguinis maſſam eſſe corruptam ſive putrentem ſive uſtulatam, ex quâ efferuntur ejuſmodi vapores: quo caſu prius & immediatè à ſanguine ipſo quàm à fuliginibus habitus corporis incaluit.

Aut vapores,

Quamobrem efficitur reverà, ſanguinem unà cum ſpiritu eſſe ſubjectum caloris præter naturam earum febrium, quæ varietatem in calore quâcunque ratione præ ſe ferunt. Et certè præter diſcrimina caloris ſive in gradu, ſive in duratione, ſive

Sed ſpiritum & ſanguinem earum ſcil. febrium quæ

ſive viciſſitudine, & ejuſmodi, differentiæ caloris cæteræ quæ ex materiâ ſumuntur ſatis confirmant hanc ſententiam: febrili namque calori neceſſariò accidit in aliquâ ineſſe materiâ, materia autem adjunctas habet aliquas qualitates, ſcilicet diverſos tactui occurrendi ſive afficiendi modos, aut calores. Nam febrium quarundam calor occurrit tactui vel cum ſuavitate & quaſi vaporoſus, ut quæ à ſanguine temperato aut ſero ebulliente, vel cum acrimoniâ, ut à ſanguine bilioſo, aut cum quâvis aliâ inſuavitate, qualem ſalſa guſtui inferunt, ut à ſanguine pituitoſo putreſcente: pariter febrium aliæ rubicundæ ſunt, ſive rubro faciei colore ſignificantur, quæ ſcilicet à temperato ſanguine pendent, aliæ pallidæ, quæ à bilioſo, aliæ lividæ quæ ab atro, partim albæ quæ à crudo. α. *Febres hæ quidem manui ſunt mordaces, illæ verò mites, quædam autem non mordaces ſed increſcentes, aliæ verò acutæ quidem ſed à manu devictæ: aliæ rubicundæ valdè, aliæ vehementer pallidæ, aliæ lividæ, & aliæ iſtiuſmodi.*

varietatem in calore quacunque ratione præ ſe ferunt.

Quoniam igitur in omni febre calor multifariam multiſque modis ferit tactum, & vero color adjunctus calori in corporis ſuperficie effloreſcit ſimilis humoribus, id eſt, varietati in ſanguine exiſtenti analogus *febrium ſanè quæ inæqualitatem quandam habent ſubjectum, cui calor in facto ineſt, & à quo incaleſcit habitus corporis, eſt alterutra ſanguinis maſſa, vel utraque unà cum ſpiritu.* Et confirmant planè typorum & momentorum omnium febrium varia conditio, atque aſſidentia ſymptomata, criſeſque, & reliqua omnia quæ circa febres contingunt, quorum ratio à multiplici ſanguinis conditione, fervore, alteratione motuque, & partium affectarum idioſyncraſiâ pendet.

Atque cùm *ſanguinis duo ſint diverſa conceptacula ſeu vaſa, una* quippe ejus portio: eaque elaboratior & defæcatior, in ſtipitibus continetur vaſorum magnorum, quæ ab amplitudine *cava* dicuntur, & eorum cùm ramis hinc in-

Cùm verò duo diverſa ſint ſanguinis conceptacula; Vena Cava,

Nnn de

α. Lib. Epid. 6. Sect. 1. Aph. 17. πυρετοὶ, οἱ μὲν δακνώδεες τῇ χειρί, οἱ δὲ πρηέες. οἱ δὲ οὐ δακνώδεες μὲν, ἐπαναδιδόντες δέ. οἱ δ' ὀξέες μὲν, ἡσσώμενοι δὲ τῆς χειρός. οἱ δὲ ἐξέρυθροι, οἱ πελιοὶ, οἱ δὲ ἔξωχροι, καὶ τ' ἄλλα τοιουτότροπα.

de in partes omnes diſtributis uſque ad habitum externum, tum radicibus implantatis viſceribus propriis ejuſdem officinis; *altera* autem quæ ſemiſanguis adhuc eſt, & chylo permixta necdum perfecta, in ſtipitibus *portis* dictis, radicibuſque eorum pariter inſumptis utrique viſceri, & ramis per inferiorem alvum propagatis inſertiſque ventriculo, inteſtinis, meſeræi glandulis, & reliquis, certè licet radices portæ & cavæ per inſignes anaſtomoſes ſibi conſentiant, tamen ſanguinem à ſanguine hæc diverſa vaſa ita dividunt, ut non facilè ſit uni parti confertim & ſpontè migrare ab uno in aliud vaſis genus: quanquam ex naturæ inſtituto beneficio & vi tractricis facultatis hoc fiat, ſed ſenſim tantùm: affatim autem fieri vix crediderim, niſi fervore quodam concepto ipſe ſanguis ſpontè ebulliat deſpumetque ab uno in aliud aut vi naturæ irritatæ compreſſis vaſis ſanguis expreſſus alteri confundatur, quo ſanè fit ut viâ ordinariâ ſanguis impurior minimè ſit ſubjectum febris, à quo ſcilicet externus habitus incaleſcat febriſque fiat, ſi modò hæc in calore totius habitus præter naturam omnino ſita eſſe debeat, & non ad ejus conſtitutionem ſufficiat ſaltem cor & cum corde præcipua membra, hoc eſt, internum habitum incaleſcere, quod eſt certè Galeni decretum his verbis conceptum. α. *Eſſentia verò febrium eſt non ſecundùm Hippocratem modò atque præclariſſimos Medicos, ſed etiam ſecundùm communem omnium hominum conſenſum præter naturam calor maximè quidem in totum animal effuſus, ſin minùs at omnino vel in plurimis partibus vel in nobiliſſimis accenſus: ſæpiùs namque univerſa cutis nullum evidentem præter naturam calorem neque nobis exteriur tangentibus, neque ipſis laborantibus præ ſe ferre videtur, ſed in profundo corpore ipſi ægrotantes ſentiunt, viſceraque ſibi incendio flagrare ajunt.*

& Portar.

Poteſt igitur *ſanguis impurior in portâ alterutrâ propriiſque ramis, vel etiam radicibus ſubjecti febris rationem habere*, quandoquidem ſaltem internus habitus, hoc eſt, præcordia, parteſque alvo inferiore concluſæ ab ejus ſive putredine ſive uſtione, ſive etiam ebullitione præter naturam incale-

α. Comm. Sent. 2. p. 1. 6. Epid.

calefcunt ; ſed etiam hoc nomine quia hujuſmodi ſanguis minimè putreſcere aut corrumpi poteſt quin brevi ſanguis etiam purior in cavis ſtagnans neceſſariò computreſcat.

Ex quo ita ſtatuendum eſt ſanguinem quidem purum & perfectum in cavis quoties à ſe immutatus principia putredinis concipit, tum rationem habere & ſubjecti, & cauſæ continentis ſimul, quippe qui calorem factum habet, & habitum corporis ferè omnem calore præter naturam afficit ; ſed quoties is computreſcit incaleſcitque duntaxat per ſympathiam ſanguinis impurioris, tum neque cauſæ continentis rationem habere illum, quippe qui calorem minimè factum habet, & putredinem ſed emendabilem concepit tantùm, neque verò ſubjecti proprii & adæquati ſed inadæquati : ſanguinem autem impurum in portis quoties calorem factum habet quâcunque ratione, cauſæ quidem continentis vicem gerere, ſed ſubjecti immediati quidem reſpectu partium internarum inferiore alvo concluſarum, ſed reſpectu habitus externi & partium ſuperiorum ſubjecti duntaxat mediati, quippe quem immutat niſi per ſanguinem purum antè calefactum a ſe præter naturam.

Sanguis quoque illius purior, hujus impurior: uterque in vaſis ſuis putreſcens diverſo reſpectu cauſæ continentis & ſubjecti rationem obtinet.

Atqui ut redeamus in viam, cùm ſanguinis duæ illæ partes locis diſtinctæ, calorem poſſint alienum concipere, vel ſimplici alteratione, vel putredine, aut uſtione, hæc enim ſubſtantiæ corruptelam quandam præter alterationem inferunt, *principia ſanè ſeu cauſæ alterantes eæque internæ* (nam de externis antè dictum) *ſunt cætera omnia in corpore quæ ambientis calidi vicem gerere poſſe antè monuimus, ſive partes ſolidæ, ſive ſucci iique tam utiles quàm inutiles, & utrique ſive communes ſive particulares. Quæ ſubſtantiæ etſi ſubjectum febris minimè ſunt, tamen ſi quando calorem habent factum vim cauſæ continentis habent, quâ ſcilicet febris adeſt & fovetur, quâ ablatâ tollitur, id eſt, calor in habitu ſive interno ſive externo ſpontè abit.*

Principia verò ſeu cauſæ alterantes internæ ſunt ea quæ in corpore ambientis calidi vicem gerere poſſunt:

Atque ex *excrementis quidem inprimis ſunt fuligines eæque ſive ſecundùm naturam genitæ modicè, ſed retentæ & prohibitæ præter naturam, itaque affatim aggeſtæ in corpore, ſive præter naturam ſuccreſcentes*, ob intemperiem partium naturalium quanquam intra ſanitatis latitudinem conſiſtentem, ut

Ceu 1. Excrementa fuliginoſa in corpore affatim aggeſta & cohibita,

 in

in corporibus calidis, & ſqualidis, atque atrabilaribus; aut ob errorem externum pravam ſcilicet victus rationem in alimentis ſuâ naturâ pravis potiſſimum poſitam: hæc namque in toto aut etiam parte aliquâ congeſtæ & ſanguini alioqui laudabili immixtæ tandem hunc calefaciunt, atque principium putredinis vel inflammationis præbent. *Cohibentur autem & ita aggeruntur, quoties exitu naturali prohibentur, quod contingit ſive cùm liber commeatus per vaſa ſanguini denegatur, ſive per cutem liberè expirare non datur. Primum* autem accidit *vaſis vel obſtructis vel conſtipatis: obſtructis* ſcilicet ſive ab ipſo ſanguine copiâ laborante & quodammodo incuneato, ſive à lentis & craſſis humoribus oblitis & incruſtatis vaſorum præſertim anguſtorum parietibus: *conſtipatis* verò, ut quoties partes earum parenchymata inflammatorio tumore diſtenduntur; comprimi enim & ſubſidere tum vaſa in ſe neceſſe eſt. *Secundum* autem evenit, quoties vel externus corporis habitus laborat polyſarciâ, aut multitudine humorum, vel ipſa cutis denſa eſt, quæ denſitas aſtrictione, aut refrigeratione, vel etiam exſiccatione inducitur.

Sive per liberum ſanguinis per vaſa commeatum denegatum, Sive per cutis expirationem cohibitam.

Ex *ſubſtantiis* autem *utilibus ſpiritus & ſanguis* alteruter ſibi mutuæ ſunt cauſæ alterationis: nam impurus præter naturam putrens puriorem ſæpè trahit in intemperiem, & viciſſim, atque quivis alterum, venoſus quippe arterioſum, ſed arterioſus contrà & potiſſimùm calefacit præter naturam venoſum. Verùm frequentiſſimè ſpiritus vitalis ſanguinem alterutrum aut utrumque præter naturam calefacit & ſuccendiculi febris eſt inſtar. An verò etiam is ſubjecti quoque vicem præſtet excutietur expendeturque mox à nobis.

2. Spiritus & ſanguis tam venoſus quàm arterioſus p. n. ſe habens.

Jam enim præmiſſis quæ hactenus dicta ſunt, fundamenti loco ſigillatim inquirendum à nobis, quæ ex duplici genere febrium ab hecticis diverſarum, quæque alicujus cauſæ præſentiâ foventur & calorem fientem in habitu duntaxat habent, ſint quæ reverà ſeroſam in ſanguine cujuſcunque generis partem pro ſubjecto habeant; nam cuivis ſanguini ſive venoſo ſive arterioſo, ſive impuro ſive puro aqua atque ſerum plurimùm affunditur.

His ita præmiſſis:

Due

Duo igitur ſunt ſubalterna febrium genera ab hecticis alia, quorum primum diariæ nomine exprimitur & ſubjectum habet ex communi Medicorum ſententiâ ſpiritum ſive inflammatum ſive putrentem; alterum putridæ febris nomine inſignitur & in humore cujuſcunque generis & quâcunque ratione calefacto præter naturam hæret. Primi autem generis duplicem ſpeciem paſſim ſcholæ conſtituunt, quarum altera unum diem naturalem minimè excedit, altera autem etiam ad quatuor dies extenditur, unde ephemera plurium dierum vulgò dicitur in hoc à priore diſtincta quòd non ſolùm ſpiritus, ſed ſanguis quoque propriè dictus quartus humor incaluit. Ad hoc genus autem meo judicio reduci quoque poſſunt febriculæ illæ quæ hemicranias, & eryſipelata, ſimileſque affectus comitantur, cùm leviſſimæ ſint & diebus admodum paucis ferè terminentur.

I. Statuitur: Febres omnes paucorum dierum ſeu diarias pro ſubjecto habere unam aquam ſeu ſeroſam ſanguinis venoſi aut arterioſi partem.

Atqui harum omnium febrium paucorum dierum, quamquam hactenus unanimi omnium Medicorum conſenſu unus vitalis ſpiritus inflammatus pro ſubjecto habitus fuerit, tamen ut potiùs illas omnes in unâ aquâ ſive ſeroſâ ſanguinis venoſi aut arterioſi parte, eâque ebulliente vel etiam fortè putrente hærere ceu ſubjecto affirmem, multa graviaque perſuadent argumenta, tametſi in pleriſque hujus generis febribus non ierim inficias ſpiritum vitalem ſuccendiculi habere rationem ſive cauſæ internæ, quæ principium quidem fervoris ſeroſo humori det, ſed tamen minimè foveat, ut quamquam ſpiritus ſuæ reſtitutus eſt mediocritati, breve intra tempus, ut horulæ, ſi placet, nihilominus fervor ebullitioque ſeroſi humoris duret, itaque in eo ebulliente febris hærens ſervet conſtitutionem legitimam.

Quod confirmant, 1. Conditio caloris.

Primum igitur *argumentum* à *caloris*, in quo eſſentia febris conſiſtit, *conditione* repeto. [a] *Galeni* decreto & conſenſu omnium Medicorum *calor in febre diariâ vel primo contactu vel ſtatim ſuavis eſt & blandus;* quæ caloris certè lenitas ſuavitaſque ſubjecti halituoſi & vaporoſi, aquei, inquam, & minime ignei certum eſt argumentum: nam calor igneus mordet, pungitque, & erodit. Quia ergo ſpiritus

[a] 1. de diariis febr. cap. 7.

tus inflammatus, hoc eſt, igneſcens fumum emittit acrem & pungentem, miniméque blandum & ſuavem: aqua autem contrà ebulliens non niſi mitem & levem ſaltem mulcebrem cum tempore, & ſtatim atque fervor ejus ſummus remiſerit, ſanè calor in diariâ ſuavis fervorem potiùs humoris aquei mediocrem quàm ignitionem ſpiritus demonſtrat.

2. Signa ab actionibus læſis petita. *Secundò* idem inſinuant *ſigna ab actionibus læſis petita*, & inprimis è pulſu: nam in diariis α *Galeni* obſervatione *pulſus in magnitudinem, celeritatem, & crebritatem mutatur alioqui exquiſitè ſervans naturalem æqualitatem & mollitiem cum ordine, niſi quod crebritas in pulſu à proportione deficit ſecundùm quietem externam, quæ diuturnior evadit, unde pulſus rarior, & interna quies brevior, ipſaque ſyſtole nullo modo in celeritate mutatur.* Nimirum cùm ſeroſus humor ſit corpus homogeneum & tenue atque ſimpliciſſimum æqualiter fervet, atque ejus fervore cor non niſi mediocriter incaleſcit, ac ſine ſpirituum notabili exhauſtu; ex quo pulſus augetur ſecundùm magnitudinem, celeritatem, ac crebritatem ſed modicè, & æqualiter, atque ordinatè. Si namque contrà ſpiritum vel per unum diem naturalem igneſcere ſtatuamus non levem ejus jacturam ſequi neceſſe erit, unaque vires inſigniter collabaſcere: itaque cum ſpiritus inflammatione magnitudinem pulſus & celeritatem conſiſtere omnino improbabile, mollities autem in pulſu organi ſanè mollis eſt index, qualis eſt arteria aquâ plurimâ ebulliente turgens.

Jam certum eſt ab aquâ vapores duntaxat aqueos excitari, à ſpiritu igneſcente contrà calidos, ſiccos & fuliginoſos, cujus rei indicia ſunt tum thorax hiſpidus intemperiei cordis calidioris, ſpirituſque ignei index (nam fuligo pilorum materia) tum lingua, univerſumque os fuligine multâ ex ſanguine & ſpiritu in corde accenſo exſpirante atra. Quia igitur crebritas pulſus in diariis deficit ſecundùm quietem exteriorem, ut pulſus ſit rarior, ſyſtoleque nullo modo in celeritate mutetur, itaque nulla neceſſitas eſt

α 3. de præſ. ex pulſ.

eſt contractionis in pulſu majoris ſeu celerioris, ſed ſola febrilis caliditas temperari debet, hinc conjicere eſt in diariis ſpiritum vitalem minimè igneſcere, ſed potiùs alium humorem ex quo vapores aquei, non autem fuligines excitentur.

Quod confirmat inſpiratio quoque major, & celerior exſpiratione in diariis, quia ſcilicet in his fuligo nulla ſuccreſcit à ſeri ebullitione.

Nulla porro *ex numero malignorum ſymptomatum ab Hippocrate in prognoſticis commemoratorum aſſidere & ſupervenire diariis ſi non proprium eſt, inſeparabile certè ſignum eſt* annotatione α *Galeni*; atqui hoc ſanè evincit diarias minimè in ſpiritu vitali igneſcente hæreſcere, ſed in aliquo alio humore à naturâ benigno, & cujus aliàs jactura aut corruptela minimè perniciem aut noxiam inſignem adferre naturæ poteſt. Nam ſpiritus inflammatio diem naturalem adæquare (ſi modò tam diu etiam igneſcens vigere & durare poteſt, quod apud me omnino eſt ex genere τῶν ἀδυνάτων) diem, inquam, naturalem adæquare non poteſt citra omnimodam reſolutionem & exhauſtum, itaque ſummam virium jacturam conſequentem, indeque ſyncopem, aut certè lipothymiam, atque omnium functionum abolitionem, ut ex ſe ſatis notum eſt. At verò humor ſeroſus ſimplex & benigus nullam naturæ ingratam qualitatem & alienam valdè, nullamque moleſtiam inferre poteſt; neque notabilem offenſam functionum importare, aut habitum corporis à naturali ſtatu in non naturalem immutare, niſi fortè ſenſus devincire ad tempus fatendum: nam in his febribus mediocris alioqui eſt ejus fervor ut metuendum non ſit à conferto, ejus ad caput, aut aliorſum raptu, & à gravioribus proinde ſymptomatis conſequentibus, cùm præſertim præpropere reſolvi ſit pronus. 3. Symptomata benigna.

Jam verò *urinæ benè coloratæ, omninoque urinis ſanorum ſimiles ſunt inſeparabile ephemerarum ſignum*, β *Gal.* obſervatione. Sed enim experientiâ teſte ejuſmodi ſanè urinæ familiares quoque ſunt omnibus morbis à pleonexiâ ſeroſâ excita- 4. Urinæ benè coloratæ.

α 2. de Criſib. Cap. 3. β Ibid.

citatis, cùm contrà veroſimile ſit in phlogoſi ſpirituum urinas fulgorem quendam ac veluti flammam præ ſe ferre etſi nihil alieni deponant.

5. Solutionis modus. Ad hæc *ſolutionis diariarum febrium modus* demonſtrat evidenter veritatem noſtræ propoſitionis. Eſt enim omnino neceſſarium febrem ei inhærere materiæ ceu ſubjecto, cujus quomodocunque factam vacuationem ſeu receſſum ſemper ſequitur febris ipſius ſolutio: atqui *declinationi acceſſionis cum ſudore, aut rore, aut cum aliquo vapore proprium utique & inſeparabile ſignum eſt diariarum* [a] *Galeni* obſervatione & experientiæ fide. Quia igitur aqua fervens neceſſariò in vaporem abit magis aut minùs ſenſilem, ſed aqueum tamen, hoc eſt, in aquam rurſum facilè mutabilem & concreſcibilem, uti eſt ſudor; ſpiritus autem contrà inflammatus vel inſenſiliter reſolvitur, vel in vaporem ſiccum & fuliginoſum, ſed illud potiùs utpote cùm ſit ſimplex & aëreo prorſus ingenio: in aqueum autem vaporem idem non niſi congelaſcens, atque à frigore condenſatus abire poteſt, diaria profectò febris in aqueo humore, non in ſpiritu hæret.

Quid quòd febris diaria deſinit in ἀπυρεξίαν perfectam, & ubi declinaverit ſub finem diei naturalis, nulla ſuperſtitis empyreumatis indicia relinquit, in quo à cæteris febribus in ſanguine focum habentibus prorſus differt, tametſi convenit in iis quæ in eodem ſeroſo humore hærent, ut hoc non ſit proprium diariarum ſignum, ſed inſeparabile tamen, an non veritas noſtræ propoſitionis inde lumen capit? nam quia aqua incaleſcens ſuâ ſponte ad ingenium redit ſi calefaciens cauſa removeatur, calor ab eâ toti communicatus facilè & ſubitò per ejus reſolutionem remittitur evaneſcitque ex ſe penitus cùm non ita facilè calor igneus à ſpiritu inflammato inuſtus lenteſcere poſſit.

6. Cauſæ omnes procatarcticæ & evidentes: *Poſtremò* videamus argumenta ex *cauſis diariarum* repetita, quale nam ſubjectum demonſtrent ſpiritum ſcilicet incenſum, an ſeroſam pleonexiam ebullientem. Equidem *cauſæ diariæ omnes ſunt procatarcticæ & evidentes, unum ſci-*

[a] Lib. 1. de febr.

Scilicet hoc eſt præcipuum annotatione α *Galeni, febrium ephemerarum indicium ab aliquâ incipere cauſâ evidenti ac manifeſtâ, quæ antè præceſſerit, etſi non eſt proprium.* Atqui cauſæ illæ omnes evidentes tametſi variæ & multiplices calefaciunt tamen præter naturam per unum ex quatuor hiſce modis à β *Galeno* adductis, ſcilicet *vel per medium motum ſive animi ſive corporis, vel rei calidæ externæ viciniam & adhæſum, vel alicujus ſubſtantiæ pariter calidæ permixtionem, vel denique exſpirationis calidæ cohibitionem & collectionem:* nam putredo quintus aliàs modus, putredo, inquam, concepta intus utpote latens obſcuraque è cauſarum procatarcticarum cenſu excluditur.

Motus ergo & inprimis animæ ſive ad intra, ut in timore & in ſyncope ex Avicenna, ſive ad extra, ut in gaudio, curis, & vigiliis, ſive mixtus, ut in irâ & triſtitiâ, ſive indifferens, ut in dolore, pariterque motus corporis immoderati tametſi evidenter neceſſarióque ſpiritus exagitant, perturbant, atque quodammodo inflammant, tamen quia una quoque ſanguinem variè commovent, impelluntque, utique eundem certè calefaciunt, aut ſaltem per medium ſpiritus vitalis inflammati calorem quandam in ipſo ſanguine ejuſque ſeroſâ parte vehementiùs commotâ ebullitionem excitant. Sed enim quoniam perturbatione animæ compoſitâ motus ſpiritus illico conquieſcit, & ad ingenium redit, itaque calor in eo per ſe remittitur, niſi ſpiritus ipſe per ſe evaneſcit, aut abſumitur potiùs in ſubſtantiæ ſpirituoſæ continentem reparationem, ſpiritus autem qui deinceps generatur (nam continens fit ſpiritus reparatio exhauſtui perenni reſpondens) is ſedatá jam animæ paſſione temperatus ac tepidus miniméque ut antè fervidus ſubſtituitur, hinc ſanè efficitur febrem, quæ ſuccedit animæ perturbationi, & eâ tamen ſedatâ viget nihilominus etiam diem naturalem, minimè quidem in inflammato inhæreſcere ſpiritu cùm is qui ſufficitur jam non ut antè ferveat, ſed mediocritatem naturalem habeat, verùm in aliquâ aliâ ſubſtantiâ quæ qui-

E quorum numero ſunt: α. Motus tam animi quàm corporis.

Ooo dem

α 2. de criſ. c. 13.
β L. 1. de diff. feb. & de cauſſ. morb.

dem fervefacta à ſpiritu antè accenſo, nec una cum ſpiritu abſumpta retineat ultra alienum calorem ſcilicet per diem naturalem; qualis certè materia cùm nulla alia ſit præter ſanguinem, & hujus duæ ſint partes maximè diſſimiles, aquoſam tamen partem eſſe potius quàm craſſam & fibroſam hinc certè intelligere eſt quòd cùm utraque ſemper caleat actu à commercio ſpirituum, aquoſa tamen propter tenuem ſubſtantiæ modum faciliùs citiúſque præ fibroſâ alienum concipit à ſpiritus ignitione calorem & conceptum deponit, hoc eſt, diem intra naturalem, & priſtinam recuperat temperiem.

Equidem ultrò fateor ſpirituum incenſionem per animæ perturbationes eſſe frequentiſſimam cauſam diariæ, indeque occaſionem dediſſe medicis ejus focum ſtatuendi in accenſo ſpiritu; verùm eam ſpiritus inflammationem eſſe cauſam remotam & incentivum duntaxat ebullitionis aqueæ in ſanguine partis, quæ ebullitio quamdiu durat, tam diu alieno corpus laceſſitur calore, arctè teneo, accuratéque defendo. Nam præter motus animæ vehementes quoque *corporis labores, immoderatæque vacuationes, & laſſitudo conſequens, ac dolor, imò ſyncope, ſed & inſolatio, ignis, medicamenta calida* experientiæ fide febrem diariam inducunt quidem, non ſolùm quòd ſpiritus variâ agitatione inflammant, ſed etiam quòd mediante ſpiritu accenſo ſanguinem, unáque partem ejus aqueam ad fervorem impellunt, niſi potius ſimul & ſemel ſpiritus unáque ſanguinem calefacere dicendum eſt.

Et ſanè cùm eædem cauſæ intereà dum ſpiritus inflammant ſimitu eoſdem reſolvant atterantque aut vacuent, calor perſeverans & in habitu, in quo febris hyparxis conſiſtit, ſuſcitatus v. g. à calore momentaneo ſpirituum, habet certè ſubjectum non ſubſtantiam illam ſpirituum quæ evanuerit, aut certè tantâ laborat penuriâ, ut ei calor diurnæ durationis tribui non debeat, ſed potiùs aliquod aliud ſubjectum quod vel unà cum ſpiritu calefactum ab eiſdem cauſis ebullierit, vel certè immediatè à ſpiritu alteratum calorem firmiter retinuerit. Et confirmatur quòd cùm

cùm ſyncope accenſeatur cauſis diariæ, in eaminimè ſpiritus, qui poſteaquam ad ſe æger redierit de novo generantur, incendium concepiſſe dici poſſunt & febremfovere; atque ſubjecti ejus vicem gerere.

Jam verò *ex cauſis quæ calidæ rei externæ adhæſu mediante, aut rei calidæ permixtione febrem diariam inferunt, ut inter externas ſol, ignis*[1], *medicamenta calida, cibi acres, vinum, fames, ſitis, inanitio, & inter internas bilioſa cacochymia*, hæ profectò cauſæ omnes, quia etſi ſpiritus agitant, unà quoque vel etiam priùs ſanguinem & ſeroſam ejus partem fervefaciunt, non magis ſpiritum quàm aqueam in ſanguinis maſſâ portionem diariarum febrium ſubjectum eſſe convincunt. β. Rei calidæ externæ adhæſio & vicinia. γ. Calidæ ſubſtantiæ permixtio.

Quæ denique ad *effluxus calidi retentionem* cauſæ referuntur, *ut cutis frigiditas, adſtrictio, obſtructio, aut ariditas*, quoniam effluxus ille eſt vapor vel aqueus, vel terrenus ſeu fuliginoſus; atque quæ diariam inducunt fuliginoſi retentione vaporis, illa pariter aquam in ſanguine atque ſpiritus ad fervorem impellunt, neutri certè opinioni ſed utrique ex æquo favent: quæ porrò aquei vaporis cohibitione, omnino noſtram ſtabiliunt ſententiam, cùm aquea colluvies redundans neque de more exſpirans & præ copiâ minimè ventilatâ ad alienum calorem concipiendum proclivior ſit, quàm ſi liberè moveretur. δ. Expirationis calidæ cohibitio & retentio.

Et vitium capiunt ni moveantur aquæ.

Præterea mirificè noſtram confirmat ſententiam *contemplatio conſtitutionis febris diariæ*. Nam experimentis conſtat ſeroſam ſanguinis partem fervefieri & fervefactam retinere alienum calorem circiter ſpatium vel unius diei, ut conſtat ex orthopnœâ, quæ hydropem thoracis ſequitur, ut antè demonſtravimus: illa enim fervorem ſeroſi ſanguinis circa primum ſomnum conſequens eumque abrumpens, nec niſi duodecim poſt horas remittens ſatis declarat conſtantiam ſeri in retinendo fervore circiter ſpatium diei naturalis. Quod comprobavi quoque in aquâ ſemicupii: nam cùm ſub veſperam incaluiſſet & egelidæ commixta fuiſſet, ſequenti die poſt quatuordecim à fervore horas adhuc eam 7. Contemplatio conſtitutionis febris diariæ.

retinere alieni caloris aliquid obſervavi, cùm ab ambientis alteratione munita contecto vaſe fuiſſet.

8. Eæ febriculæ ephemeræ, quæ hemicraniam, vertigines, & ſimiles affectus comitantur.

Poſtremò hoc dogma illuſtrant *eæ febriculæ ephemeræ, certè paucorum dierum, quæ hemicraniam ac vertigines ſimileſve affectus comitantur, quæve præcedunt eryſipelata.* Nam antè demonſtratum, hujuſcemodi affectus contingere, vel ſero jam diu ſtagnante in capite deſubitò commoto atque ebulliente, vel ex toto repentè ad caput rapto & aut membranas violenter impetente, unde dolor, aut ſpiritus animales horſum vorſum agitante, unde vertigo; cùm porrò fervorem præcipuè & frequenter induci quidem ab aëriâ aliquâ tempeſtate: eam autem ebullitionem diem intra naturalem ferè terminari brevitas affectuum die naturali circumſcripta ſatis inſinuat. Cujus etiam durationis indicium eſt duratio æqualis commotionis, quæ eſt in aëre, quam uno die terminari experientia docet: nam ab animalibus effuſæ querimoniæ hujuſmodi perturbationum aëris indices & præſagæ ſeu divinatrices ferè unum diem antequam ingruant exaudiri conſuevere experientiæ fide.

Atque quæ eryſipelata præcedunt aut eis aſſident.

Jam verò *quæ febriculæ aſſident aut etiam præcedunt eryſipelata*, ea pariter in ſeroſo humore præcipuè conſiſtunt, eoque bilis vel etiam ſanguinis ichore tincto & in vaſis modò majoribus & ſuperioribus, modò deſcendentibus ebulliente, unde eryſipelata vel faciem, vel crura potiſſimùm obſident: nam ebullitionem febriculæ horrorem quandoque levem conſequens, & ſitis arguunt; ſed ſeroſi humoris febriculæ ſubjecti atque tumoris cauſæ materialis indicia ſunt cùm vomitus aqueus ferè & nonnihil bilioſus, tùm mollities mediocritaſque tumoris conſequentis, & ſubſidentia ſive evaneſcentia brevis citra ſuppuratum, vel ſcirrhum; tumorem enim ſuboleſcere à decubitu humoris morbifici ſive febriferi veroſimile eſt. Denique bilioſi aut ſanguinei ichoris ſero affuſi index color flavus aut rubeus etiamnum poſt tumoris evaneſcentiam aliquamdiu in parte ſuperſtes (ſerum enim breviùs faciliúſque reſolvitur) ſed & ſenſus pruritus. Atqui quoniam experientiâ teſte febricula, dolorque, & fluxio cum eryſipelate conjuncta unum diem

ter-

terminum habent (niſi fortè pleonexia ſeroſa tanta ſit, ut poſtquam efferbuerit novum deinceps fervorem reſumat periodicè, & paucos intra dies v. g. quatuor conſequentem ſcilicet perturbationem aëris quarto quoque die reciprocantem) conjicere eſt certè febres, quarum fervor unius diei naturalis eſt, in humore aqueo hærere, qui ſcilicet fervorem à cauſis externis impreſſum unius diei naturalis ſpatio retinere ſolet, cùm præſertim cauſa externa commovens id tempus in perturbando aëre ſervare ſoleat.

Et verò etiam experientia docet ab aliis cauſis quàm ab ambiente ſeroſum humorem conceptum fervorem tamdiu etiam retinere: nam in eryſipelate ab iracundiâ excitato quanquam ceſſante illâ & animâ tranquillitati ſuæ reſtitutâ nihilominus dolor fluxioque vigent in eryſipelate circiter unum diem.

Concludamus itaque diarias febres ſive propriè dictas & ſolitarias, ſive impropriè dictas quæ ſcilicet à fluxione aut dolore excitantur, vel certè cum dolore ſunt conjunctæ, ut quæ hemicraniæ, vertigini, aut eryſipelati aſſident, & ſi quæ ſunt aliæ ejus generis, quanquam plurimæ latent & propter brevitatem aut parvitatem ab ægrotis ſuſque deque feruntur & citra querimoniam, atque pariter etiam medicos fallunt, in uno aquoſo humore calefacto præter naturam atque ebulliente ſive ichoribus bilioſis permixto tanquam proprio & adæquato ſive totali ſubjecto inhærere. Dictorum concluſio.

Agedum autem *in genere febrium, quæ humorales dicuntur*, inprimis occurrunt *ſynochi ſive continentes & præſertim quæ imputres dicuntur* quæ mediæ ſunt inter diarias & putridas, ſi non potiùs ad ephemeras referri debent, utpote quarum eſſentiales conditiones ſunt eædem atque ephemerarum, & in hoc uno differunt ab his ex communi medicorum ſententiâ quòd non in ſpiritu tantùm ſed in ſanguinis maſſâ ſimul hærent, à cujus fervore fovetur & prorogatur ſpiritus inflammatio. Verùm ut ingenuè quod ſentio dicam, *continentes certè febres, quæ nullis periodicis exacerbationibus, aut remiſſionibus diſtinguuntur, ſed æqualitatem in continuitate ſervant, tametſi calor in iis vel ſervet eundem tonum*

II. Statuitur, febres ſynochas continentes imputres ſive ephemeras plurium dierum, idem ſubjectum cum veris ephemeris habere, ſcil. ſeroſum humo-

 tonum

rem in vaſis ebullientem, ſed magis redundantem, & vehementiùs ferventem.

tonum toto morbi progreſſu, vel æqualiter increſcat & intendatur, aut contrà æqualiter decreſcat eundo, continentes, inquam, ſive ephemeræ plurium dierum idem ſubjectum cum veris ephemeris habent ſeroſum humorem in vaſis ebullientem, ſed magis redundantem & vehementiùs ferventem, itaque reliquam ſanguinis maſſam ſibi confuſam magis & pertinaciùs calefacientem ſimulque totum corporis habitum.

Quod comprobant: 1. Signa petita à cauſis,

Cujus doctrinæ argumenta peti poſſunt tum *è ſignis omnis generis, & motu caloris, tum verò ſolutionis ſpecie.* Etenim ſi *ſigna è cauſis petita* intueri placet, cauſæ certè ſynochi imputris eædem ſunt quæ diariæ, ſed actuoſiores ſive efficaciores, ut v. g. denſitas inſignis cutis, quam pariat obſtructio pororum quâ vehementer impacti ſint humores, & inferat plethora vel etiam polyſarcia, & verò omnes cauſæ ſeroſæ pleonexiæ ſive generantes ut victus plenior, & humidior, atque calida admodum viſcerum intemperies, ſive colligentes, ut longa conſueti exercitii intermiſſio, aut ſuppreſſio vacuationis ſolennis. Nam ab his cauſis aqueus humor ſuppreſſus ideoque redundans eſt ſubjectum febris, ſed effluxus calidus ſiccus eſt principium & occaſio fervoris in aqueo præter cæteras cauſas externas & evidentes, de quibus in ephemerâ.

Motu caloris,

Jam verò in ſynocho *calor* ſimiliter atque in diariis blandus & minimè mordens ſed major tamen & paulò vehementior, pulſus pariter magni, celeres, crebri ac vehementes, ſed pleni tamen & molles, ſimiliterque reſpiratio pulſui reſpondens etſi videntur indifferentia ſigna, & non fortè expreſſiùs ſeroſum humorem quàm ſanguinem incaleſcere convincunt, tamen typus & motus caloris, urinæ atque cætera aſſidentia ſigna ſeroſi humoris potiùs quàm ſanguinis ipſius fervori atteſtantur.

Nam ſeroſus humor tenuis ex ſe jam actu incaleſcens longè faciliùs & citiùs ſummum fervorem ſubito & brevi tempore concipere quàm ſanguinis venoſi maſſa ex ſe craſſa & frigida poteſt, qualis fervor in febribus ſynochis & paracmaſticis cernitur, in quibus calor ſtatim ſummum vigorem attingit; ſimiliterque ſerum conceptum fervorem citiùs

tiùs deponere poteſt & perfectiùs, ut evenit in epacmaſticis ſynochis & homotonis, cùm ſanguis contrà calorem in habitu præſertim non facilè poſſit & integrè deponere citraque ſui corruptionem, qui tamen calor in habitu in cauſâ continente & ſubjecto ineſt revera, ut antè demonſtratum à nobis.

Urinæ autem in ſynochis conſiſtentiâ & colore ſanorum urinis ſimiles ſanè ebullitionem ſeri citra ſanguinis putredinem inſinuant: nam hæc abſque ſeparatione ichorum, à quibus aſperſis ſerum alieno ſuffunditur colore, hoc eſt, congenere ichori permixto fieri nequit; quia enim neque fuſura neque ſedimentum in urinâ ſanguinis ichorem oſtendit ſibi affuſum, certè putredinem in ſanguine minimè indicant hujuſmodi urinæ, proindeque in ſanguine calorem habitualem ineſſe minimè ſignificant. Excretis,

Laſſitudo autem generalis, ut & inquietudo corporis, etſi quæ alia plethoræ indicia aſſident his febribus, non magis plethoram maſſæ ſanguineæ arguunt quàm plenitudinem unius ſeroſi humoris, ut ſatis intelligere eſt quòd hæc ſolvitur laſſitudo ſpontè & paucos intra dies unà cum morbo ſive ſenſim ſine ſenſu idque per reſolutionem, aut cum ſpectabili & continuo madore totius corporis, ſive ſubito ſudore largiùs dimanante è toto corpore, nam laſſitudinem ab unius aquei humoris ſuâ copiâ corpus aggravantis fieri poſſe intelligere eſt ex eo, quòd Auſtro flante, & in conſtitutionibus aëris humidis & pluvioſis corpora inſolitam gravitatem perſentiunt, à quâ liberantur Aquilone flante & ſereno cœlo; quo tempore minimè ſeroſi humores colliguntur & contrahuntur ab ambientis contactu, ſed potiùs exprimuntur è corpore. Et actionibus læſis,

Adhæc *gravitas capitis & impotentia vigilandi, inclinatioque ad cataphoram, aut potiùs ſomnus profundus & veternoſus, ſed tamen οὐ διέγερτος & paucorum dierum*, indicat non tam ſanguinis ipſius metaſtaſin quàm aquei humoris in commune ſenſorium raptum ſive aſcenſum, certè effumationem plurimam vaporum frigidorum humidorum, qui non niſi ex aquoſo humore excitari & attolli poſſunt: itaque omnia ſigna favent noſtro dogmati. ut & Symptomatis.

Quod

2. Solutionis modus.

Quod demùm confirmat *ſolutionis modus:* nam citra vacuationem inſignem & aſpectabilem, aut certè per ſudorem, vel ſomnum ſolvuntur hujuſmodi febres. Quis enim alius à ſeroſo humore ſive ſenſim ſive ſubito reſolvi, aut certè ſub aquæ formâ exire poteſt?

III. Statuitur: Febres continuas ſeu ſynochos putres, etſi in ſanguine hærent; ſeroſum tamen humorem pro partiali ſubjecto agnoſcere.

Jam verò quoniam ex numero *febrium continuarum ſynochi putres ferè ſuccedunt imputribus*, de quibus antè, & ambarum cauſæ ſunt eædem, ſed illarum majores tamen, aſtrictio ſcilicet inſignis admodùm, conſtipatioque & obſtructio ſive pororum totius cutis, ſive finium & extremitatum vaſorum à multis, craſſis, lentiſque humoribus vehementer impactis eaque prohibens effluvium tam aqueum quàm fuliginoſum, *conjicere eſt profectò ſynochum putrem ita in ſanguine inhærere, ut ſeroſa in eo pars ebulliens maximè ac putreſcens ſubjecti præcipui quandoque vicem gerat, reliquâ autem ejuſdem ſanguinis ſubſtantia putredinem quidem contraxerit aliquam, ſed non admodum progreſſam & emendabilem; itaque ſubjecti quoque partialis ſed minùs præcipui locum teneat: tametſi quandoque contrarium contingat.*

Quod adſtruunt 1. Caloris modus.

Quod effatum ſanè confirmat *caliditas*, [a] *Galeni* obſervatione *manui tangenti ſeſe offerens plurima quidem, ſed illa tamen mitis & vaporoſa, omninoque ſimilis ei calori, qui in balneo contrahitur*, ideoque minùs moleſta quàm quæ in cæteris putridis febribus percipitur, qui calor vaporoſus indicat planè ſubjecti febrilis plurimum exhalare inque halitum digeri: quod à ſeroſo nullum aliud eſſe poteſt, ſiquidem vaporis humidi materia ex quâ præter aquam nulla eſt alia.

2. Urinæ copioſæ & tenues.

Adhæc *urinæ copioſæ, tenues, & aquæ inſtar perſpicuæ*, omninóque urinis ſanorum ſimiles, primæ ſaltem morbi invaſioni familiares, & ſingulis exacerbationibus ſynochorum febrium, ſed productarum etiam ad quadrageſimum diem obſcurè licet quaternarios aut ſeptenarios factis & motibus lunæ reſpondentibus, evidenter inſinuant ſeroſam in ſanguine partem ante reliquam ſanguinis maſſam & præcipuè ferveſcere: nam urinæ copia aſſumpto potu longè ma-

[a] 2. de diff. febr.

major oſtendit inprimis ſeroſum in ſanguine humorem ebullire, perſpicuitas autem ſive tenuitas adjuncta pariter eundem humorem ante reliquum ſanguinem ſaltem unum diem ebullire, cùm craſſities & ſedimentum rubrum ſeparationis ichoroſæ in ſanguine partis à fibroſâ, ſive putredinis indices & ſecundo duntaxat die aut tardiùs conſpicua longè poſt ſanguinem computreſcere arguant.

Denique confirmat *ſolutio* hujuſmodi febrium per ſudorem facta, imò adlevamentum ſive remiſſio earundem perennem ſudorem jam à principio morbi conſequens. 3. Solutio.

OBS. CLII. *Memini equidem, ut taceam ſynochum criticè indicatam ſudore liberali tum* 17. *die morbi ab urinâ è turbidâ ſubito clarâ tenuique redditâ indicato in Illuſtri Matronâ D. de Viange;* De ſolutione febr. putrid. contin.

OBS. CLIII. *Tum die ſeptimo à vehementi rigore indicato in multis & nominatim in Ambroſio quodam milite Prætoriano,* Præced. ſimil.

OBS. CLIV. *Memini, inquam, Illuſtriſſimam Virginem, de quâ mentio à nobis facta in conſilio de Epilepſiâ, ante viginti annos verno tempore pluvioſo & ſimul ab Euro præter ordinem perflato febre ſynocho laboraſſe ſed inſignitâ perenni propè ſudore: nam veſperi & mane corpus univerſum largis diffluebat ſudoribus per pluſculas horas, quibus imminuentibus unà quoque & febris evidentem imminutionem capiebat, ut decimo quarto die prorſus extincta fuerit.* Præced. ſimil.

OBS. CLV. *Hoc anno ineunte Nobiliſſima Franciſca de Sainct-Ignon, uxor Generoſi & Piiſſimi Viri Nicolai de Rarecourt, in ſynochum incidit jam quinquagenaria: ſeptimo die a ſudore largo febris admodum elanguit, ſed is ſudor licet modico potu utenti Menſem Februarium integrum magnamque Martii partem totas noctes profuſiſſimè diffluxit, quanquam lingua nigra atque urina turbida cum ſedimento rubro febrem nihilominus deliteſcere toto eo tempore ſatis arguerent.* Præced. ſimil.

Enim verò quæ *continentes febres ſpeciatim in arterioſo ſanguine inflammato ſive uſtulato* (uſtionis enim is magis capax quàm putredinis veræ) *focum habere videntur, atque ſplenicis maximè ſunt familiares, earum ſane ſubjectum meâ ſen-* Porro ſpeciatim aſſeritur: Continentium febrium in arterioſo

ſanguine inflammato focum habentium ſubjectum potiori jure, quàm aliarum in aquoſâ ſanguinis parte conſiſtere.

ſententiâ potiori jure quàm aliarum in aquoſâ ejuſdem ſanguinis parte conſtituendum eſſe ex ſequentibus intelligere eſt. Nam inprimis ſanguis arterioſus longe copioſiori ſero ex anatomiâ affuſus conſpicitur: urinæ præterea toto morbi decurſu urinis ſanorum ſimiles, ut in *Illuſtri arthritico* obſervatum à nobis, etſi quando in iis aliquid ſedimenti deponitur, illud tantum per ſeptenarios, & uno duntaxat die ſeſe conſpiciendum exhibet idque perexiguum, ut obſervatum in *Nobili cive Pontano Claudio Charbonier;* rarum quippe in his febribus ſedimentum, quòd ſanguis potius comburitur verè & uſtulatur, quàm computreſcit ſeroſo humori.

Conjecturam autem adjuvant ſymptomata omnia quæ utrique generi ſynochorum putrium ſed potiſſimùm in arterioſo ſanguine conſiſtentium aſſidere ſolent & inprimis varii dolores externum præſertim habitum & in eo præcipuè articulos obſidentes. Demonſtratum enim à nobis paulò antè dolores harum febrium comites modò thoracem, modò artus aut ſpatia inter articulos media, aut potiſſimùm ipſos articulos maximè infeſtantes ſeroſi humoris in vaſis & præcipuè arteriis ebullientis efferveſcentiam ſequi inſignem ac veluti exundationem quandam in eas partes, in quibus vaſorum extremitates ſiſtuntur, quòd is humor hâc de cauſâ ulteriùs progredi non potens cohibeatur aggeraturque prædictis in partibus, diuturnoque depluvio continuitatem earum tandem ſolvat & præſertim membranoſi generis acerrimo ſcilicet ſenſu à naturâ prædití. *Veroſimile enim eſt aut potiùs neceſſarium, febris atque graviſſimorum ſymptomatum tum incurſantium continentem cauſam unum & eundem ſtatuere humorem, eum quippe qui clariora ſui fervoris exhibet indicia, ut quoniam certiſſimis argumentis conſtat, hujuſmodi dolorum cauſam eſſe ſeroſi humoris continuatam & propè perennem effervescentiam, eundem meritò humorem febris quoque eſſe ſubjectum affirmare debeamus præcipuum.*

Itaque continentes & productæ febres, quæ æquabilem quamdam continuitatem ſervant nec exacerbationis quotidianæ, tertia-

tianæ, aut quartanæ typum præ ſe ferunt, tametſi obſcuros motus quadris lunæ imperium in humores aqueos obtinentis reſpondentes ſervare videntur, & alioqui varios dolores comites habent, in ſeroſo humore ebulliente ceu ſubjecto hærent.

In hoc autem cenſu collocandas quoque crediderim non temerè *eas febres, quæ dejectiones aqueas bilioſas familiares habent, non ſolùm principio morbi ſed toto decurſu cum utilitate alias & tolerantiâ fluentes*, quarum obſervationes pluſculæ antè ſunt à nobis annotatæ, & ſimul inſinuatum eas pleonexiæ ſeroſæ eſſe effectus, quæ nimirum ebulliens in vaſis & potiſſimùm in arteriis introrſumque rapta per viſcera ſibi viam parat in communem omnium excrementorum ſentinam. Equidem cùm citra eroſionis vaſorum, & apertionis ſenſum, atque cruoris affuſionem fiant, facilè autem perferantur, minimè certè fiunt motu ſeu pulſu naturæ aliquâ infeſtâ qualitate irritatæ: ſed & quia aqua ex ſe ſimpliciter gravis nequaquam eſt præſertim fervefacta, ſanè minimè naturam plenitudine & copiâ irritare probabile eſt. Ex quo relinquitur, eas dejectiones non tam eſſe opera naturæ, quàm ſymptomaticas, factaſque impetu & orgaſmo humoris ſeroſi propter fervorem propriis in ſedibus conſiſtere nequeuntis, ſed hac illac diffluentis, hoc eſt, quaquaverſum deſpumantis, tam extrorſum ſcilicet in varias externi habitus, regiones, quàm introrſum, in alvum ceu ſentinam communem.

In hoc cenſu quoque collocandæ ſunt eæ febres, quæ dejectiones aqueas bilioſas familiares habent.

Quæ dejectiones non tam ſunt naturales quàm ſymptomaticæ, ab impetu ſeroſi humoris excitatæ:

Nam & dolores antè memorati & dejectiones ὑδατόχλωρα coincidere poſſunt eâdem in febre continente primò, ſed quæ tandem relinquat in aliquo viſcerum tumorem ſive duritiem, à reſtitante ichore craſſiuſculo ſero præterfluenti immixto, anguſtias ſcilicet vaſorum non potente evadere. *Eſt autem notandum, hujuſmodi dejectiones potiſſimùm evenire ſeorſim à doloribus prædictis, vel etiam ſimul cum iiſdem, quoties ſeroſus humor ebulliens ab habitu externo introrſum quâcunque ratione & præſertim ambientis frigore compellitur.*

Imò verò compulſus introrſum non ſolùm hujuſmodi diarrhœas ſeroſas, ſed longè alia graviora infert mala. Scilicet

Qui intro compulſus, longè alia

ad

graviora mala infert, tam in thorace : quàm in capite.

ad *ventrem medium ſive thoracem* compulſus modò dolores lateris varios ſed ferè fugaces & periodicos, modò ſpirandi difficultatem & præſertim aſthma occupatâ pleurâ aut etiam pulmone vel thorace interno infert : ad *ventrem autem ſummum*, id eſt, *caput* raptus nunc carum, aut lethargum ſimileſque ſoporoſos affectus, ſed minimè ἀδιεγερτοὺς, nunc inſultus epilepticos ſive convulſivos motus vehementes magis aut minùs, vel etiam obſcuros aut parvos excitat ; nunc deliria ſed minimè ferocia tametſi magis & minùs diuturna & contumacia ; nam carum, lethargum, & ejuſmodi ſoporoſos affectus humoris ſeroſi in intimo capite ſtagnantis eſſe effectus in ſuperioribus obſervationibus demonſtravimus : pariterque pluribus argumentis evicimus epileptica ſymptomata & paralyſes doloribus abdominis convulſoriis ſuccedaneas eundem in humorem poſtico in capite ebullientem debere refundi, *& ſpeciatim in hiſtoriis bonorum civium Pontanorum Claudii Charbonier & Cl. Juvenis.* Neque enim dubium eſt apud me epilepticos inſultus vere & autumno recurrentes paſſim copulari cum febre ſynocho quamquam modicâ admodum ideoque obſcurâ.

De delirio autem tametſi antè nulla ejus ſeorſim hiſtoria eſt aut mentio facta niſi in exanthematum ſeu variolarum eâ ſpecie, quæ à ſeroſo humore erumpunt ; tamen certò meminimus delirii ſynocho febri aſſidentis non ſolùm fugacis ſed etiam valdè pertinacis, ejuſque minimè lethalis & evidenter à ſeroſi humoris raptu in caput excitati.

De febre graviſſimâ arthritidem præcurrente, cum delirio & motib. convulſ.

OBS. CLVI. *Novi hic arthriticum Nobilem qui quoties arthritide infeſtatur, toties febris graviſſima præcurrit, cujus epiſemaſiæ recurrentes per ſeptenarios & temporum inſignes mutationes repetentes nonnullis ſed modicis tamen motibus convulſivis, delirioque evidente ſed paucarum horarum ſunt inſignitæ : quæ ſymptomata certum eſt ab eodem humore ebulliente, à quo arthritis febriſque, hoc eſt, ſeroſo foveri ſuſcitarique.*

De Febre ſynoch. cum deli-

OBS. CLVII. *Memini autem me obſervaſſe in Adoleſcente Generoſo Burgundo de Breſſe, ſynocho hybernâ laborante delirium leve quidem ſed menſtruum, idque minimè lethale, quanquam lingua arida atraque, & urinæ perpetuò crudæ, id*

eſt,

eſt, tenues & aqueæ delirii comites adeſſent, imo hæ urinæ perpetuæ toto morbi decurſu, qui ob vehementiam hyemis quinqueneſtris fuit, ſed ſalutaris tamen, ſatis oſtenderunt una cum morbi exitu focum putredinis ſive ebullitionis in uno ſeroſo humore exſtitiſſe præcipuè: tametſi non dubium eſt unà quoque negarim quandoque etiam ipſum ſanguinem quatuor humores complexum computreſcere aut etiam comburi: quæ ſcilicet febres pleonexiâ ſeroſâ ſcatentia corpora invadunt & ejuſdem etiam efferveſcentis effectibus ſymptomatis variis modò enarratis incurſantur. Neque enim deſunt febres quæ in ſanguinis maſſâ putrente aut uſtulatâ ſimul cum ſeroſa parte ebulliente focum habent, cujus generis ſunt eæ, quæ corpora plethorica carnoſaque qualia adoleſcentum infeſtant verno præſertim tempore, atque æſtate, quibus temporibus effluvium aqueum liberum eſt; quibus tamen in febribus probabile eſt ſeroſam colluviem occaſionem putredinis reliquæ maſſæ redundanti occaſionem dediſſe, ut eſt antè pluribus argumentis demonſtratum.

rio menſtruo conjuncta.

Atenim verò idem judicium eſſe de *reliquis febribus putridis ſive continuis ſive intermittentibus*, quod de ſynochis, multa habeo documenta, quæ antequam ſigillatim explicem, ſupponendum *febrium continuarum quidem ſubjectum eſſe ſanguinem cujuſcunque naturæ ſive arterioſum ſive venoſum, pituitoſum ſcilicet ſeu crudum, bilioſum, vel atrabilarem, quicunque occurrit in venis, tam in ſtipitibus cava ſcilicet & porta utraque, necnon ramis ſive ad externum uſque habitum pertinentibus ſive ad partes inferiore ventre concluſas, quàm in radicibus eorundem truncorum diſſeminatis per hepar & lienem;* ſed eâ copiâ aggeſtum & aliàs inculcatum, ut cùm ratione ventilationis prohibitæ à ſuppreſſis fuliginibus incaleſcat & putredinem concipiat aut uſtionem, has affectiones uſque & uſque progredientes in aliam atque aliam materiam ſeu mineram ſibi quippe continuatam & magnâ aggeſtam copiâ, nec niſi plures intra dies facilè reſolubilem aut in cineres mutabilem diutiſſimè retineat.

IV. Statuitur: Febrium putridarum continuarum diverſos focos eſſe.

Febrium autem intermittentium materiam ſupponendum minimè eſſe triplicem illam cacochymiam famoſam, ſiquidem

Ut & intermittentium.

dem bilis, pituita, aut melancholia excrementitii humores ſeorſim haud quaquam reperiuntur eâ copiâ, cum quâ febrem in toto excitent, *ſed potiùs eſſe ſanguinem impurum illum quidem ſive ſemiſanguinem quanquam crudum, temperatum, vel etiam bilioſum, aut atrabilarem, qui in portis hepatis & lienis earumque cum radicibus per duplex viſcus propagatis, tum ramis & propaginibus per meſereum & epiploom glandulaſque varias perreptantibus, tandemque ventriculo & inteſtinis implantatis contentus putreſcat, uraturve, aut ſimpliciter ebulliat: ſed cum eâ conditione, ut quævis alteratio minimè ſit continuata, ſed interpolata quâcunque ratione interrumpatur.* Hæc enim eſt jam pervagata opinio de loco & de foco putredinis intermittentium febrium à *Divino* ſcilicet *Fernelio* primùm meditata, explicataque ab *Excellentiſſimis Viris Ludovico Mercato, & Euſtachio Rudio aliiſque Magnis Viris* luculentiſſimis rationibus, quas hic inculcare piget, ne præter morem meum alienos labores mihi videar vindicare; denique experimentis meis propriis confirmata.

De febre tertianâ intermittente cum tumore hepatis:

OBS. CLVIII. *Nam memini febrem tertianam, quæ tenuit Ampliſſimum præſidem Michaëlem Bouvetum ante quinque annos, focum habuiſſe in hepate, cujus indicium tumor inflammatorius viſceris ei ſuperſtes, qui in ſuppuratum abiit, ut conſtitit ex ſero purulento commixto ſanguinis maſſæ venâ ſectâ conſpicuo, & linguâ ſemper albeſcente vapore ſcilicet purulento tinctâ, quique acceſſu febris quartanæ exacto tandem anno mortem intulit. Ejus in cadavere hepar inſigniter tumefactum & quaſi retorridum, ſed adhuc aſperſum pure repertum fuit; lien autem totus ambuſtus & carbonis inſtar ater.*

Præced. ſimil.

OBS. CLIX. *Recordor etiam Nobilem Adoleſcentem & Religioſum ordinis Benedictini Joannem de Poully, tertianâ laboraſſe gravi admodum & productâ, cujus paroxyſmi circa meridiem à mediocri rigore cùm inciperent, ſudore largo ſequenti die ſolvebantur: febre autem ingraveſcente derepentè & in continuam mutatâ ſubito me abſente brevi ſuffocatus interiit. Diſſecto cadavere hepar immani tumore & jam ſcirrhoſo diſtentum inventum, & vomica pure prægnans in pulmone;*

nam

nam biduo antè peripneumoniâ, ut audio, oppreſſus fuerat.

OBS. CLX. *Porrò non ita pridem hîc exceſſit è vivis Reverendus Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ S. Crucis, cui nomen Baſinus, à tertianâ febre comitatâ magno admodum tumore hepatis eoque duro, nec non abdominis dextri & eo infra etiam umbilicum porrecto confectus. In hujus cadavere, præter hepar ſcirrhoſum & oppidò grande, obſervatæ glandulæ omnes dextri lateris unà cum pancreate tumore ſupra admirationem magno & duro diſtentæ, retorridæque ut lapideas verè diceres. Hic autem ut ex auditu accepi ante tertianam lentâ febre hybernâque detentus propè extabuerat.* Præced. ſimil.

OBS. CLXI. *Recordor denique egregiam & Nobilem domicellam Annam de Gatinois, Uxorem Generoſi Viri Ludovici de La Mothe Domini de Landfraucourt viginti ante annos tertianâ autumnali laboraſſe, quæ in continuam & modicam tamen mutata totam hyemem viguit, ſed inſignita ſæviſſimis ſtomachi doloribus duas treſve horas ſtatim ab aſſumpto cibo juvenculam graviter excernentibus:* De febre tertianâ intermittente in continuam mutatâ.

OBS. CLXII. Veroſimile ſane fuit focum febris cauſamque doloris adeo acerbi in pancreate latuiſſe; *nam hujuſmodi dolores deinceps obſervavi a ſcirrhoſo pancreate graviter premente ventriculum cibo diſtentum excitari, aut potiùs recrudeſcere & exacerbari à compreſſu ventriculi cibo pleni; & nominatim in Reverendo Canonico præfatæ Eccleſiæ Deſiderio de Rupè, qui quatuor ante mortem annos de his doloribus fuit apud me ſemper conqueſtus: id enim conſtitit ſatis ex diſſectione corporis. Cæterùm ingenioſa & prudens domicella à febre iiſque doloribus Junio menſe ſequenti ab uſu aquarum Birckenfeldenſium meo conſilio liberata revaluit, cùm cætera medicamentorum genera ne hilum profuiſſent, ſuccedente ſcilicet diuturno alvi profluvio.* De febr. tert. à ſcirrhoſo pancreate.

His itaque experimentis confirmata fuit apud me graviſſimorum medicorum ſententia, febres intermittentes ſcilicet hærere in ſanguine qualiſcunque occurrit in vaſis ſive viſcerum, ſive glandularum cæterarumque partium abdomine concluſarum, & eas quidem in triplici eſſe differentiâ.

Enim-

Iſtarum febrium intermittentium, Enimverò quoniam in ramis portæ hepaticæ ſanguis craſſus in hepate genitus continetur iſque à mediocritate versùs frigus, aut calorem recedens (nam temperatus prorſus ſanguis niſi præter naturam priùs incaluerit & jam bileſcere cæperit præ uſtione febrem certè fovere nequit) ſunt autem rami unà cum ipſo ſtipite portâ dicto inſignes ſeptem, Aliæ ſunt quotidianæ, *inde in eo ſanguine ceu ſubjecto hærent duplicis generis febres, quotidiana ſcilicet in crudo & pituitoſo, & tertiana in bilioſo* Aliæ tertianæ, *ſive calido, quæ ſeptem circiter vel quatuordecim circuitibus utplurimùm terminantur tandem, circuitibus, inquam, ſive paroxyſmis recurrentibus*, quia ſcilicet ſanguine in uno ex illis ramis deliteſcente ac per putrefactionem incinerato diem intra naturalem circiter utpote pauco ideoque facilè reſolubili ſive combuſtili febris extinguitur, certè fervor ejus prorſus tepeſcit, quæ tamen, quia interea ſanguis qui in proximo vaſe latet incaleſcit contactu & ratione ſanguinis primum paroxyſmum excitantis, itaque ad putredinem apparatum citiùs aut tardiùs concipit, recurrit brevi intra diem unum aut alterum pro naturâ humoris faciliùs citiúſque putredinem imbibentis: nam ſanguis pituitoſus quia humidiſſimus & exiguo aliàs calore à naturâ præditus putredinem bilioſi utpote calidi & ſicci prævertit circiter ſpatium unius diei.

At verò quoniam ſanguis in liene confectus per portam ſplenicam diffunditur reconditurque in longè multò numeroſioribus ramis, gaſtricis ſcilicet, epiploicis, gaſtroepiploicis, & aliis longiùs quàm meſeraica exporrectis, is porro putredini maximè reſiſtit utpote calidus à naturâ & ſiccus Aliæ quartanæ. admodum, *hinc pariter intermittentem quidem febrem ſed quarto quoque die duntaxat recurrentem excitat:* nam humor in uno ex his ramis quia paucus brevi incineratur intermiſſionem facit, ſed quia putredo ad proxima vaſa & communionem habentia non niſi longo tempore propter reſiſtentiam majorem ad eum gradum procedit caloris, qui emicare poſſit & febrim in toto accendere, hinc qui recurrunt deinceps paroxyſmi numeroſi quidem ſunt multitudini vaſorum diverſorum, in quibus ſanguis ſucceſſive putreſcit ſive potiùs

tiùs uritur, reſpondentes, ſed intervallum longum, hoc eſt, plurium dierum habent. Itaque fit producta admodum febris, cujus ſcilicet conſtitutionis terminus eſt ferè motus ſolis, uti motus lunæ ſive integer ſive dimidiatus eſt terminus conſtitutionis reliquarum febrium antè memoratarum annotatione [α] *Hippocratis*, & quotidianæ experientiæ fide; ſed duo minimùm dies intercedunt aut ampliùs puri & à febre vacui inter recurſus paroxyſmorum quartanæ ſeſe conſequentium.

His ergo poſitis fundamentis, quæ aliàs pleniùs uberiúſque Deo dante explicabuntur, redeamus ad inſtitutum, & propoſitionem noſtram in continuis primùm expendamus, ſi priùs coronidis loco addamus unum verbum, *de febribus, quæ ſæpè aut ſuccedunt aut confunduntur cum ſynochis & aliàs frequentiſſimæ ſunt, quæ ſcilicet cauſam continentem habent ſeroſum humorem, qui è capite in pulmonem decubuerit, quæque ideo catarrhales dici poſſunt.* Nam cùm in corporibus plenitudine ſeroſâ laborantibus & aliàs ſynocho detentis in ebullitione ipſâ ſanguinis in vaſis magnis ſerum efferveſcens in caput paſſim efferatur deſpumetque quodammodo, non ſemper illic immorari & cunctari ei contingit, ſed ſtatim excerni rectáque per communes meatus ejus effluxui à naturâ dicatos in partes depluere ſubjectas ac præſertim in pulmonem: atque cùm ſit diuturnus & quaſi perennis aſcenſus ſeri in caput, & defluxus ejuſdem in pulmonem, neceſſe eſt ſenſim aggeſtum collectumque ob cordis viciniam incaleſcere ac lenteſcere craſſeſcereque præſertim ſi in delapſu mucoſa capitis excrementa deterſerit ſibique immiſcuerit, itaque quia magna ejus pars per tenuitatem aut lentorem effugiens naturæ conatum tuſſi excutere conantis hæret in pulmonibus, neceſſe eſt tandem putreſcere atque ſimul aut ſynochum fovere, aut particularem pulmonum febrem inferre, quæ alioqui ſingulis diebus ſub veſperam quandam exacerbationem præ ſe fert, quòd eo tempore depluvio ſeri nocturnum frigus occaſionem det; atque ſine dubio ſeroſum humorem habet pro ſubjecto.

Febrium Catarrhalium deſcriptio.

Qqq *Par-*

[α] In epid. Lib. 6. Aph. 25.

Particulares hujus hiſtorias referre piget quippe quâ nulla frequentior:

De febre Catarrhali.

OBS. CLXIII. *Tantùm moneo me in Fortiſſimo Equite Nicolao Marco de Nouroy Domino de Portſurſeille polyſarco & genii ſui ſatis peramante ſæpe ſæpiùs obſervaſſe hujuſmodi febres, quo tempore ſolvitur acris hyems gratâ vice veris & Favoni, recurrentes.*

Subjectum febrium putridarum cum continuarum plerarumque inadæquatum & partiale eſt eadem ſeroſa perluvies:

Sed age ad inſtitutum pergamus. *Ita enim ſtatuo febrium continuarum plerarumque perluviem ſeroſam eſſe revera ſubjectum ſi non proprium & adæquatum, certè inadæquatum & partiale, una ſcilicet cum ſanguine reliquo cujuſcunque naturæ pituitoſo, bilioſo, ſive atrabilari: porrò computredinis hujuſce ſanguinis eandem perluviem eſſe occaſionem præſentiſſimam:* ſæpè enim in febribus continuis longè vehementior eſt & major fervor ſeroſi humoris quàm reliquæ maſſæ ſanguineæ. Eæ ſcilicet continuæ ſeroſum humorem tanquam præcipuum ſubjectum habent, in quibus *& cauſæ pleonexiæ ſeroſæ ſunt admodùm evidentes & prægreſſæ ſunt maniſeſtè, tum verò ſymptomata febri aſſidentia fervori ſeroſi humoris maximè atteſtantur, quæ denique vacuatione ejuſdem quâcunque ratione factâ ſolvuntur, aut certè adlevamentum capiunt.*

Seu id evincunt 1. Signa ejus evidentia.

Omnino enim neceſſarium eſt illum humorem febris agnoſcere ſubjectum præcipuum, *cujus & redundantiæ, & ebullitionis ſive putredinis clariora extant indicia, cujuſque receſſu morbi vis infringitur penitus, aut ſaltem ex parte.* Ac fervoris indicia maniſeſta ſunt ſanè inprimis dolores & præſertim partium habitus externi, offenſæque in ſenſu interno, vel etiam in motu animali, denique ſimplices corporis affectus ſive qualitates mutatæ in eodem externo habitu: nam evidentior majorque omnino ejus humoris fervor ſtatui debet, qui è propriis vaſis exiliens erumpenſque efferveſcit vel in caput, vel in externas corporis partes cutemque ipſam, quàm ejus qui in propriis duntaxat conceptaculis cohibetur & quaſi ibi commoritur. Porrò quoniam ſeroſus humor & facilè reſolvitur atque fervorem etiam deponit, & verò ob ingenium lene & minimè naturæ huma-

næ

næ infeſtum haud valdè naturam perturbat, inde ſanè ſymptomata fervoris ejus indicia nec pertinacia admodùm ſed fugacia eſſe neceſſe eſt, neque vero lethalia aut naturæ admodùm infenſa & incommoda. Quamobrem eæ febres continuæ hærere in aqueo humore fervefacto vel putrente tanquam præcipuo ſubjecto ſtatuendæ ſunt, quæ cùm corpora & denſa, & otioſa, atque aliàs victui pleniori & humidiori, hoc eſt, largo potui aſſueta invadunt, & ſoporoſis affectibus at brevibus, aut intempeſtivis productiſque quidem ſed ex ſe tamen ſolubilibus, aut deliriis mitibus atque fugacibus, motibuſque convulſivis non valdè gravibus, & verò momentaneis, ac pariter doloribus varias externi habitus partes affligentibus ſed circa ſuppuratum remittentibus incurſantur: tum quæ familiares habent ſive dejectiones aqueas, ſive ſudores largos, & quæ denique exanthemata lata pruriginoſa & alba habent.

2. Symptomata aſſidentia.

3. Solutiones febrium.

Enimverò continuas omnis generis hiſce ſymptomatis orgaſmi humoris ſeroſi ſignis incurſatas frequenter graſſari experientia quotidiana ſatis docet. Atque ut exempla continuarum, quæ comate deliriis mixto, & admodùm producto, ſimilibuſque capitis affectibus inſignes fuêre, & à nobis diffuſiùs tradita ſunt in obſervationibus ſuperioribus, & ſpeciatim in capite de parapoplexiâ, pariterque earum exempla, quæ doloribus arthriticis infeſtæ fuerunt, qualis illa quæ *Meritiſſimum Scabinum hujus urbis exercuit, de quâ ſuprà*, prætermittam; non deſunt mihi *quotidianæ & quartanæ continuarum*, quanquam eæ ſunt admodùm raræ *Galeni* annotatione, ſatis memorabilia exempla.

OBS. CLXIV. CLXV. *Vidi equidem quotidianam continuam duabus in fœminis, in Splendidâ ſcilicet Matronâ A. Furneriâ, Uxore Ampliſſimi Viri & Conſiliarii Vicani D. Liegeois jam ſexagenariâ, & in perhoneſtâ alterâ Matronâ Nicoleâ Rouget, Uxore M. Chavotii Pharmacopœi, quæ quadragenaria primùm, deinde iterum decimo quarto poſt anno incidit in ejuſmodi febrem: utramque profectò gravis & contumax ſomnus & præſertim hanc magnam diei ſed inclinantis partem tenebat. Otioſa autem vita, turgida facies, urina vitro fuſo*

De Febre quotidiana continua.

Qqq 2 *per-*

perquàm ſimilis cæteraque omnia ſymptomata, & præſertim typus febris ſanguinem pituitoſum, unáque ſeroſum ſatis demonſtrabant. Utrique difficilis quidem febris ſed tamen minimè lethalis fuit, etſi in illâ doloribus abdominis convulſoriis moroſior exſtiterit.

De febre quartanâ continuâ ſoporoſâ. OBS. CLXVI. *Ex quartanariis autem memini Nobilem Virum Joannem de Reins D. de Brenecourt ante tres hyemes ſibi gratulantem, quòd tempus rigoris & acerbationis moleſtiſſimum cæteroqui & graviſſimum ſine ſenſu tranſigeret: alto quippe ſopore Vir Splendidus eoque duodecim horarum & ampliùs tenebatur, ſed indolentiam ab hac cauſâ in malis rebus potiùs ponebam in febre, quæ ad apyrexiam non perveniret; & non temerè: nam quinto circiter menſe ſopor ille cum æternâ nocte commutavit.*

Præced. ſimil. OBS. CLXVII. *Idem contigiſſe recordor Religioſo Viro ordinis Præmonſtratenſis & Parocho vici Charpaine, in quo jam ſene ſopor non ita altus fuit, ſed coma potiùs pervigil, clarioraque deliria in principio exacerbationis, unáque majus incendium internum quàm quenquam alium quartanarium à me viſum pium hominem exercebant.*

Præced. ſimil. OBS. CLXVIII. *Vivit hoc tempore adhuc & quartanâ tenetur Nobilis admodum & Religioſus Benedictini ordinis Joannes de la Tourre Piiſſimus Juvenis intermittente ſcilicet, ſed factâ ex continuâ trium menſium, cujus epiſemaſiæ ſopore, motibus convulſivis, deliriis infeſtæ fuerunt, nec non etiam doloribus abdominis.*

Præced. ſimil. OBS. CLXIX. *Poſtremò mihi ſubit in memoriam penè intermortua febris quartanæ continuæ longè memorabilior cæteris hiſtoria, quæ in Ampliſſimo Præſide Michaële Bouveto ad hepatis phlegmonem ad annum vertentem exporrectam acceſſit, quartumque intra menſem ægrum confecit: principium enim cujuſque exacerbationis ſe pulſu admodum parvo ſimulque raro, ut quandoque pluſculas horas penitus lateret, ſeſe prodens comate ſupra modum gravi, niſi quando deliriis interturbaretur, & eo ut plurimùm quindecim & ampliùs horas continuò urgente fuit inſigne. Sed de eo morbo alias pluribus.*

Age-

Agedum autem quoniam eadem ſymptomata fervoris ſeroſi humoris indices *febribus intermittentibus omnis generis* ſæpenumero aſſidere ſolent, & præterea efflorefcentiæ ejuſdem in cute ipſâ, ſed inprimis vacuationes aſpectabiles ejuſdem humoris frequentiſſimæ ſunt, à quibus ſolutionem perfectam, aut certè adlevamentum & utilitatem non mediocrem capiunt, *nulla profectò juſta ratio prætexi poteſt, cur non ſtatuamus pariter earum ſubjectum etſi partiale ſed præcipuum tamen ſeroſum humorem, cùm præſertim primæ illæ venæ in quibus focus febris deliteſcit perluvie ſeroſâ longè magis quàm venæ magnæ inter alas & inguina ſitæ ſcatere & turgere ſoleant.* Tum Intermittentium febrium idem eſt ſeroſus humor.

Experientia ſanè quotidiana docet principium aut certè tempus inæqualitatis tertianarum ſopore magis aut minùs gravi ac diuturno eſſe oppreſſum, ut ſupervacaneum ſit id particularibus demonſtrare experimentis. Quod probant: 1. Varia ſymptomata præſertim cephalica.

OBS. CLXX. *Memini autem delirii ſed levis ſingulorum paroxyſmorum comitis aſſidui in quodam ephippiorum ſartore Nanceiano ante viginti annos tertianario; atque oſtendimus ſupra id genus febrium cruciatibus abdominis convulſivis ſæpè infeſtari, quos affectus quoque demonſtravimus à ſeroſâ colluvie è viſceribus in caput per fervorem raptâ ſponte excitari.* De febri tertianâ intermittente cum delirio.

OBS. CLXXI. CLXXII. CLXXIII. CLXXIV. Quorum certè *cephalicorum ſymptomatum ſyndromen* in quartanariis obſervavimus, pluribuſque experimentis ſuprâ comprobavimus, *pariterque hoc præſente anno in Illuſtri Equite de quo antè, in Honoratis Viris Carolo de l'Eſpine incola Oppidi de la Chauſſée, & in N. Drovot incola Oppidi de Rembeucourt, denique in profugo quodam ex Angliâ religionis Romanæ cauſâ, Ric. Greffinus illi nomen. Huic ſcilicet jam ſextum menſem cauſario ſingulis paroxyſmis ineuntibus ſopor altus ſed ſtranguria interturbatus ſenſus omnes arctiſſime per ſeptem horas ligat, alioqui is diebus intermiſſionis inſomniâ laborat.* De febre intermit. quartanâ cum cephal. ſympt.

OBS. CLXXV. CLXXVI. Jam verò ex iis, qui *quotidianâ intermittente* laborarunt, ejuſdem generis ſymptomatum ſeriem De quotidianâ

intermittente cum iiſdem ſymptomatis.

memini me annotaſſe tum in locuplete & perhoneſto cive Pontano Joanne Notario, & in domicellâ juvenculâ uxore Nobilis Viri Jacobi des Combles: febre enim ſingulis diebus à meridie recrudeſcente veternus utrumque urgebat gravis adeo & contumax, ut non levem metum præſertim in mercatore ſubrufo aliàs ſene lethargi injiceret: urina utrique vitrum fuſum referebat. Neque dubito hujuſmodi ſymptomata hiſce febribus cæteroqui admodum raris eſſe perpetua.

De Febre quartanâ cum efflorefcentiis in cute.

OBS. CLXXVII. Cæterùm quod ad efflorefcentias in cute attinet, *annotavi non ſemel olim in tertianarum principio, ſed in querquerâ febre ſemel duntaxat in ingenuo Adoleſcente Trecenſi Nicolao d'Aubeterre, in quo exanthemata lata albaque, & æqualis durationis principio ſingulorum paroxyſmum erumpebant; de quibus plura antè capite proprio.*

2. Vacuationes ſeroſi humoris ſenſiles:

Poſtremò quantum ſpectat ad *vacuationes ſenſiles ſeroſi humoris*, nemo neſcit *vomitum* intermittentibus febribus & præſertim tertianis utique eſſe familiariſſimum, & ejuſcemodi ut quo copioſior eſt, eò evidentior utilitas & adlevamentum febris ſequatur; eum porrò eſſe aqueum ferè totum ſed bile tamen eâque variâ ſuffuſum.

tam per vomitum,

Diarrhœam:

Experientia ſimiliter quotidiana docet *diarrhœam ſeroſam* intermittentium plerarum inæqualitatis tempori & præſertim tertianarum aſſidere uti ſupra demonſtravimus.

De quartana intermitt. cum diarrhœâ.

OBS. CLXXVIII. *Sed & querquerâ febre obſervavi eandem in Adoleſcente modò nominato.* Quod confirmant quoque vacuationes arte factæ & alioqui ſeroſæ planè, quas tanta utilitas ſequitur quandoque, ut non in paucis obſervarim ab ejuſcemodi purgatione focum febrilem tandem abſterſum,

De quartanâ per expurgationem ſeri curatâ.

OBS. CLXXIX. *Et memini ante quindecim annos quartanam in Nobili Puero Belga convictore Doctoris Heliæ ab exhibito mediocri medicamento melanagogo pridie quarti paroxyſmi omnino eſſe curatam.*

De Tertianâ eo-

OBS. CLXXX. *Superioribus autem annis poſtremis hujus generis febrium feraciſſimis in tertianariis pluſculis idem mihi obſervatum: & nudius tertius in ancillariolo uxoris meo,*

quod

quod beneficio hauſti medicamenti quintum evaſit paroxyſmum tertianæ, in quam biennio antè ſed trimeſtrem incurrerat. Hujuſmodi certè curationes evidenter comprobant in humore ſeroſo præcipuè intermittentes febres hærere, quandoquidem à medicamentis præter aqueum humorem bile ſuffuſum nihil ἀξιόλογον excerni experientia teſtatur. dem modo curatâ.

Denique quod ſpectat ad *ſudores*, cùm eadem experientia doceat intermittentes febres cujuſcunque generis & faciliores curatu & breviores eſſe, in quibus ſudores largiores aut citiùs in declinatione ſuccedunt, atque exiguam contrà aut nullam curationis ſpem ante ſudoris eruptionem in declinatione affulgere: quàm per ſudorem.

OBS. CLXXXI. *Annotavi præterea vel in quinquaginta tertianariis (vadis mihi & teſtis fide digniſſimus noſter herbarius Samuel Phulpinus aſſiduus ferè viſitationum mearum comes) ſudorem antevertere alium à ſudore declinationis, ſcilicet ſtatim à rigore & inæqualitatis tempore.* De Solutionibus tertianar. intermit. per ſudores.

Imò præter utrumque ſudorem iis ſtatis temporibus viciſſim ſuccedentem, in uno & altero ægris tertium alium annotavi rigori ſcilicet unam aut alteram prævertentem horam, de quo ſudore uſurpare illud dictum *Plauti* ſoleo, quod ab [α] *Hippocrate* accepit, *pro monſtro eſt cùm quis ſudans tremit.*

OBS. CLXXXII. *Memini namque Generoſum Adoleſcentem Lotharium Meternich in incremento ipſo tertianæ, quam ſemeſtrem fuiſſe audio ter ſudaſſe largiter duas circiter horas ante rigoris febrilis invaſionem.* Quiſquis autem ſudor fuerit diverſus à ſudore declinationis certum eſt eum longitudinis quidem morbi ſignum eſſe, unáque etiam cauſæ, quippe indicem ebullitionis ſeroſi humoris præcipuè materiæ febrilis in principio ſcilicet longè latéque in habitum externum efferveſcentis. De ſudore in tert. intermit. rigorem prævertente.

Sæpiùs autem antè declaratum à nobis quartanariis ſudores eſſe maximè familiares; *exceperim tamen ſenes & hyeme laborantes, è quibus non citiùs ſudorem exſpectes, quàm ex pumice aquam: ſed in illis profuſa admodum urina præſertim in-* Sed in ſenibus & hyeme laborantibus ſudoris vicaria eſt urina.

[α] Lib. Aph. 7. Aph. IV. Ἐπὶ ἱδρῶτι φρίκη, οὐ χρηστόν. Ex ſudore horror, non bonum.

inæqualitatis tempore ſudoris eſt vicaria ; in aliis namque ætatibus etiam rigida hyems non prohibet ſudorem.

De quartanâ intermittente cum ſudore perpetuo.

OBS. CLXXXIII. *Laborat quidam è meis ſubditis Campelianis Dominicus Ferry ab Autumno querquerâ febre , jam agitur ſextus menſis , ab eo tempore corpus totas noctes etiam à febre vacuas quamquam hyeme admodùm ſævâ perenni diffluit ſudore : nam de die* ὀρθοστάδην *ſe habens ſudorem rejicit.*

3. Ea, quæ per errorem exhibita, nocent.

Poſtremò confirmatur hæc ſententia ex eo quòd cùm longitudinem paroxyſmorum intermittentium , ut & omnium omnino reliquarum febrium productionem error externus adferat ex [α] *Galeni* obſervatione , experientiâque quotidianâ, is autem partim in largiori potu , partim in negligentiâ corporis externi & expoſitione ambientis injuriis , ac præſertim frigori captandæ frigidæ auræ gratiâ factâ conſiſtat , atque prior ex illis erroribus per materiæ additamentum ſeroſam plenitudinem maximè augeat , poſterior verò per cohibitum effluvium aqueum idem quoque præſtat,

Concluſio febrium doctrinæ.

meritò colligere eſt febres non ſolùm intermittentes , ſed ferè omnes cujuſcunque generis in ſeroſo humore aut ſolo aut certè unà cum ſanguine cujuſcunque naturæ ebulliente atque putreſcente hærere , ſeroſumque humorem ſi non adæquati certè partialis , ſed præcipui ſubjecti vicem gerere , & alioqui occaſionem putreſcibilitatis dare ſanguini proprio & ſpecifico quarundam febrium ſubjecto.

[α] Lib. 2. de febrib.

FINIS.

INDEX PRIMUS,

IN QUO

OBSERVATIONES:

I.

Eæ, quæ ab Auctore numeris notatæ ſunt, continentur.

Obs. 1. De Hydrocephalo. pag. 41
2. De Hydrocephalo cum bile permixto. 43
3. De Genæ tumore. 44
4. De Hydroparotide. 45
5. De Tumoribus genarum, & glandularum circa aures & collum. *ibid.*
6. De Paraſynanche, & intern. oris part. tumoribus. 46.
7. De Odontalgia. 47
8. De Odontalgia cum phlegmone genæ alterius complicata. 48
9. De Dolore Auris internæ cum Odontalgia mixto. 50
10. De viſus debilitate & Hypochymate. 53. Quæſitum. *ibid.* Reſponſum.
11. De Hemicrania periodica. 68
12. De Hemicrania per προτοπάθειαν. 74
13. De Hemicrania cum gravibus affectibus complicata & periculoſa. 75
14. De Vertigine ſimplici, ſive Δίνω. 77
15. De Caro. 81
16. De Parapoplexia, ſive febre tritæoph. comatoſa. 88
17. De eod. Affectu. 97
18. 19. De eod. Affectu. 98
20. 21. De Apoplexia levi. 99
22. De eadem. 100
23. De Letharho periodicè repetente, ſive Hydrope Cerebri. 105
24. De Epilepſia. Conſilium. 117
25. De Viſus obtenebratione hyſtericam paſſionem præcedente. 120
26. De Senſibus ante motum depravatum ablatis ante hyſtericam paſſionem. 121
27. De affectibus hyſtericis, duæ. 149
28. De Hyſterica paſſione per aquæ excretionem ſoluta. 153
29. De Epilepſia per largam ſputationem aquæ puræ ſoluta. 154
30. De Plurima aqua in parte capitis poſtica inventa. 158
31. De Epilepſia & Hyſterica paſſione uſu cauterii percurata. 173
32. De Hyſterica muliere odore lapidis gagatis à paroxyſmo excitata. 177
33. De Epilepſia levi. 179
34. De Symptomatis quæ pro hyſtericis vulgo habentur. *ibid.*

Obs. 35. De Syncope lethali & ἀπεληπίᾳ ab interceptione nervi cordi implantati facta, ſcilicet à ſeri è capite in hunc depluvio. 182
36. De eadem. 185
37. De Palpitatione Cordis. 188
38. De Cordis Palpitatione cum tuſſi. 192
39. De Aqua plurima in pericardio cadaverum diuturna palpit. laborantium reperta. ibid.
40. De Tuſſi diuturna. 199
41. De Tuſſicula levi. 204
42. De Tuſſi gravi & aſſidua per ſudores quotidianos curata. 208
43. De Aſthmate intermittente. Conſilium. 212
44. De Pituita in pulmonibus concreta & lapillis cum tuſſi excretis. 215
45. De Empyematis expurgatione. 216
46. De Compreſſione thoracis à circumjacentibus viſceribus. 217
47. De Diaphragmatis coarctatione ab eadem cauſa. 218
48. De Aſthmate cum febre conjunct. 223
49. De Aſthmate continuo. Conſilium. 226
50. De Aſthmate victu & pil. beneficio percurato. 234
51. De Hydrope pulmonis. 235
52. De Hydrope Thoracis. 237
53. 54. De eod. affectu. 239
55. 56. De eodem. 240
57. De Hydatide pulmonis. 242
58. De Paralyſi brachii per ſympathiam thoracis. 243
59. De eadem. 244
60. De Dyſpnœa graviſſima, multiplicis variique morbi effectu. ibid.
61. De Pleuritide. 249
62. De Pleuritidis frequenti invaſione & remiſſione. 253
63. De Pleuritide miti & parva. 257
64. De Empyematis, poſt pleuritidem malè curatam, expurgatione. 258
65. 66. De Diarrhœa Seroſa. 260
67. De Aquæ è capite in alvum decubitu. 263
68. 69. De Diuturno alvi profluvio bilioſo. ibid.
70. De Vomitu bilioſo. ibid.
71. De Diuturno alvi profluvio ſeroſo. 264
72. De Dejectionibus liquidis cineraceis in declinat. febrium. 265
73. De Dejectionibus aquoſis ex intervallis repetentibus. 266
74. De Doloribus totius ventris inferioris, aut certè quarundam in eo partium, &c. 267
75. De iiſdem. 268
76. 77. De Succeſſione ejuſmodi dolorum ventr. infer. febri tertianæ. 269
78. De Complicatione dolorum ventris cum febribus continuis. ibid.
79. De ejuſmodi dolorum ſolutione per hæmorrhagiam immoderatam. ibid.
80. De eorum aliis ſolutionibus. 270
81. 82. De eor. dol. commutatione in alios affectus. ibid.

Obs. 83. De Complicatione febris tam intermitt. quam continuæ cum his doloribus. 271
84. 85. De eor. cum febre quartana complicatione. 272
86. De Doloribus ventr. infer. febribus quibuſdam familiaribus. 275
87. De Urina in dolore Colico. 278
88. De Urina in dolore nephritiibid.
89. De Colica flatuoſa. 279
90. De Affectibus à ſeri in caput raptu ortis. 286
91. De Affectibus, à ſeri è capite in partes externas decubitu, ortis. 287
92. De Hemicrania à ſeroſo humore in capite fervente, & ei ſuccedentibus abdominis doloribus. 292
93. De Plurima aqua in diſſecti cadaveris capite reperta. 294
94. De Magna dilatatione renis externæ membranæ. 296
95. De Valida renum & ureterum facultate expultrice. *ibid.*
96. De Malè inſtituta venæ ſectione in doloribus abdominis. 303
97. De Pertinaci & longa duratione dolorum totius abdominis. 304
98. De Magna dolorum tolerantia. 311
99. De Urinis dolorem nephriticum præcedentibus. 313
100. De Ichoribus bilioſis nephriticorum urinis permixtis. 314
101. De Fiſtula lapidea in aorta propè cor reperta. 315
Obs. 102. De Calculi vi vomitus excretione. 317
103. De Calculo poſt equitationem rejecto. 319
104. De Curatione calculi per pulverem Virgæ aureæ. 319
105. De Urina cruenta poſt uſum granor. juniperi reddita. *ibid.*
106. De Experimento ſingulari & memorabili in calculo veſicæ. 320
107. 108. De Pluribus calculis per dies aliquot continuos excretis. 326
109. De Calculo beneficio butyri excluſo. 327
110. De Doloribus abdominis pro colicis habitis cum nephriticis in eodem ſubjecto concurrentibus. *ibid.*
111. De Excluſione calculi poſt ſuccuſſionem corporis fortuitam. 329
112. De Hydrope aſcite. 329
113. 114. De Hydrope à nimio aquæ potu. 335
115. De Hydrope à tumore viſcerum. 340
116. De Hydropis per hydragogum Fernelii curatione. 352
117. De Infelici ſudorificorum in hydrope uſu. 353
118. De Curatione hydropis per acidulas Spadenſes. *ibid.*
119. De Gangræna poſt cauterium in hydrope cruri adhibitum. 354
120. De Male adminiſtrata in hydrope umbilici apertione. *ibid*

Obs. 121. De Tumoribus lienis aquoſis. 355
122. De ejuſmodi tumorum ſolutionibus. 356
123. De Tumore hepatis inflammatorio, cum ſero ſuperfluo. 360
124. De Tumore hepatis maximo. 362
125. De Hydrope uteri. 369
126. De Partu quodam Lunæ, molæ ſpecie. 369
127. De Iſchuria memorabili cum ſudore perenni. 370
128. De Iſchuria lethali. 371
129. De Hydrocele, prima. 372
130. De Hydrocele, altera. 375
131. De Arthritide. Conſilium primum. 376
132. De Arthritide à ſanguinis ebullitione, per ſuppurationem ſoluta. *ibid.*
133. De Arthritide periodica, ejuſque felici curatione: ac tandem in hydropem lethalem commutatione. 417
134. De Arthritide. Conſilium alterum. 418
135. De Arthritide ſæpiùs recurrente & remittente. 422
136. De Arthritide nodoſa. *ibid.*
137. De Doloribus arthritidi analogis. 431
138. 139. De iiſdem Doloribus. 432
140. De Doloribus artuum, & totius corporis externis. 432
141. De iiſdem Doloribus feliciter percuratis. 433
142. De Multo ſero in ſanguine è vena ſecta reperto. *ibid.*
Obs. 143. De Dolore quodam memorabili cum motu & ſenſu abolito. 434
144. De Doloribus cum motu deperdito remanente ſenſu. *ibid.*
145. De Dolore alterius lateris cum atonia & hemiplegia pertinaci. *ibid.*
146. De Hydrope corporis univerſi ſive aqua intercute. 437
147. De Hydrope univerſali cum aſcite conjuncto. *ibid.*
148. De Hydropibus particularibus. *ibid.*
149. De Hydatid. totius corporis. 439
150. De Exanthematibus ſeroſis. 440
151. De Aquoſis quarundam partium tumoribus. 443
152. 153. De Solutione febrium putrid. contin. 481
154. 155. De eadem. *ibid.*
156. De Febre graviſſima arthridem præcurrente cum delirio & motibus convulſivis. 484
157. De Febre ſynocho cum delirio menſtruo conjunct. *ibid.*
158. 159. De Febre tertiana intermitt. cum tumore hepatis. 486
160. De eadem. 487
161. De Febre tertiana intermit. in continuam mutata. *ibid.*
162. De Febre tertiana à ſcirrhoſo pancreate. *ibid.*
163. De Febre catarrhali. 490
164. 165. De Febre quotidiana continua. 491

Obs.

Obs. 166. De Febre quartana continua ſoporoſa. 492
167. 168. De eadem. ibid.
169. De ead. ibid.
170. De Febre tertiana intermittente cum delirio. 493
171. 172. De Febre quartana intermitt. cum cephalicis ſymptomat. ibid.
173. 174. De eadem. ibid.
175. 176. De Quotidiana intermittente cum iiſdem ſymptomatis. ibid.
177. De Febre quartana cum efloreſcentiis in cute. 494
Obs. 178. De Quartana intermitt. cum diarrhœa. ibid.
179. De Quartana per expurgationem ſeri curata. ibid.
180. De Tertiana eodem modo curata. ibid.
181. De Solutionibus tertianarum intermittentium per ſudorem. 495
182. De ſudore in tertiana intermittente rigorem prævertente. 495
183. De Quartana intermittente cum ſudore perpetuo. 496

II.

OBSERVATIONES

Nullis Numeris notatæ,

Sed in toto opere hinc inde diſperſæ.

De Multo pure ex aure manante. 50
De Surditate immedicabili curata. 51
De Apoplexia forti, & lethali. 103
De Apoplexia ab interceptione vaſorum ſeu de ſphaceliſmo cerebri. 104
De Apoplexia à ſanguine duæ. 105
De Lethargo à pituita viſcida. 109
De Abſceſſu Renis ſiniſtri immani per plures annos geſtato. 130
De Sinu pudoris ſanguine perfuſo & utero ſicco, & connivente in cadavere puellæ reperto. 131
De Carnoſa quadam & informi ſubſtantia in uteri cavo reperta: ſterilitatis cauſa. ibid.
De Monſtroſo abſceſſu inter duas ventriculi tunicas latente. 138
De Affectione hyſterica in paralyſin tranſmutata. 156
De Colli quadam perverſione pertinaci. 180
De Membrana renis univerſam abdominis capacitatem coæquante & 14. libras puris continente. 193
De Aſthmate non æque à cibo quàm à potu aucto. 216
De Excreatione cruenta copioſa à pulmonia & pleuritide complicatis liberante. 255
De Suppuratione pleuritidis ante diem decimum quartum, tres. 256

De Doloribus ventris inferior. poſt paralyſin recurrentibus. 288
De iis non ſemper perfecta ſuccedente paralyſi. *ibid.*
De Doloribus convulſoriis totius abdominis & nephriticis ſimul junctis: & ſeorſim exiſtentibus. 297
De iiſdem alia. *ibid.*
De Doloribus ventr. infer. ab aſſumpto vino. 308
De Semicupii in arthritide utilitate. 318
De Ebrioſo Scoto à liberali aquæ vitæ potu exanimato. 337
De Arthritide per parcam victus rationem curata. 411
De Arthritide per vini abſtinentiam ſoluta. 412

INDEX RERUM

ET VERBORUM, QUÆ IN OPERE HOC CONTINENTUR LOCUPLETISSIMUS.

A.

Abdominis dolores hemicraniæ ſuccedentes. 292
Abſceſſus in rene ſiniſtro immanis per plures annos ſine reliqui corporis noxa durans. 130
Abſceſſus monſtroſus inter duas Ventriculi tunicas latens. 138
Abuſus circa Venæſectionem in Pleuritide. 257
Acetum quid. 448. ejus generatio. *ibid.* quomodo arte adjuvetur. 449
Acidularum ſpadenſium in tumoribus & infarctibus viſcerum Uſus. 353
Aëris ambientis perturbatio ſerum in toto habitu commovet. 75. ejus perturbationem præſagiunt variæ fluxiones, & in quibuſdam feminis involuntaria excretio. *ibid.*
Affectus à ſeri in Caput raptu. 286. à ſeri è capite in partes externas decubitu. 287
Affectuum à ſero ſive aqua genera innumera. 8. 9
Alimenti elixatio: aſſatio. 14
Alimentum inter & corpus alendum ſimilitudo quædam intercedat oportet. 14
Alvi diuturni profluvii biliosi duæ hiſtoriæ. 263
Alvi diuturnum profluvium ſeroſum. 264. ejus cauſæ. *ibid.* Prognoſis. Cura. *ibid.*
Animalia liene deſtituta. 35
Anodyna quamvis dolori nephritico ſæpe levamen adferant, frequenter tamen etiam nocent. 310
Antiquitatis ſtatuta ſine validiſſimis rationum firmamentis deſerere, temerarium eſt. 376
Apocruſtica an in Arthritide locum habent. 402
Apoplexia ab interceptione vaſorum Hippocrati dicta. 15. ejuſque exemplum. 104. à ſanguine; ejus duo

duo exempla. 105
Apoplexia duplex. 95
Apoplexiæ tres ſpecies. 103. Fortis, fortiſſima, levis. *ibid.*
Apoplexiæ fortis cauſa. 101. exempla. 103. 104
Apoplexiæ levis exempla. 99. 100. ejus Cauſæ. 99.100.102. Signa. 99. pars affecta. 100. in omni apoplexia, an reſpiratio lædatur. 100. 101. ad quod morbi genus referatur. 101. Cauſa permutationis in Paralyſin. 102
Apoplexiæ febri complicatæ focus non ſemper eſt in Cerebro. 95
Aqua pura puta non nutrit. 4. 15. ſtagnans facile putreſcit. 7. p. n. in capite congeſta multorum in eo affectuum cauſa exiſtit. *ibid.* quomodo in thorace colligatur. 242. in thorace cadaveris aperto inventa. 239. in diſſecti cadaveris capite reperta. 294
Aquæ in corpus affluxus ejuſdem extra corpus effluxu major eſt. 5
Aquæ vitæ liberali potu quidam exanimatus. 338
Argumenta ſerum multorum morborum cauſam eſſe adſtruentia. 10.11.
Ariditas cum rigore conjuncta motui animali nocet. 16
Arthritis. 376. 418. ejus Cauſa continens &c. 377.ad385.417.419.422. Terminus à quo. 378.432. Terminus ad quem. 378.420. Cauſa movens. 382. 394. 395. 425. Cauſæ antecedentes tam internæ, quàm externæ. 384. 385. 418. viæ. 420. 421. 424. Signa cauſæ aſſidentia. 385. antecedentia. 419. Febris arthritidem præcedens. 386. eique conjuncta. 389. qualis. 391. 393. 423. ejus cauſa. 392. 426. motuum tempora. 394. eorum cauſæ. *ibid.* Occaſio. 423. Curatio, à pag. 396. ad p. 403. 432. Præſervatio à 404. ad 415. & à 426. ad 431
Arthritis periodica. 418. ejus Cura. *ibid.* in hydropem lethalem Commutatio. *ibid.*
Arthritis ſæpiùs recurrens & remittens. 422. Nodoſa. *ibid.*
Arthritis an articulorum febris eſt. 390
Arthritis per ſuppurationem ſoluta. 389
Arthritidis in peripneumoniam lethalem Commutatio. 416. ejus cauſæ. *ibid.*
Arthritidis per parcam victus rationem averſio. 411. per vini abſtinentiam. 412
Arthriticorum tophi unde. 422
Arthriticis analogi dolores. 431. eorum Cauſa. *ibid.* Cura. *ibid.*
Aſcites. Vide Hydrops Aſcites.
Aſſatio quid. 14
Aſthma intermittens. 212. Cauſæ in genere à 214. ad 219. & in ſpecie in propoſito caſu continens. 219. ejus ſigna. 220. Cauſæ antecedentes. *ibid.* Febris conjuncta. 222. ejus ſigna. *ibid.* Cura. à 223. ad 225. Præſervatio. 225. 226
Aſthma continuum à pag. 226. ad 235. Signa. 226. Cauſæ. 226. ad 231. Cura. à p. 231. ad p. 234
Aſthmatis curati exemplum. 234.235
Atrabilarii ſalivoſi ſunt. 31
Auctorem ad ſcribendum impellens cauſa. 2. ejus in ſcribendo ſcopus. *ibid.* ordo. 3. ad lectorem allocutio. 3. 9. 10. ejus decretum in tractando. 11. multa in phyſicis & practicis ſcripſit. 4. Syntaxin medicam promittit. 11. hujus utilitas. *ibid.*

Au-

Auris internæ dolor cum odontalgia mixtus. 50. ejus Cauſæ, Signa. 50. 51. Cura. 52. 53

B.

Bibentes multum mox à potu aqueam vini portionem in magna copia mejunt. 31
Bilis ſero affuſa lentorem ſuccorum deterget. 18

C.

Cacochymia triplex eſt. 4
Calculi generatio. 313. Cauſa materialis. *ibid.* duplex eorum genus. *ibid.* Cauſa efficiens. 315. Cura. à pag. 316. ad 320. Præſervatio à p. 321. ad 327
Calculi renalis per pulverem Virgæ aureæ curatio. 319
Calculi renum plures per aliquot dies continuos excreti. 326. duo beneficio butyri excluſi. 327
Calculus poſt ſuccuſſionem corporis fortuitam excluſus. 329. vi vomitus excretus. 317. per equitationem rejectus. 319
Calor in Febr. intus revocatus acrior fit. 91
Capitis morbi. Vide morbi Capitis.
Capitis Vaſa duplicem continent ſanguinem ſero plurimo perfuſum. 144
Carnes animalium quomodo putreſcant. 7. & quomodo à putredine præſervandæ. *ibid.*
Carnoſa & informis ſubſtantia uteri cavum obſtruens ſterilitatis cauſa. 131
Carus. 81. exquiſitus. 82. diſtinguitur à Catocho & Apoplexia. *ibid.* qui ſenſus in eo & quot abolentur. 83. quæ Capitis pars malè afficitur. *ibid.* in præſenti ægro ad vaſorum anguſtiam refertur. 84. cujus cauſa eſt ſerum commotum Cerebri vaſa diſtendens. *ibid.* Hujus ſeri collectionis cauſæ. 86. 87. ſigna. *ibid.* occaſio, affectus ſolutio. *ibid.*
Catarrhorum cauſæ motrices. 202
Catarrhus inveteratus. 227. ejus cauſa generans ſecundùm alios. 227. ad 229. ſecundùm auctorem. 229. 230
Cauſarum internarum omnium morborum duo genera. 4
Cauſâ morbi continente non probe cognitâ curatio rite inſtitui nequit. 4. rectè intellectâ optimè ſuccedit. 11
Cauterium occipiti applicatum in morbo pervicaci cum fructu adhibitum. 43. Epilepticis & Hyſtericis prope ſuturam coronalem admotum utiliſſimum. 173. in Hydrope cruri adhibitum gangræna ſubſecuta. 354
Cephalicæ colluviei indicia manifeſta. 200. 201. 220
Clyſteris in inteſtina ingreſſum quid aliquando impediat? 280
Coli inteſt. ſtructura & Uſus. 278
Colica flatuoſa. 279
Colicus dolor & Nephriticus inter ſe maximè affines ſunt. 275. eorum Differentia. 276. 277. 301. utriuſque Pars affecta. 276. Symptomata. *ibid.* Cauſæ. 277. ſigna. *ibid.* Cura. 302. Præſervatio. 311
Colici doloris urina. 278
Colici dolores cur poſt paralyſin recurrant. 288. Cur non ſemper perfecta ſuccedat paralyſis. *ibid.*
Colli perverſio pertinax. 180

Con-

Convulſio in hyſtericis ſæpe diù permanet. 124
membri alicujus particularis eſt prodromus affectus univerſalis epileptici jam inſtantis. 140. 141. à membro convulſo ſenſus auræ adſcendentis non eſt adſcenſus cauſæ morbificæ. 141. convulſionis ſenſus cur ab extremis corporis partibus incipiat. 141. 142
Convulſio Inteſtinorum. 281. Peritonæi. 282. Nervi ſexti paris & ejuſdem propaginum. 283
Convulſivus Ureterum motus. 284
Cordis Palpitatio. 188. quibus familiaris. *ibid.* cor quomodo in eâ movetur. *ibid.* ab aquâ è cerebro ſenſim depluente. 192
Cordis palpitationes Spuriæ. 190. eæ tripliciter accidunt. *ibid.* & motu compoſito conſtant. 191. cauſa materialis varia ſed frequ. ſeroſa colluvies. *ibid.* ab hac palpitatio alia eſt ſubita, alia difficilis & pertinax. 192. 193. prioris ſigna & cauſæ antecedentes. 193. poſterioris ſigna. *ibid.* utriuſque cura atque præſervatio à 194. ad 198
Corpus omne perſpirabile eſt. 6. humanum ex tribus conſtituitur ventribus; & artubus. 8. 9
Corporis exercitatio ad ſanitatem conſervandam multùm confert. 11. redundantem humiditatem ſeroſam in corpore abſumit. *ibid.*
Corpora oleoſa & pinguia inflammationi; aquea emollitioni & elixationi propria ſunt. 14
Coryzæ cauſæ motrices. 202
Curatio ex dignotione cauſæ morborum inſtitui debet. 4
Cutis ſordida craſſamenta unde. 442

D.

Dejectiones aquæ ſimiles. 10. limo aut pici fuſæ ſimiles nunquam ſanis contingunt. 21
Dentium Dolor. V. Odontalgia.
Deſipientiæ notæ. 93
Diarrhœæ Aqueæ & Bilioſæ in principiis Febr. Continuarum accidentes. 263
Diarrhœæ Aquoſæ ex intervallis repetentes. 265. ſæpe tumores tam univerſales, quàm particulares ſequuntur. *ibid.*
Diarrhœa Arthritica. 402
Diarrhœa Seroſa. 260. in medio & fine autumni frequens. *ibid.* cauſæ. 261. viæ per quas ſerum movetur. *ibid.* Cur vomitibus aquoſis crebrior. *ibid.* nonnunquam bilioſæ & limoſæ evadunt. *ibid.* Prognoſis. *ibid.* Cura. 262
Diarrhœæ ſeroſæ quaſi cineraceæ in declinatione Febr. 265. de iis prognoſtica. *ibid.*
Δῖνος. V. Vertigo.
Divulſio inteſtinorum. 281
Dolor Arthriticus. V. Arthritis.
Dolor lateris. V. Pleuritis.
Dolor Artuum memorabilis cum ſenſu & motu abolitis. 433
Dolor unde. 29
Dolores Arthriticis analogi. 431. eorum Cauſæ. *ibid.* Cura. 432
Dolores Artuum externorum feliciter percurati. 433
Dolores artuum & totius corporis externi. 432. cum motu & ſenſu abolitis. 434. cum ſolo motu deperdito. *ibid.* alterius lateris cum atoniâ & hemiplegiâ pertinaci. 434. 435. eorum cauſa. 435. partes

 tes

tes affectæ. *ibid.*
Dolores partium externarum à diluvie ſeroſâ. 432
Dolores Ventris inferioris totius, vel quarundam in eo partium paſſim pro Colicis, Stomachicis, Nephriticis, Hyſtericis ſed perperam habiti. à pag. 267. ad 329
Dolores Ventris inferioris complicati. 267. eorum Signa. *ibid.* pertinax & longa duratio. 304. Cauſæ. 267. qui pro Colicis habiti modò declinationibus febrium tertian. ſuccedunt, modò contin. complicantur. 268. modò diverſimodè ſolvuntur. 269. 270. modò in alios affectus commutantur. 270. modò etiam febres utriuſque generis cum ejuſmodi doloribus complicantur. 271. partim etiam quartanæ. *ibid.* Inquiſitio in naturam ejuſmodi dolorum. 278. cauſas. 281. partes affectas. 282. Generationis modum. 1°. ſcilicet dolorum Colicorum vulgò dict. 285. ubi cauſa continens explicatur. 293. 2°. Dolorum Nephriticorum. 295. quoad cauſam proximam &c. 296. 3°. utrorumque inter ſe complicatorum. 297. Symptomatum aſſidentium enumeratio. 298. Cura. 1°. doloris Colici. à p. 301. ad 311. ejus Præſervatio. 311. 2°. doloris Nephritici. *ibid.* ejus præſervatio. 312
Dolorum Colicorum & Nephriticorum in eodem ſubjecto concurrentium hiſtoria. 327
Dyſpnœa graviſſima. 244. ejus prima invaſio. *ibid.* altera. 245. Eventus. 246. Signa. 244. Cauſæ. 245. Prognoſis. 246. cum aliis affectibus complicata. *ibid.* Cur in eâ apertio thoracis non erat inſtituta. 249

E.

Elixatio quid? 14
Empyematis expurgatio. 216. à pleuritide malè curatâ cura. 258
Epilepſia quale ſymptoma. 119. in eâ pars affecta. *ibid.* motus depravati utpl. cùm ſopore conjuncti cauſa. 120-123. conquaſſatio membrorum identidem facta unde. 124. ſenſus ablati cauſa. 125. 126. Auctoris ſententia de loco collectionis cauſæ continentis. 144. ea quæ ſit. 145. 146. Omnium ſymptomatum cum hyſtericis conjunctorum rationes. 150. 151. particularis inquiſitio externarum Cauſarum ſingulos paroxyſmos excitantium. 151. 152. paroxyſmi ſolutio. 153-156. quæ res adjumentum aut noxam hyſtericis adferant. 157. 158. reperta in cadavere. 158. 159. Signa cauſæ continentis. 159. 160. ipſa Cauſa continens. 161. 162. à paroxyſmo Præſervatio. 162-176. à paroxyſmo Cura. 176-178
Epilepſia levis. 179. per conſenſum partium externarum excitata. 139. in Tetanum & Apoplexiam facile mutatur. 124. Idiopathica per propagationem materiæ. 162
Epilepſiæ graviſſimæ Hiſtoria. 115-119
Epilepſiæ ſigna. 117. ſymptom. varia. *ibid.* eorum conditiones. 118. occaſiones repetitionum cujuſque paroxyſmi. *ibid.* modus invaſionis & ſolutionis. 119. præſidia quæ adjumento vel nocumento fuêre. *ibid.*
Epilepſiæ & paralyſis differentia. 156
Epileptica ſymptomata pro hyſtericis vulgò habita. 179. 180
Epileptici paroxyſmi pertinacia apoplexiæ inſequentis indicium eſt. 178

Epilepticis an etiam ſtrangulatio & ſuffocatio accidat. 180. 181
Epilepticum paroxiſmum particularis alicujus membri convulſio præcedit. 140. ejus cauſa. 141
Epilepticus ope cauterii prope ſuturam coronalem admoti ſanatur. 173
Eraſiſtratus olim fautor fuit Auctoris ſententiæ de Hydropis cauſa. 344
Eryſipelas ad quod genus tumorum referendum. 443
Exanthemata ſeroſa. 440. quibus familiaria. 441. ſymptom. eis aſſidentia. 442. Cura. *ibid.*
Excretiones criticæ quales. 11
Exercitationis corporis utilitas. 165

F.

Fames cur mox ab aſſumpto cibo ſedatur. 28. ejus cauſa. *ibid.* locus. *ibid.* dolor unde. 29. lienonoſis familiaris. 30
Febriculæ ephemeræ hemicraniam vertigines &c. comitantes. 476. Eryſipelata præcedentes, aut iis aſſidentes. *ibid.*
Febris magnæ indicia. 89. ſigna ab urinâ & pulſu deſumpta incerta ſunt. 222. prima & eſſentialis differentia. 461
Febris graviſſima arthritidem præcedens cum delirio & motibus convulſivis. 484. Arthritidi conjuncta qualis? 389. ejus ſigna. *ibid.* focus. 392. motuum tempora. 394 cauſæ. *ibid.* 426
Febris Hectica an à cauſis externis excitari poſſit? 459
Febris Intermittens Quotidiana: Tertiana: Quartana. 488
Febris Quartana continua cum phlegmone hepatis conjuncta. 33
Febris Quartana cum efflorefcentiis in cute. 494. cum ſudore perpetuo. 496
Febris Quartanæ Continuæ Soporoſæ quatuor exempla. 492
Febris Quartana Intermittens cum diarrhœâ. 494. per expurgationem ſeri curata. *ibid.* Tertiana eodem modo curata. *ibid.* 495
Febris Quartanæ Intermittentis cum cephalicis ſymptom. IV. exempla. 493
Febris quotidianæ intermittentis cum cephalicis ſympt. duo exempla. 493. 494
Febris Synochus cum delirio menſtruo. 484. 485
Febris Tertiana à ſcirrhoſo Pancreate. 487
Febris Tertiana Intermittens in continuam mutata. 487. cum delirio. 493
Febris Tertianæ Intermittentis cum tumore Hepatis tria exempla. 486. 487
Febris Tertianæ Intermittentis ſolutio per ſudorem. 495
Febrilis caloris cauſæ. 459
Febrium Intermittentium ſolutiones. 33
Febrium Quartanarum fomes creberrimus Lien. 34. Tertianarum Hepar. 33
Febres Catarrhales. 489. Continentes. 481. earum focus. 482. ſubjectum. *ibid.*
Febres Continuæ ſeu Synochi putres. 480. earum ſubjectum. *ibid.* ſigna. ſolutiones. 481
Febres cum dejectionibus aqueis bilioſis. 483. quæ ſunt ſymptomaticæ. *ibid.* eæ deject. ſi intropellantur graviora inferunt mala. 484

Fe-

Febres Diariæ, ſeu paucorum dierum. 469. earum ſubjectum. *ibid.* ſigna. 470. cauſæ. 472-475. conſtitutio. 475. ſolutionis modus. 472
Febres in habitu. 462. earum ſubjectum. *ibid.* in diſpoſitione. *ibid.* earum ſubjectum. 463. Cauſa continens. 466. 467. principia ſeu cauſæ alterantes internæ. 467. 468
Febres in ſeroſâ ſanguinis parte tanquam ſubjecto inhærentes. 443
Febres Putridæ Continuæ. 485. earum ſubjectum. 493. ſigna. 490. ſolutiones. 491. Intermittentes 486. earum ſubjectum. 493. differentiæ. 488. ſigna. 493. 494
Febres Synochi Imputres ſeu Ephemeræ plurium dierum. 477. 478. earum ſubjectum. *ibid.* ſigna. *ibid.* ſolutionis modus. 480
Fernelii opinio de Febrium Intermittentium foco. 486
Fiſtula lapidea in Aortâ prope Cor reperta. 315
Fluxiones omnis generis & affectus præter naturam invadunt præſertim ſiniſtras partes. 37
Fluxus hæmorrhoidalis qui? 23
Frigus quomodo fluxionem concitat. 202. 203
Fructuum horæorum uſus Epilepticis aut nullus aut parcus eſſe debet. 164
Fulgurum ſcintillantium veſperi oculos obrepentium cauſa. 59
Furfures unde. 442

G.

Gagates lapis Hyſtericis præſentiſſ. remedium. 177
Galeni de Epilepſiæ cauſâ continente & de ejus collectionis loco examinatur ſententia. 127. dogma de Hydrope aſcite à ſanguificatione læſâ. 342
Galliæ urbanorum artificum mores. 99
Gangræna à cauterio in Hydrope cruri adhibito. 354
Genæ tumor aqueus. V. Tumor.
Gravedinis Cauſæ motrices. 202
Gutta Serena. 60. locus affectus ſeu verum ſubjectum. 61. 62

H.

Hæmorrhoides quibus familiares. 22
qualem ſanguinem expurgant. *ibid.*
Hemicrania Periodica. 68. ejus Cauſæ. Signa. 69. 72. Locus affectus. 73. diverſorum Symptomatum Ratio. *ibid.*
Hemicrania per συμπάθειαν. Per δευτεροπάθειαν. Per προτοπάθειαν. 74. Signa. Præſervatio. *ibid.* Prognoſis. 75. Cura in genere. *ibid.* Præſentiſſimum remedium. 74
Hemicrania à ſero ἰδιοπαθητικὴ quotuplex. 73. 74
Hemicrania cum aliis affectibus complicata, & periculoſa. 75. 76. ejus Cauſæ. Signa. Symptomata. 75. Prognoſtica. Paroxyſmi ſolutio, & ægræ reſtitutio. 76
Hemicraniæ à ſerò in capite ſuccedentes abdominis dolores. 292
Hepar quibus tumoribus obnoxium eſt. 360
-- Febr. Tertianarum fomes frequentiſſ. 33
Heurnii in Catarrho experimentum. 211
Hippocrates omnes morbos ex aquâ & bile naſci prodidit. 11

Horatii Eugenii de hyſtericâ ſuffocatione opinio refutatur. 148
Humiditas motum animalem promovet. 16
Humidum Aqueum in ſero craſſos ſuccos fluxiles reddit. 18. ad inflammationem propenſos refrigerat. *ibid.* Exſiccationem immoderatam impedit. *ibid.*
Hydatis Pulmonis. 242. ejus cauſa continens. *ibid.*
Hydatides totius corporis. 439. earum cauſæ. 440. remedium. *ibid.*
Hydragoga benigna. 66
Hydrocephalus. 41. 42. Signa. Cauſæ. Cura. *ibid.* cum bile permiſtus. 43. ejus Signa. Cauſæ. Cura. *ibid.*
Hydrocele. 372. locus collectionis aquæ. 373. Cauſæ. *ibid.* Prognoſis. Curatio. 374
Hydroparotis. 45. ejus ſolutio. *ibid.*
Hydropes particulares brachiorum, crurum. 438. differunt à Leucophlegmatiâ. *ibid.* eorum cauſæ. *ibid.*. ſigna. *ibid.* Curatio. 439
Hydropes particulares Lienis & Hepatis V. Tumores Aquoſi.
Hydropi aſciti ſudorifica infeliciter adhibita. 353
Hydropico cauterium in crure infeliciter adhibitum. 354. Umbilici apertio malè adminiſtrata, infelix. *ibid.*
Hydrops aſcites. 329. Cauſa continens. 330. modus generandi. 331. Cauſæ antecedentes. 333. Signa. 344. Prognoſis. 347. Ejus cacoethiæ & indomabilis contumaciæ cauſæ. 348. Cura in genere. 350. in ſpecie 1°. ejus qui provenit à frigidâ viſcerum intemperie. 350. 2°, ab anguſtiâ viarum. &c. à 350. ad 355. quæ Cura hydropi recenti & non inveterato convenit. 355.
Cur hydrope laborantibus ſitis perpetuò moleſta. 346
Hydrops aſcites per Acidulas Spadenſes curatus. 353. per hydragog. Fernelii. 352
Hydrops Aſcites à nimio aquæ potu. 333
-- à tumoribus viſcerum. 340
Hydrops Cerebri V. Lethargus periodicè repetens.
Hydrops lethalis ex Arthritide periodicâ. 417
Hydrops Pulmonis. 235. Cauſæ procatarcticæ. 236. continens. *ibid.* Cura. 236. 237
Hydrops Thoracis. 237. ejus Cauſa continens. 238. Signa. 243. Cura. 238. 244
Hydrops Thoracis ad quod genus morbi pertinet. 241
Hydrops totius corporis. 437. cum Aſcite conjunctus. *ibid.* differt à Leucophlegmatiâ. 438. ejus cauſa. *ibid.* ſigna. *ibid.* Cura. 439
Hydrops Uteri ejuſque cauſæ. 369
Hypochyma. 60
Hyſterica mulier ope cauterii prope ſuturam coronalem admoti ſanitati reſtituta. 173
Hyſterica Symptomata omnia ferè viris cum mulieribus communia ſunt. 181
Hyſtericas juvantia remedia, eis noxia. 157. 158
Hyſtericæ affectionis duæ ſingulares obſervationes. 149
Hyſtericæ affectionis in quâ ſenſus prius abolentur, quàm motus in toto depravaretur, duo exempla. 120. 121
Hyſterici affectus in paralyſin tranſmu-

mutantur. 155. 156
Hyſtericis ſymptomatis puellæ ſæpiùs obnoxiæ ſunt, adultæ non conjugatæ rariùs. 135. conjugatæ iis priùs tentatæ ſæpe. 137
Hyſtericorum affectuum per excretiones aqueas ſolutorum duo exempla. 153. 154
Hyſtericorum falsò dictorum ſymptomatum unum Caput parens idque per idiopathiam. 144
Hyſtericorum vulgò dictorum affectuum cauſa continens. 144. 145

I.

Iſchuria lethalis. 371
Iſchuria memorabilis cum ſudore perenni. 370. ejus frequentes invaſiones & ſolutiones. *ibid.* in eâ cur Urina ſæpius ſuppreſſa iterum reddita fuit. 371
Juniperi granorum uſum Urina cruenta ſubſecuta. 319

L.

Lactuca imprudenter vulgò damnatur. 65
Lapidea fiſtula in Aortâ prope Cor reperta. 315
Lapilli è pulmonibus per tuſſim rejecti. 215. 235
Lethargi à pituitâ in Capite putrente exemplum. 109
Lethargi periodicè repetentis hiſtoria. 105. 106. is ad quod ſoporis genus referendus. 107. ejus ſigna. *ibid.* 108. Cauſa continens. 108. 109. 110. ſymptomata varia aſſidentia. 110. 111. de ejus genere communis medicorum ſententia ab Auctore rectè explicatur. 112. in hoc caſu convulſivorum motuum cauſa. 113. ratio, cur ii duntaxat ægro ſopito, minimè vigilanti acciderint. 114
Lien Aquæ ſedes eſt juxta Hippocratem. 35. è variis vaſorum plexibus conformatur. 28. frequentiſſimus fomes Febrium Continuarum & Intermittentium. 32. 33. Quartanarum. 34
Lien comparatur cum fiſco. 35
-- quibus tumoribus obnoxius. 362
Liene affecto totius corporis habitus immutatur. 32
Liene quæ animalia deſtituantur. 35
Lienis vaſorum conformatio. 28. Naturalis conſtitutio. *ibid.* Situs. *ibid.*
Lienis ſitus cur hepati oppoſitus. 28
Lienis tumores calidi. 34. eorum cauſæ. *ibid.* obſtructiones, tumores aquoſi, eorumque cauſæ. *ibid.*
Lienoſi famelici. 30
Ligna arida quâ ratione à carie per multos annos ſervantur integra. 454
Liquor duplex in vaſis continetur. 6
Lotharingicum ſolum levium Apoplexiarum feraciſſimum. 100

M.

Medicamenta aquam ſenſibiliter è Capite educentia. 174
Medicamenta quò pauciora, eò meliora. 323
Medicamentorum formulas cur Auctor ſæpe omittat. 97
Medicinæ aliquid adjiciendi nulli unquam præcluderur occaſio. 1. 2. eaque ad incolumitatem mortalium retinendam nata eſt. 2. ab omni ævo aliquod accepit additamentum. *ibid.*
Melancholici ſputatores. 31. 37. voraces. 30

Mem-

Membra corporis præſertim quæ in perpetuo motu ſunt, perpetuâ humectatione egent. 14. 15
Membranæ totius corporis membranis Capitis ſunt continuæ. 436
Menſes quo tempore fluunt. 129
Menſtruus ſanguis per quas vias expurgatur. 131
Mictio plurima mox poſt aſſumptum multum potum quomodo fiat. 31. eâ non vinoſa ſubſtantia, ſed tantum aquea redditur. *ibid.*
Molæ ſpecies. 369
Morbi à ſero Capitis externi. 9. 41. Interni. 9. 68. Thoracis. 9. 182. Imi ventris. 9. 260. Artuum. 9. totius corporis habitus. 9. 376
Morbi omnes ab aquâ & bile naſcuntur juxta Hippocratem. 11
Motus animalis principia. 100
Μυοπία. 57. in eâ ſpectra Oculis obverſantia an phantaſmata an vera ſimulacra ſint. 58

N.

Narcotica in Nephritide ſæpiùs nocent, quàm proſunt. 310. ſummâ cum cautione adhibenda ſunt. *ibid.* omiſſa magis proſunt. 311. adhibita ſæpe nil juvant. *ibid.*
Natura omnis generis ſuperflua excrementa ſponte expellit. 135. 136
Nephritici doloris Urina. 278
Nephriticis ferè omnibus cur ut plurimùm ſiniſter ren, paucis verò dexter dolet. 38
Nephriticorum Urinæ ichoribus bilioſis permixtæ. 314
Nephriticum dolorem præcedentes Urinæ. 313
Nephriticus dolor. V. Colicus dolor.

O.

Odontalgia. 47. ejus Cura. 48. cauſa creberrima. *ibid.* ſignum evidentiſſimum. *ibid.*
Odontalgia Phlegmone genæ alterius complicata. 48. 49. ejus ſolutio. 49. cauſa continens, & occaſio. *ibid.*
Opthalmias cur voluntariæ lacrymæ præcedant. 50
Oris collutiones. 174

P.

Palpitatio Cordis. V. Cordis Palpitatio.
Paralyſis brachii per ſympathiam Thoracis. 243
Paralyſis è levi Apoplexiâ: cui gravis Apoplexia ſucceſſit. 99. 100
Paralyſis & Comitialis morbi differentia. 156
Paralyſis nunquam in alium morbum mutatur. 102. in eâ cur nunc motus, cum ſenſu, nunc motus ſolùm tollatur. 102. 103
Paralyſis pro humoris conditione magis minuſve pertinax eſſe ſolet. 103
Parapoplexia. 88. 89. 90. 92. 97. 98. qualis affectus. 92. ejus ſpecies, & natura. *ibid.* in eo ſeroſæ colluviei p. n. in Cap. congeſtæ ſigna in paroxyſmo. *ibid.* & poſt mortem. 93. 98. ſigna ſymptomatum variorum, & Cauſæ. 93. ad 96. prognoſtica. 93. 94. ſigna malignitatem morbi oſtendentia. 96. Curatio. 97
Paraſynanche. 46. ejus Curatio. 46. 47.
Pattus Lunæ, molæ ſpecies. 369
Perfrigerationis totius Corporis in Epilepſiâ cauſa. 134. 135
Pericardium in apertis cadaveribus diu-

diuturnâ palpitatione laborantium plurimâ aquâ turgens repertum eſt. 192. 193
Peripneumonia & Pleuritis conſimiles affectus, quibus ſignis à ſe invicem diſtinguuntur. 255
Peripneumonia ex Arthritide lethalis. 416
Pituita in pulmone concreta. 215
Pleuritide cur ruſtici in Gallia ſingulis hyemibus infeſtentur. 254
Pleuritis. 249. ejus Signa. 250. Cauſa continens. 251. Pars affecta. 252. Cauſæ antecedentes internæ, & externæ. 254. quibus ſignis à peripneumoniâ diſtinguatur. 255. Prognoſis. 256. Curatio. 256. ad 259. Quæ lethalis. 253
Pleuritis calidis naturis familiaris. 253
Pleuritis mitis & parva. 275
Pleuritis Auctoris obſervatione ſeptimo vel etiam quarto die ad ſuppurationem tendit. 256. Hippocratis obſervatione non ante decimum quartum diem. *ibid.*
Pulmonis dextri inflammatio. 247. ejus ſigna & Cauſæ. *ibid.*
Pulmonis Hydrops. V. Hydrops Pulmonis.
Pulvis laxans in Calculo Veſicæ. 320
Purgantia quo tempore in Colico dolore noxia. 302
Puris aliquot libræ in Empyicorum cadaveribus inventæ. 217

Q.

Quartanarii multùm ſudant & mejunt. 31

R.

Raucedinis cauſæ motrices. 202
Renis externæ membranæ magna dilatatio. 296
Renum validæ facultatis expultricis exemplum. 296
Reſpirationis natura. 212. inſtrumenta triplicia. 213

S.

Sanguinis in diſſecti cadaveris vaſis vix libra inventa eſt. 95
Sanguinis & vini comparatio. 445
Sanguis eas, quas vinum, patitur affectiones licet cum quodam diſcrimine. 450. poteſt congelari, & concreſcere. 451
Scotus quidam à liberali aquæ vitæ è vino hiſpanico extractæ potu exanimatus. 338
Semen circa uterum in paucâ colligitur copiâ. 132. an aliquando qualitatem induat veneficam. 132. 133. in naturalibus conceptaculis tanquam theſaurus conſervatur. 133. ejus ſubſtantia & hyparxis. *ibid.*
Semen fœmininum an maſculino frigidius ſit. 136
Seminis excretionis in epilepticis cauſa. 137
Seri in corpore uſus primarii. 12. 15. ſecundarii. 12. 16. ſpeciales. *ibid.*
Seri circulantis effectus per totum corpus. 7
—— in corpore uſus, natura, cauſæ. 12. 15
—— ſubſtantia. 7. indoles. 17
—— vi compulſi effectus. 7
—— generatio: functiones: in corpore quantitas. 379
—— in corporis habitu conſumptionem conſequuntur febres Cauſi, Hecticæ. 13

Seri circa renes ſuppreſſionis cauſæ. 334
- - in vaſis præcipueque Capitis arteriis collectionis cauſæ. 5
Seroſa colluvies quo major eſt in toto eo magis in capite redundat. 162. frequentiſſima cauſa Cordis palpitationis eſt. 191. 192
Seroſa Exanthemata. V. Exanthemata Seroſa.
Seroſæ in capite colluviei cauſa evidentiſſima. 6. inevitabilis neceſſitas. *ibid.*
Seroſæ in capite redundantiæ ſigna, cauſæ. 293
Seroſæ excretiones quid indicent. 10
Seroſæ totius colluviei per ſudorem evacuatio utiliſſima. 208
Seroſæ pleonexiæ cauſæ, ſigna ante & poſt mortem. 248
Seroſam colluviem criticæ excretiones demonſtrant. 11
Seroſam in Capite colluviem in ſubjectas partes impellentes cauſæ. 202
Seroſi in Corpore humoris redundantiæ ſigna. 384
Serum à Calore lenteſcit. 220
- - in corpore ſtagnans varias ſubit alterationes. 5. variè movetur. 6. à ſanguine facilè ſeparatur. *ibid.* ſponte ſua ſurſum movetur. *ibid.* Cunctabundum tam in vaſis quàm extra ea putreſcit. 7. compulſum corpora craſſa, arenulas, lapillos ſecum deportat. *ibid.* lentos humores abſtergit. *ibid.* compulſum corpora objecta fluxum ejus ſiſtentia comprimit: diſtendit: frangit. *ibid.* innumerabilium morborum cauſa eſt. 8. coctionem in ventriculo adjuvat. 12. particularem coctionem in ſingulis membris molitur. 13. ſuccis omnibus affunditur, cum iis totum corpus pervadit, & per omnia vaſa decurrit. 19. inter Cerebri membranas facilè colligitur. 146. movetur. 147.
Serum in capite cunctans p. n. quales affectus producat. 39. è vaſis capitis exiliens in ſubjectas partes gliſcit. 144. idem ſæpe obſtructis undique viis in capite redundat. *ibid.* ejus redundantiæ cauſa. 145. per renes quibus de cauſis non excernitur. 335. quomodo motuum convulſivorum cauſa fiat. 395. nonnunquam in capite deliteſcens motus eos edit. *ibid.* ſæpe extra cranium decurrens, cutem in tumorem attollit. 396. multum in ſanguine per V. S. detracto. 433
Serum purgantia. 195
Sero poſticum & infernum caput invadente ſenſus abolentur. 147. eodem totum principium nervorum impetente univerſum corpus concutitur. *ibid.* principium ſexti, ſeptimique paris; partes internas ſolas. 148. principium ſpinalis medullæ partes externas & quaſdam etiam internas. *ibid.*
Sexus maſculini cum fœminino comparatio. 136
Siccitate Oris guſtus &c. læduntur. 16
Sopor in Febr. Synochis non omni ætati, ſed pueris duntaxat ſe adjungit quibuſdam. 86
Soporoſi affectus cum Epileſiâ facilè commutabiles. 179
Soporis quatuor genera. 107
Spiritus omnes ad partem dolentem accurrunt. 84
Spiritus à Sanguine differt. 26
Splenicarum affectionum ſymptomata. 32
Splenici perpetui ſunt ſalivatores. 37. qua-

Splenici quaſi mortui ambulare videntur. 32
Sudorificorum infelix uſus in hydrope aſcite. 353
Syncope à nervo ſexti paris Cordi implantato obſtructo. 182-187
Syncope qualis affectus. 182. à ſolidarum partium, & præcipuè Cordis tabe; intemperie. 183. à Spiritûs intemperie. *ibid.* defectu. *ibid.* exhauſtu à variis cauſis. 184
Syncope lethalis. 182. 183. ejus cauſæ in univerſum. 183. 184. & in ſpecie in propoſito exemplo. 184. 185. 186. cauſa continens. 187. Cura. *ibid.* Præſervatio. *ibid.*
Syrupi magiſtralis epileptici Mercati duplex deſcriptio. 169
Syrupus de Scoriâ Chalybis Lud. Mercati. 196. de Helenio Augenii. 233. de Tabaco ejuſdem. *ibid.*

T.

Thoracis compreſſio. 217
Thoracis Hydrops. V. Hydrops Thoracis.
Thoracis Morbi. V. Morbi Thoracis.
Tophi in Arthriticorum articulis concreſcentes, unde. 422
Tumor Genæ aqueus. 44. ejus Cauſæ. Signa. 44. 45
Tumor Hepatis maximus. 362
Tumores Aquoſi habitus externi. V. Hydrops totius Corporis.
Tumores Aquoſi Lienis. 355. eorum Solutio. 356. Signa. 359. Cura. 365
Tumores Aquoſi quarundam partium. 443. Eorum Curatio. *ibid.*
Tumores frigidi. 364
Tumores Genarum, & glandularum circa aures, & collum. 45. eorum Curatio. *ibid.*
Tumores Hepatis inflammatorii cum ſero ſuperfluo. 360
Tumores internas oris partes occupantes. 46. eorum Solutio. *ibid.* Curatio. 47
Tumoribus laxis & immanibus an Hepar, vel Lien magis obnoxium. 362
Tumorum in Liene origo, & cauſæ. 34. eorumque ſolutiones. *ibid.*
Tumorum ſeroſorum in genere cauſæ, ſigna. 44
Tuſſis à perfrigeratione Capitis. 204
Tuſſis diuturna. 199. ejus Cauſa continens. *ibid.* Fons. 200. Signa. 199. Cauſæ. 200. 201. 202. 203. 204. Prognoſis. 205. 206. Curatio. 205-211

V.

Vaſorum ſeriferorum propagines. 6
Venæ ſectio in exhauſto viribus malè inſtituta. 303
Ventriculorum Cerebri anguſtiæ triplex cauſa. 112
Ventriculus cum inteſtinis nuſquam atrore ſuffunditur, niſi veneno urente ambuſtus, aut gangrænâ corruptus ſit. 21
Ventris Inferioris dolores. V. Dolores Ventris inferioris.
Ventris Inferioris Morbi à proluvie Seroſa. V. Morbi Ventr. infer.
Vertigo ſimplex. 77. ejus cauſæ. *ibid.* ſigna. *ibid.* ſubjectum. 78. cauſa continens. 79. de eâ nova Auctoris opinio. *ibid.* Prognoſis. *ibid.* Cura. 80. 81. diæta. 81. Præſervatio. *ibid.*
Viarum anguſtia quot modis accidat. 339

Vinum in affectibus epilepticis & hyſtericis vulgo dict. venenum. 164
Vinum quatuor conſtat partibus. 445. ejus corruptio. 448. in acetum converſio. *ibid.* quale faciliùs aceſcat. 450. an congelationis capax ſit. *ibid.* novum ad putredinem proclive eſt, vetuſtum non item. 456. Crudum: Maturum: Hornum. 447. putreſcens: aceſcens. *ibid.*
Vini & Sanguinis comparatio. 445
Vini plurimum bibentes aquoſam mejunt materiam. 31
Virgæ aureæ pulvis in Nephritide opt. 319
Viſcerum obſtructiones raro percurantur. 349
Viſcus unum pleonexiam ſuam interdum in alterum deponit. 361
Viſio quomodo fiat. 55. ad 57
Viſus debilitas. 53. ad 55. Cauſæ. Signa. 57. 58. Prognoſis. 60. 62. Eventus. 67. Cura. à 64. ad 67
Viſus repentinæ obtenebrationis cauſa. 59
Vomitus bilioſus. 263
Umbilici apertio in hydrope malè adminiſtrata. 354
Ureterum affectus. 295
Urina cruenta poſt uſum granorum Juniperi reddita. 319
Urina qualis dolorem Nephriticum præcedit. 313
Urinæ ſuppreſſio. V. Iſchuria.
Uteri Hydrops. V. Hydrops Uteri.
Uteri motus depravati. 139
Uteri convulſio corporis concuſſionem frequentiſſimè antevertit. 143
- - Convulſionis cauſa. *ibid.*
Uterus præſtantiſſimo officio à naturâ deſtinatus eſt. 131
Ὑδρόμφαλος. 443

FINIS.

1 25 fr

92

12—10